BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
D
38
NAPOLI

74

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ARS MEDICA

SEV

CVRANDORVM MORBORVM, AFFECTVVMVÈ PRAETER NATVRAM,

QVI

Corpus humanum affligunt accurata, abſolutaquè methodus.

ACCESSIT FEBRIVM CVRANDARVM EXERCITATIO,

Cuius exemplo, quæcunquè generatim in methodo obſeruanda proponuntur, ſpeciali vſu ipſa clarius eluceſcunt.

AVTORE

DEMETRIO CANEVARIO

THERAMI FILIO

PHILOSOPHO MEDICO

PATRICIO GENVENSI.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

GENVAE;

APVD IOSEPHVM PAVONEM;

M D C X X V I.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

Don.a Jo: Codixi Canevario Auct.is Nep.te mihi Opto Generoso A

Digitized by Google

Ego Aurelius Calix Theologus Societ. Ieſu, & conſultor Sancti Officij, de mandato Reuerendiſſ. P.F. Magiſtri Eliſei Maſinij Generalis contra hæreticam prauitatem Inquiſitoris in dominio Sereniſſimæ Reip. Genuen., ac tota vtraque liguriæ ora, vidi Volumen iſtud medicin. Perilluſtris D. Demetrij Caneuarij; nec in ipſo quidquam aut Catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnans deprehendi, quominùs impreſſione dignum iudicem.

IMPRIMATVR.

FR. ELISEVS MASINVS INQVI. GENVAE.

Digitized by Google

DEO
TER OPTIMO
MAXIMO

BONARVM ARTIVM OMNIVM AVTORI, PROTECTORIQ; ET VERÆ SAPIENTIÆ FONTI:

A QVO

OMNE DATVM OPTIMVM, ET OMNE DONVM PERFECTVM IN NOS MORTALES EMANAT.

QVI

MEDICINAM DE TERRA CREAVIT, QVAM VIR PRVDENS NON ABHORREBIT VNQVAM:

QVI

MEDICVM HONORANDVM, ET IN CONSPECTV MAGNATORVM EXALTANDVM ESSE PRAECEPIT: CVI MERITO VNI, SOLI, ET IN ÆTERNVM, LAVS OMNIS GLORIA, ET BENEDICTIO.

DEMETRIVS CANEVARIVS

PIO, HVMILIQVE ANIMI AFFECTV, ELVCVBRATIONES HAS SVAS MEDICAS CONSECRAVIT.

NON MEA, SED TVA SVNT, QVAE SVNT BONA; NON TVA CERTE;
SED MEA SVNT, SI QVAE SVNT MALA, SVMME DEVS.
NOS TIBI PRO DONIS GRATES, QVAS POSSVMVS; AT TV
SVSCIPE QVAE TVA SVNT, CORRIGE QVAE MEA SVNT.

OCTAVIANVS CANEVARIVS THERAMI FILIVS PATRICIVS GENVENSIS.

Philoſophiæ, & Iuris vtriuſque Doctor Familiæ ſuæ poſteris ſalutem, & decus.

QValis, quantuſque vir extiterit Demetrius Caneuarius Frater meus, mandarem ipſe literis, ni vererer, nè fraterno præconio fidei aliquid fraternus amor derogaret. Veruntamen, vel me tacente, inſignia eius merita, ac laudes ſatis clarè prœdicat eadem, quæ nouit, & ſuſpexit, præſens ætas; & memoriam recolet veri iuſta æſtimatrix poſteritas, nomenque perenne, vbicunque terrarum virtus in pretio fuerit, immortalis fama celebrabit; Nec ingrato vnquam ſupprimet ſilentio eum in Philoſophiæ, ac Medicinæ intimum ſa-

crarium

Digitized by Google

crarium vſque adeo, plaudente Pallade, admiſſum fuiſſe, vt in venerando Medicorum Genuenſi Collegio lumen refulſerit præclariſsimum. Quadraginta autem continuos annos Romæ in illo orbis terræ celeberrimo theatro ſumma omnium admiratione laudabiliter exactos, vitæ integritatem, ſuauitatem morum, eruditionis claritatem, ſummis Pontificibus compluribus mirè carum; nauatam fideliter operam purpuratis Romanę aulæ proceribus, Hieronymo de Ruuere potiſsimum, & Philippo Spinulæ Cardinalibus ampliſsimis, quam veris acclamationibus eadem fama perſonabit? Ac vt cæteri omnes conticeſcant, vindicabunt certè ab obliuionis iniuria optimum parentem ſuum fœcundæ, doctæque mentis cariſsima pignora, numeris omnibus abſoluta, ſolidæque ſapientiæ, & eruditionis teſtimonia inſequentes in primis tractatus, ipſo ſic iubente in lucem editi, nempè.

DE

De rerum naturalium ortu, atque interitu ad Octauianum Fratrem.

De primis rerum natura factarum principijs.

De hominis procreatione.

Ars medica, ſeu methodus curandorum morborum, affectuumuè præter naturam, qui corpus humanum affligunt.

Agnoſcendarum, præſagiendarum, curandarumque febrium omnium methodus rationalis artis medicæ præceptis inſtituta.

De ligno ſancto aduerſus pſeudolignum ſanctum nuper in Italiam delatum.

Quando igitur egregij viri laudes, ac virtutes ſuo ipſarum ſplendore eniteſcunt apud præſentes, ſuaque illum præclara monumenta omni ſeculorum memoria commendabunt; quid ſupereſt aliud, niſi vtquantum illi à familia noſtra in perpetuum debeatur, per me declaretur? Hanc ille locupletauit, & cohoneſtauit; quod poſtremi teſtamenti tabulis cernere eſt, nobili Bibliotheca optimorum codicum varietate maximè referta, annuorumque reddituum apparatu pluſquam mediocri,

eiuſdem

eiuſdem familiæ ſubſidio, vſui, amplitudini, conſeruationi. Agite igitur poſteri, quicumque ex huius familiæ noſtræ ſobole propagabimini, talis, tantique parentis memoriam grata animi ſignificatione celebrate; per eius veſtigia pulcherrimis prudentiæ notis impreſſa vitæ curſum ad verum decus inſtituite; ad eximias virtutes æmulandas curas omnes intendite, ad honeſtarum penetralia diſciplinarum tanti Ducis, atque auſpicis tramite properate; ac ne vlla vnquam dies vos degeneres arguat, ad ſummi numinis gloriam, patriæ ſplendorem, ſingulorum commodum, familiæ ornamentum, omni conatu contendite.

AVTOR
AD LECTOREM
artis medicæ ſtudioſum.

IAm quidem aliquot ab hinc annis, dum artem medicam ſolicitè exercerem, libellum mihi, currenti calamo, ſtyloque rudi, ex tempore conſcripſeram, quo methodus artis totius, ad curandos præſertim corporis humani affectus præter naturam internos, per compendium expreſſa continebatur; & quidem eam tantum ob cauſam, vt inter medendum, præcepta eiuſdem medicæ artis vniuerſa, facilius ad labilem memoriam reuocarem meam: Conſcripſeram autem, ſtudioſorum more, libello ſchedulis incompris confecto, in quibus dein, inter ſcribendum, deleueram quamplurima, atque multa hinc inde ad margines addideram; ex quo meritò parum diſtinctum opus, immo confuſum legenti videri potuerat ſcriptum:

Sed

Sed cum fortè fortuna libellus hic è manibus exciderit, tranſcriptuſque ille, quomodocunque ſinè me fuerit, ac perindè errores omnis generis in eo non pauci commiſsi ſint; quod & ſententię plures integræ in ipſo deeſſent; deeſſent verba, aliaque ſuperaddita, quibus ſenſus valdè longè immutabatur; deeſſent autem paſſim characteres, tranſpoſiti multi, immutati quamplurimi, quid plura? ita demum ſe haberet, vt ex eo, quid ipſe cenſuerim, aut quid mihi, inter medendos morbos, agendum ex arte deliberauerim, medicinę ſtudioſus intelligeret minimè. At quod magis eſt, ac doloris intulit non parum, typis ille etiam tradditus fuerit, & ſine me, per Typographum in lucem emiſſus. Vtique ne opus tam miſerè labefactatum, turpiterquè deformatum, & meo tandem nomine vulgatum, mihi aliquando notam dedecoris afferret, iurè, & meritò, ipſum aliquando manibus reſumptum, diligenter, quo ad liceret,

perlegere,

perlegere, examinarequè deliberaui; errata verò in eo quæcunque corrigere, inſuper addere quæ manca, quę ſuperflua adimere, & tandem opus recognitum, omnique ſanatum vlcere, ac maculis abſterſum, & proprię integritati redditum, iterum me aſſentiente, typis melioribus, accuratioribuſquè tradditum, in gratiam ſtudioſorum artis, addito exemplo curandarum febrium, in lucem emittere. Scio opus tenue, illudque inculto ſtylo confectum; at qualecunque, cum meum agnoſcam, velim ſaltem illud me coactum promulgaſſe omnes intelligant; & nihilominus cum ingenuo animi labore, & ſi in mei duntaxat commoditatem, per ea tempora, idem confecerim, ſi alijs aliquando vtile etiam futurum audiero, quam gratiſsimum ſemper, ſpe quoque honeſtæ laudis apud poſteros promerendę, me habiturum eſſe credant, Interim lector vale, & boni conſule.

IN-

AGNOSCENDARVM. PRÆSAGIENDARVM. CVRANDARVMQVE FEBRIVM OMNIVM. METHODVS RATIONALIS ARTIS MEDICÆ PRÆCEPTIS INSTITVTA.

AVTORE

DEMETRIO CANEVARIO
THERAMI FILIO
PHILOSOPHO MEDICO
PATRICIO GENVENSI.

Digitized by Google

I N D E X
EORVM OMNIVM, QVAE methodo hac tractandarum febrium continentur.

HÆc ſiquidem methodus tribus partibus diſtributa eſt, In quarum prima de natura, & cognitione febrium agitur; In ſecunda, de eo tractatur, quod ad earum exitum præſagiendum pertinet; & in tertia, de recta earundem febrium omnium curatione ſermo eſt.

Operis totius præfatio, in qua tum occaſio agendorum, tum diſpoſitio eorundem explicatur. *fol. 157.*

PARTIS PRIMAE
De natura, & cognitione febrium.

QVæ cuique febri communis ſit definitio, eaque vt explicanda, vt inquam ſublatis omnibus difficultatibus, quid febris generatim ſit, ſufficienter pateat, priori loco proponitur. Caput Primum. *fol. 159.*

De cauſis febrium, tam externis, quam internis, omnibus agitur: inſuperque agitur de modo, quo illæ febrim vniuerſim inferunt, atque conſeruant. Caput Secundum. *fol. 163.*

Genus febris triplex, transfluentis nempe, conſiſtentis, & habitualis aptè decernitur, ſub ſuoque genere certa febris cuiuſque ſpecies collocatur. Caput Tertium. *fol. 167.*

Vltro de febrium differentijs proſequitur ſermo, vt ſpecies qua-

uis earum, tam ſimplicium, quam compoſitarum clarius eluceat. Caput Quartum. *fol. 171.*

Quibus nam vijs, & medijs, febris præſentia dignoſcatur; Inſuperque cuius illa generis, an inquam præterfluentium, vel conſiſtentium, & cuius demum ſpeciei cenſenda fuerit, demonſtratur. Caput Quintum. *fol. 174.*

An febris conſiſtens, quæ putrida eſt, ægrotantem afficiat, vt clarius pateat, ijsdem propoſitis vijs, quomodo agnoſcendum, explicatur. Caput Sextum. *fol. 178.*

Inquiritur preſſius, quæ putridæ febris ſpecies ſit, cum eius variæ differentiæ ſint, quæ ex cauſis præſertim proximis, illiſque varijs, habent originem, quare & de cauſarum earundem omnium cognitione, modoque cauſandi ipſarum vario, abundè agitur. Caput Septimum. *fol. 183.*

De earundem cauſarum cognitione ſequitur ſermo, & illarum in ægris occaſio explicatur. Caput Octauum. *fol. 188.*

Potiſſimus cauſarum, humorum nempè peccantium, vnde febris putrida ſit, focus indicatur, & quomodo alius ſit in continua, & in intermittenti alius, declaratur. Caput Nonum. *fol. 194.*

An febris conſiſtens, qua æger afficitur, habitualis cenſenda ſit, & qua ratione talis exiſtat, demonſtratur. Caput Decimum. *fol. 200.*

PARTIS SECVNDÆ

De eo quod præſagiendum in febribus.

Exitum febris ſalubrem, aut lethalem futurum, eumque poſt breue, aut longum ſolum tempus euenturum præſagire, *atqui*

atqui comparatis naturæ, & artis viribus, cum febris, ſimptomatumque ſæuitie, præſagiendum eum eſſe, demonſtratur. Caput Primum. fol. 203.

Vt iam ex cauſis, & effectis aliquot, virium naturæ robur æſtimatum eſt, ita deinceps, vt magis eluceat, ex operibus, vel effectis reliquis expenditur. Caput Secundum. fol. 210.

De operibus alijs agitur, ex quibus robur naturæ palam magis claret, atque inſuper de artis auxilio habetur ſermo, vt quantum illud naturæ fauere valeat; fiat conſpicuum. Caput Tertium. fol. 214.

Febris ſæuities, ac magnitudo, vnà cum ſimptomatum prauitate, examinatur, quantique æſtimanda ſit in ægro, demonſtratur. Caput Quartum. fol. 221.

Qua demum arte, ſeu methodo, de febrientis exitu, ex his, quæ hactenùs expreſſa fuere, præſagiendum ſit, veluti per compendium repræſentatur. Caput Quintum. fol. 227.

PARTIS TERTIÆ

De rationali, & recta febrium omnium curatione.

DVplicem ſcopum in curandis febribus attendendum eſſe, tum nempè conſeruationem eorum, quæ ſecundum naturam ſunt, tum deſtructionem eorum, quæ præternaturam adſunt, atqui primum de conſeruatione per inſtaurationem agitur. Caput primum. fol. 231.

De conſeruatione per fotum ſecundo loco tractatur, & qua ratione illa per febrim ſit procuranda indicatur. Caput Secundum. fol. 238.

Deſtructio eorum, quæ febrienti præter naturam inſunt, & febris

febris inprimis, qua arte inſtituenda ſit, ſumpto principio à febri ea, quæ præterfluens eſt, & à ſola procatartica cauſa ducit originem, explicatur. Caput Tertium. fol. 242.

Demolitio febris conſiſtentis, quæ putrida eſt, indicatur, Sed priori loco quatenus per euacuationem putridi ſucci ipſam efficientis intercipiatur illius augmentum, & quo genere euacuationis, ac quo inſtrumento, id à medico tentandum, demonſtratur. Caput Quartum. fol. 246.

Succeſſiuè de quantitate euacuationis, & inſtrumentorum requiſitorum, agitur, vt ex voto ſuccedat res. Caput Quintum. fol. 252.

Et demum de opportuno ipſius euacuationis, & inſtrumentorum vſu, habetur ſermo, vt prudenter curatio proſequatur. Caput Sextum. fol. 256.

De vacuatione, quam multis vijs, per ipſarum febrium primordia, ſponte à natura tentatam obſeruamus, hoc loco tractatur, & quanti ea interea à medico æſtimanda, quidque in eadem ab eo pro ægri ſalute agendum, demonſtratur. Caput Septimum. fol. 260.

Sæpe etiam abſceſſus, per humorum tranſportationem, euacuationis loco, in febribus obſeruatur, an ideo ille vtilis, an inutilis ſit futurus, expenditur. Caput Octauum. fol. 267.

Reliquum conſiſtentis febris, ex efferueſcentibus putridis, & ſæpe item venenatis humoribus, illud fouentibus, quomodo per alterantia, & coctioni fauentia, reprimatur, vt tandem humoribus iiſdem ritè ad euacuandum diſpoſitis, obſeruata vbique tum qualitate tum quantitate, tum opportunitate, penitus euaneſcat, decernitur. Caput Nonum. fol. 271.

Poſt alterantium hactenus deſideratorum qualitatem, adhuc

eorun-

eorundem adminiſtrandorum quantitas, & opportunitas, hic expendenda eſt. Caput Decimum. fol. 277.

Apparatis, aptèque diſpoſitis, tum humoribus, tum vijs corporis ad euacuandum omnibus, ſi perfecta curationis ergo, ſponte à natura fiat eorum euacuatio, an ea talis, ac tanta, an denique opportunè facta cenſenda ſit, explicatur. Caput Vndecimum. fol. 283.

Cum ex arte deuicti humoris exacta euacuatio procuranda fuerit, qualis nam ea, quibusque inſtrumentis aggreſſa, apta cenſenda ſit, & primum per pharmacum, non neglecta vbique quantitate, opportunitateque, declaratur. Caput Duodecimum. fol. 287.

Conſequenter de euacuationibus, earumque inſtrumentis reliquis, ad extirpandam omnem febris cauſam, accommodatis, ſermo eſt; expenditurque debita in ſingulis quantitas, & ad tuto aſſequendum finem opportunitas. Caput Decimum Tertium. fol. 294.

De febris conſiſtentis habitualis curatione agitur, quibusque operibus, & inſtrumentis illi fiat, ſatis, demonſtratur, Cæterum in omnibus, qualitas, qnantitas, & opportunitas indicatur. Caput Decimum Quartum. fol. 300.

De febrium earum curatione eſt ſermo, quæ alios conſequuntur præternaturales affectus, & accidentales nuncupantur, atque qua arte illis ſpeciatim ſit occurrendum, declaratur. Caput Decimum Quintum. fol. 306.

De morbis, & ſimptomatibus febres quaſuis vt plurimum comitantibus agitur, eorumque tum origo, tum repreſſio, ab his ſumpto principio, quæ actionibus vitalibus, earumque organis contingunt, explicatur. Caput Decimum Sextum. fol. 311.

De ſimptomatibus, quæ actionibus naturalibus eueniunt, ſequitur ſermo, Caput Decimum Septimum. *fol.* 316.

De ſimptomatibus, quibus actiones animales afficiuntur, vltimo loco agitur, Caput Decimum Octauum, & vltimum. *fol.* 322.

Digitized by Google

INDEX
EORVM OMNIVM, QVAE tota hac medicæ artis methodo continentur.

QVæ inquam methodus partibus tribus diuiſa eſt; In quarum prima, omnium præternaturalium affectuum agnoſcendorum ratio vniuerſim explicatur. In ſecunda, quatenus de futuro illorum exitu ſtatuendum fuerit, demonſtratur. In tertia verò, qua nam arte, vnicuique illorum generatim ſit occurrendum indicatur.

Operis totius præfatio, in qua, tum vtilitas, tum neceſſitas rationalis medicinæ, & curatricis, morborum præſertim, explicatur; inſuperque ſcribendi occaſio, & operis diſpoſitio enarratur. *fol.* 1.

PARTIS PRIMAE

De morborum, affectuumuè præternaturalium corporis humani agnoſcendorum ratione.

QVid morbus ſit, quid ſimptoma; & quot ſint morborum, atque ſimptomatum genera, differentiæque. Cap. primum. *fol.* 4.

Quæ, & quot ſint cauſſæ, vndè morbi, ſimptomataque ducunt originem, Caput ſecundum. *fol.* 8.

Quibus notis, ac ſignis, & qua demum ratione ex his, morbi, ſimptomatiſque ſpecies dignoſcantur, Cap. tertium. *fol.* 14.

† *Qui-*

Quibus notis, & ſignis, morbi, ac ſimptomatis cauſa, & pars affecta indaganda ſit, Caput quartum. fol.17.

PARTIS SECVNDÆ

De præſagio futuri euentus morborum, affectuum vè præternaturalium corporis humani.

QVid in morbis præſagiendum ſit, & quod comparatis naturæ, & artis viribus, cum morbi, ſimptomatiſque ſeuitie, præſagium tutò, rectèque fiat, Cap. primum fol.23.

De viribus naturæ agitur, demonſtraturque ex cauſſis, & effectis, robur earum indicari, atqui primum quatenus ex cauſis, ſeu principijs proprijs innoteſcat, explicatur. Caput ſecundum. fol.29.

Opera, ſeu naturæ effectus, qui ſint, & quo graduum ordine æſtimandi ſint, vt per eos euidentior roboris virium coniectura habeatur, atque inter hos, qui calidum naturale conſeruant, primum obtinere locum declaratur. Caput tertium. fol. 36.

Opera naturæ, ſymmetriam corporis, per nutritionem, & ammetriæ, ſeu morbi, depulſionem, conſeruantia, quæ potiſſimum in venticulo, & reliquis primis vaſis exercentur, quatenus ex his robur virium innoteſcat, explicantur. Caput quartum. fol. 41.

Opera naturæ alia conſeruantia, quæ in hæpate, & adiacentibus vaſis celebrantur, qua ratione robur virium oſtendant, examinantur. Caput quintum. fol. 47.

Vrinæ excrementum ad virium naturæ noſcendum robur, ſenſim expenditur. Caput ſextum. fol. 51.

Alia

Alia expenduntur opera, quæ itidem naturæ conſeruantia ſunt, & in hepate, adiacentibuſque vaſis exercentur, vt robur, quod quæritur, dignoſcatur. Caput ſeptimum. *fol. 56.*

Quæ opera per naturam in habitu corporis fiunt, vt quomodolibet ille conſeruetur, & priſtinæ ſanitati reſtituatur, vltimo loco exeminantur, & robur ab eis indicatum exprimitur. Caput Octauum. *fol. 62.*

Quantum vtilitatis, & auxilij in expugnando morbo, ſeruandiſque viribus, ars cooperanti naturæ ſit allatura, declaratur. Caput Nonum. *fol. 65.*

Morborum, ſimptomatumque ſæuities, quanta iam fuerit, futura vè maior, aut minor, aduerſus virium robur, æſtimanda ſit, ex proprijs notis indicatur. Caput Decimum, *fol. 69.*

Ex natura, & artis robore hactenus expreſſo, cum morbi ſimptomatumque ſæuitie iam demonſtrata, comparato, qua methodo, præſagium de futuro ægri exitu, prudenti iuditio, fiat, per compendium exprimitur. Caput Vndecimum. *fol 74.*

PARTIS TERTIÆ

De artificioſa methododicaque cuiuſque morbi, ſeu præternaturalis affectus generica curatione.

DVos medico curanti ante oculos habendos eſſe ſcopos, conſeruationem inquam virium naturæ, & morbi, ſimptomatiſque, ac cauſſarum vtriuſque deſtructionem, præmiſſo, qualibus deinde vniuerſim operibus ac inſtrumentis, hi ſcopi attingantur, inquiritur. Caput primum. *fol. 79.*

Quæ quantitate, & opportunitate, tum opera, tum inſtrumenta

menta adminiſtranda ſint, generatim explicatur. Caput Secundum. *fol. 82.*

Speciatim magis, qua ratione ſcopis medicis intercurandum ſatisfiat, & conſeruationi virium imprimis per inſtaurationem, nutritionem vè, examinatur. Caput Tertium. fol. 87.

Qua ratione earundem virium conſeruationi, citra inſtaurationem, vel puta fotu, opem feramus, perquiritur. Caput Quartum. *fol. 91.*

Deſtructioni eorum omnium, quæ præternaturam inſunt, morborum inquam, atque ſimptomatum, & eorum potiſſimum cauſſæ, qua ratione primum natura ſpontè incumbat, an nempe vtiliter, vel inutiliter, vt perinde vel ſolicitanda; vel potius intercipienda ſit, demonſtratur. Caput Quintum. fol. 97.

Qua ratione cauſæ morbificæ, tum antecedenti, tum coniunctæ, ex arte incumbendum ſit, operibus ſcilicet, & inſtrumentis, & quidem primum per alterationem, declaratur. Caput Sextum. *fol. 103.*

Qua arte præternaturalium affectuum cauſa, quæ tamen antecedens eorum fuerit, per euacuationem depopuletur, & inprimis qua ſpecie euacuationis id aggrediendum, explicatur. Caput Septimum. *fol. 107.*

Qua quantitate artificioſa eadem antecedentis cauſſæ euacuatio ſit metienda, expenditur. Caput Octauum. *fol. 113.*

De opportunitate agitur, qua artificioſa quæuis cauſſa antecedentis euacuatio præſcribenda eſt. Caput Nonum. fol. 119.

Artificioſa cauſæ coniunctæ demolitio proponitur, atqui inprimis demonſtratur, qua ratione illa, ne vltro ex antecedenti creſcat,

. creſcat, intercipiatur. Caput Decimum. fol. 125.

Quod cauſæ coniunctæ iam morbum facit, cum tum ſponte, tum arte, optime diſſipetur, merito de ſpontaneo opere, priori loco tractatur, & qualitas deſiderata illius, & quantitas, & opportunitas indicatur. Caput Undecimum. fol. 133.

Quod cauſæ coniunctæ minime ſponte depulſum, diſſipatum ve fuerit, qualibus demum artis operibus, & inſtrumentis illud penitus deſtruatur, palam demonſtratur. Caput Duodecimum. fol. 136.

In omni opere, & inſtrumento ad eandem coniunctam cauſſam extirpandam, iuſtam etiam quantitatem deſiderari, probatur. Caput. Decimumtertium. fol. 142.

De opportunitate operum, ac inſtrumentorum, ad cauſſam coniunctam, ex arte funditus abolendam diſſeritur. Caput Decimum quartum. fol. 146.

Omni quidem ſublata cauſa morbus deſinit, cum ſimptomatibus, interea tamen vigentibus illis, & cauſſa, qua arte obuiam eis ſit eundum explicatur. Caput Vltimum. fol. 153.

Digitized by Google

DEMETRII CANEVARII
PHILOSOPHI MEDICI
PATRICII GENVENSIS.

In ſuam morborum, affectuumuè præternaturalium humani corporis curandorum methodum.

PRAEFATIO.

ADMIRABILIS humani corporis fabrica, ſumma naturæ induſtria architectata, ſi quæ iam pridem conſtructa eſt, eadem perpetuo integra conſiſteret, vtique beata quaſi conditione inter animantia frueretur homo, fœliciſſimaque ille vita viueret; Quia rebus tamen omnibus, quas ſuo mundus ambitu continet, vel ob varios externarum iniuriarum incurſus, ita palam viciſſitudo imminet, vt optimus cuiuſque ſtatus facilè peruertatur, & corruat; Profectò eximia quamquã ſtructura, eaque verè miranda, confectum humanum corpus eſt, ab innumeris attamen illud calamitatum quaſi procellis, & fluctibus nuſquam tutum emergens, alterationi, corruptioni, & ſubinde homo morti præcæteris obnoxius eſt. Sæua equidem mercede; contra magna ſua munera, vt non ſit ſatis æſtimare natura ne parens homini eidem melior, an triſtior nouerca fuerit; (Si ſic dicere cũ ethnico ſapiente licet; accepto videlicet homine in puris naturalibus;) Ille quandoquidem, vt reliquis animantibus imperaret, ſingulari & ſi eiuſdem naturæ conatu productus, vel ſtatim tamen ac natus, ab erumnis, ſupplicijſque vitam auſpicatur, in

eiſque ita deinceps viuit infœlix, vt cum animantium omnium genera philoſophus eſſet contemplatus, horumque vitæ rationem, & ſtatum, inter ſe ſatis contuliſſet, in hanc tandem vocem merito mœſtus eruperit; Omnium quæ in terris ſpirant, atque mouentur, nihil eſt calamitoſius homine. Principatum haud ſanè fœlicem homini tribuens, quod in malis ſerendis primas teneat, atque excellat. Et quamuis interea illi propemodum diuino etiam donato ingenio, ad calamitatum incurſus omnes interpellandos, ſingulari beneficio quodam, præſidia pro viribus quærere, per ſummos attamen labores, conceſſum videatur; adhuc nihilominus quamplurimi non naſci optimum cenſuere, aut quam ociſſimè aboleri. Talis ſanè eſt humanæ vitæ conditio, taleque id tantopere celebratum hominis imperium; vt ni aliàs, ingenio ſuo, & induſtria, repertis auxilijs, quadantenus mulceretur; nil profectò calamitoſius vnquam. Artes hinc autem ſcientiæque ducentes exordia, ad beatiorem ei, tranquilioremuè degendam vitam, ſalutares manus exporrigunt, vt harum ſcilicet adminiculo, minora ſemper omnia, leuioraque contingant. AEdificatoria namque tecta, parietesque, vt ab aquarum procellis, & ventorum tempeſtatibus ſe ſe tueatur, ædificat: Sutoria veſtes, ob frigus, aut æſtum, elegantiſſimè ſuit. Agricultura autem, ad alimentorum propagationem, terras perpetuo colit. Vt demum artes aliæ, tum fructus iam ipſa terra partos ad nutritionem bellè conficiunt, tum ſalutaria alia non pauca, per ſummam diligentiam, animaduertunt, atque miniſtrant. Sola quamuis Medicina aliarum omnium artium ſaluberrima vitam ei perpetuis iniuriarum incurſionibus laceſſitam præcæteris ſeruet; amiſſam ſiquidem aliquãdo ſanitatem aptè reſtituat, partam verò, vel certè inditam, rectè cuſtodiat. Fructuoſum quocirca ſemper artium omnium expetit vſum, & vtilitate, & neceſſitate, ardentique demum ſalutis deſiderio impulſus homo, vt porrò ſuæ ex his vitæ cadenti ſuppetias, quibus poſſit medijs, allaturus, diutius tandem illæſum, incolumemque ſe ipſum tueatur, atque conſeruet. Artis attamen Medicæ beneficium hominibus ſingulari Dei omnipotentis fauore conceſſum, quo nihil ſanè præſtantius, nihilque humanę vitæ ſalubrius, vtiliuſque excogitari ſas eſt, eidem magis, ac magis exoptandum, quando iam quidem artium omnium, quod hominum ſaluti ſeruiant, ac famulentur, finis is ſemper videatur; Medicina tamen excepta, earum nulla ſcopum hunc propius attingat; Hæc ſiquidem fida veræ philoſophiæ comes, admirabilem primum corporis humani ſtructuram diligenter inquirens; cur vè tali compage partes eius omnes diſponantur, ordine tanto, tantoque concentu, ad præclara exercenda opera, in hoc vnum coniungantur, ex admirandis naturæ arcanis, rationem, cauſamque deducens, quænam tandem ad eandem diuinam corporis fabricam integram, operibuſque ſuis, & vitæ præſertim tuendæ gratria, commodam conſeruandam, reſtituendam vè, iurè conueniant, ex animantium plantarumque cæterarum ſub cœlo contentarum naturis, & pœnitiſſimis quibuſque earum viribus, ſaluti humanæ propitijs, perquiſita, præſſius, diligentiuſque ſola diffiniens, vt reliquarum certè artium princeps, ſuo inprimis beneficio, idem corpus, multis paſſim cruciatibus, ac morbis, expoſitum, & corruptioni denique ipſi, ſeu morti ſubditum, ſalubre tamen, firmumque, & quo ad permiſſum fuerit, vitæ prorogatione fęlix, ac beatum, longius conſeruat. Idque profectò cum ita ſe habeat, homini meritò prudenter naturæ igniculis compatienti, labantique vite ſapienter opem ferenti, ars hæc medica, toto conatu, cæteris non neglectis,

excolenda, celebrandaque eſt. Cæterum ea cum primum ad humani corporis ſanitatem conſeruandam, & profligandos morbos comparata iudeatur, ideoque modum, per quem optima noſtri conſtitutio integra, incolumisque perſiſtat; Inſuper & modum, per quem quiſque preternaturalis affectus corporeæ eiuſdem conſtitutionis eſſe deſinat, vna quaſi corporearum omnium calamitatum fugatrix, ſapientiſſimè doceat; Vtique ipſa in partes duas potiſſimum diuiſa eſt, in præſeruantem nempe, atque curãtem, & ad vtrunque harum aſſequendum ſcopum, tum vtilis, tum neceſſaria eſt; Siue inquam ad ſeruandum, quod ſecundum naturam eſt; ſiue ad curandum, quod præter naturam cenſetur, illa adhibeatur; porrò aut quod bonum, & exoptabile ex his fuerit, illa ſemper ſolicitet, aut quod malum, illa funditus pellat, ſaltem vè retardet, & intercipiat. Et quamquam hominem iampridem ſanum, illæſum ſeruare, vel infeſtiſſimos illius hoſtes, morbos inquam, & aduerſam valetudinem intercipere, excelſum penè artis opus eſt; Attamen labantem, & morboſis erumnis oppreſſam valetudinem, artis ingenijs, ſubleuare, illique opitulari, diuino potius ſimile factum exiſtimandum; quod putà iam vitam abeuntem ſiſtere, & mortẽ, morborum impetu, ac violentia, proximè aduenturam, artis præſidijs, cohibere, Dei optimi maximi potiſſimum munus cenſeatur, & ſit. Atque res cum ita ſit; egoque diuinam hanc artem, quam impellente genio, non perperam, nec inutiliter, diu tamen, & graui ſum labore profeſſus, Salutari conſilio, meæ ſaltem commoditatis ergo, vt mihi nempè ſeneſcenti, præceptorum artis tam vtilis, ac neceſſariæ memoria facilius ſeruaretur, ſim breui commentario amplexurus: illius ſanè non niſi curandorum morborũ partem aggredi operæ pretium iudicaui; altera quaſi præcipuis quibuſdam præceptionibus ſolum compræhenſa, quibus vnuſquiſque ex longo rerum vſu, ſingularique ſuimet obſeruatione præmiſſa, facile præſeruatur, hoc ipſo opere, ex ſtudio, prætermiſſa. Verum enim verò inter proſequendam eam, non quæ cognitione ſola plerique fingunt, & cõminiſcuntur, ſed quæ vera, ac ſolida, firmiſſimis, ex diuturnis, ac certis ſapientum experimentis, eductis argumentis comprobata, ad medendi vſum conducere iam intellexeram, diligenter excerpſi, eoque ordine, præcepta artis omnia, quæ ad hoc ſpectare videbantur, in vnum ita ordinem contuli, vt mox ad curandos morbos omnes aditus facilè pateat. Et quoniam hæc artis medicæ pars, quæ curandis corporis præternaturalibus affectionibus tota incumbit, tum cognitionem conditionis eorum, tum futuri eorumdẽ exitus præcognitionem, tum demum curationẽ oſtendit, ac docet; Hinc merito tres in partes opus vniuerſum partiendum eſſe decreui; In quarum prima, quid malũ, effectus vè corporis præter naturam ſit; Quot illius differentiæ, ac ſpecies, Et ex quibus cauſis illæ ortum ducant, foueanturque, per certos ſignorũ fontes, demonſtratur. In ſecunda verò, quomodo nã vel ſalubris, vel letalis, aut ab his alius, præſagiendus illius fuerit exitus, vt perinde artis neceſſitas, vel ſaltem vtilitas ſit conſpicua, indicatur. Et tandẽ in tertia, quid ex arte agendum ſit, vt diſſipato morbo, violata ſanitas reſtituatur, & vita longius protrahatur, breui quidẽ, ſed rationabili ordine, declaratur. Atque ita a cõmuni morborum, affectuum vè humani corporis præternaturalium natura iam cognita, ad rectam tandẽ eorundem curandorũ præceptionem, facilis fiet aditus, & opus rationabili methodo inſtitutum, prudenti demum cõſilio, abſoluetur.

DE MORBORVM, AFFECTVVMVE præter naturalium corporis humani agnoſcendorum ratione.

PARS PRIMA.

QVID MORBVS SIT, QVID *ſimptoma, & quot ſint morborum, atque ſimptomatum genera, differentiæque.*

CAPVT PRIMVM.

EAM itaque nos diuinæ artis medicæ partem iam tractaturi, qua corporis humani fabrica, varijs licet externarum iniuriarum incurſionibus, & morbis tandem innumeris, tanquam procellis, vndique labefactata; integra tamen illa ab his, quoad fieri datum eſt ita ſeruatur, vt propterea lõglus homo viuat, inde profectò exordiũ ſumere operæ pretium eſſe duximus, ex quo omnes quot quot præter naturã infliguntur illi affectiones, & morbi, omniquaque perſpecti ſint, vt porrò ipſis præcognitis, quibus demum præſidijs, ex arte occurrere neceſſarium ſit, commodè pateat. Quoniam verò ſingulorum nulla communis ſcientia eſt, qua illorum vnus quiſque adamuſſim percipiatur; vt omnia attamen certa via, ac ratione tradantur, vniuerſim ſaltem, de ſingulis generibus horum, hoc eſt cõmuni ipſorum natura, ita nobis habendus ſermo eſt, vt facilè deinceps, quid illorum ſpeciatim cenſendum fuerit, intelligatur. Eſt itaque morbus, noſtri corporis affectio præter naturam, qua nobis indita conſtitutio, vt non aptè proprijs munijs incumbat, labefactatur. Cũ etenim ipſi dum viuimus, vnà cũ cęteris, quæ à natura fiunt, materia conſtemus, atque forma, ex quibus, tanquam ex primis fabricæ noſtræ principijs, proprium eſſe conſequimur; forma autem anima ipſa ſit, cuius ſubiecta materia corpus eſt, multifariam ideo conſtructum, quod vt formarum omnium exemplo, quibus ſubiectum aptè diſpoſitum ſubeſſe maximè proprium eſt, ita animæ noſtræ, formarum præſtantiſſimæ, corpus admiranda ſtructura confectum, preſupponi, cum eoque, hominem, vita penè diuina donatum, & excelſis operibus illuſtrem, facere, proprijſſimũ eſſe certum eſt; cum inquam id veriſſimum ſit, interea tamen præternaturalibus affectionibus frequentiſſimis per vitam labefactemur, Vtique anima non afficitur, vt nec alia quæuis forma alterationibus eſt obnoxia; Nec demum ipſa materia, ex qua conflatum illi ſubiectum corpus eſt, ea quia immutabilis ſemper eſt; Sed afficitur diſpoſitio, conſtitutio vè, qua corpus animæ ſubeſt, eiuſque fungendis munijs conſecratum eſt; Siquidem hæc illa ſolum ſit, quæ alterationem patiatur, atque eadem item ſit, per quam potiſſimum labefactamur, ægrotamus nempe, cum aliàs ſani fuiſſemus. Nam quemadmodum ea noſtri corporis, partium vè eius, naturalis conſtitutio, qua iam nos ab ortu, ſummo naturæ ſtudio, conditi, abſque defectu viuimus, & operamur, Sanitas appellari conſueuit, quippe tunc

pe tunc

pe tunc integro, firmoque corpore, ac omnibus, veluti ſtabili, inconcuſſaque naturæ lege, recte diſpoſitis, nihil læſum, nihil impeditum, nihilque infirmũ videre eſt; Ita contra præternaturalis eiuſdem conſtitutionis affectio, ad quam ferè iam rectum abeſt, & læſum potius illud, impeditũ, infirmumque eſt, per illam quoniam tunc rectus corporis ſtatus euerſus, maculatus vè ſit, morbus meritò nuncupatur; Et quidem ſi ita affectio hæc a præſcripto naturæ decedat, vt noſtris obeundis munijs vim aliquam inferat, palamque inſidietur; Quoniam ſecus ſi fuerit, aliud omnino cẽſeatur, etiam ſi affectio præternaturalis quodammodo videatur; Quando ſalutaris conſtitutio in indiuiſibili neutiquam ita conſiſtat, vt nullam ſui pœnitus latitudinem habere apta ſit; Alias quandoquidem facile nimis nos ægrotare oporteret, cum externis quamplurimis, procatarticisq; cauſis, perpetuo immutemur, & ab inſito ſtatu paſſim decedamus, immo interuiuendũ, ætate progrediente, innata ipſa conſtitutio, longo rerum vſu, & conſuetudine, ferè amittatur, nouaque ſuccedat, interim autem non ægrotemus, etiam ſi preter inſitam conditionem permutemur, ſed ſanos eſſe nos perpetuo cernimus, & confitemur. Quare niſi eo tandem proceſſerit exceſſus, vt iam homini conſpicuè moleſtus appareat, vel eius functiones euidenter offendat, nondum ille morbus dicendus eſt: Merito igitur morbus diffinitur, noſtri corporis affectio præter naturam qua nobis indita conſtitutio labefactatur, vt obeundis ideo munijs non ſatisfaciat. Cæterum quod hæc illa nobis a natura inſita conſtitutio, qua citra noxam viuimus, & operamur, cuiuſque integritate ſolum, quilibet ſe ſanum corpus habere animaduertit, vnum quidem eſſe videatur ex quo, quaſi vna conditione, in vitæ gratiam, humanum donari corpus cenſeatur, non verè tamen vnum, & illud ſimplex eſſe certi ſumus ſed aggregatione tantummodo, atque conſenſu, ex quo nempe partium plurium, natura differentium, ad vnum, in vnumque, iuſto concentu coeuntium, complicatione tantummodo, corpus noſtrum conſiſtat. Ex partibus ſiquidem duorum generum neceſſario, humani corporis fabrica, propter vitam, ab origine componatur; Ex ſimilaribus videlicet, & diſſimilaribus. Similares namque ſunt, ex quibus tanquam primis fabricæ elementis, vniuerſalis hominis machina conſtat, velut carnes ipſæ ſunt, oſſa, nerui, & reliquæ his finitimæ partes, quæ in ſe totis ita ſimiles, vniuſque rationis exiſtunt, vt in partes alterius naturæ diuidi minimè poſſint, ſed quãcunque cuiuſuis harum integrantem portionem aſſumas, hæc toti, & ratione, & natura communicet: Diſſimilares autem partes ſunt, quæ ex ſimilaribus primò conflatæ, hominis demũ ſtructuram, operibus animæ inſeruientem, coficiunt, vt putà ſunt, celebrum, hepar, cor, & reliqua plura animæ noſtræ munijs obeundis deſtinata inſtrumenta, quæ ex ſimilaribus partibus conſtantia, conſequenter ita diuerſæ naturæ alias partes habent, vt ſi in has illæ ſubdiuidantur, meritò in partes variarum rationũ diuidi planum ſit. Ex his itaque ſimilaribus, & diſſimilaribus partibus, cum ab origine corpus noſtrum fiat, ſanè ex ſuppoſito, conſtitutionẽ non vnam omnibus, totique cõmunem, confiteri dignum eſt, ſed, ob varietatem, ſingulis his partibus propriam, determinatamque inditam eſſe, per quam tamen ipſæ dirigantur in vnum, cuius integritate ſanum ſe eſſe quilibet animaduertat, peruerſitate autem ægrum; Adeo vt non carnis, nerui, aliarum vè ſingularum tantum ſimilarium partium conſtitutio ad ſanitatem deſideretur, vt inquam ſanus homo viuat, verum amplius cerebri, hepatis, & partium denique omnium permixtarum, diſſimilarium

nempe

nempe concentus, & iuſta diſpoſitio neceſſaria ſit, vt videlicet totum rectè ſe habeat, & operationes denique omnes illius integræ, illeſæque compareant. Et porrò id verum cum ſit, licet multiplex generum morborum conſtituendorũ ratio videatur, præcipua tamen, & ſumma, ex varijs partium dictarum conſtitutionibus, colligenda eſt, quandoquidem morbus earumdem deprauatio cenſeatur. Quare veluti partes noſtri corporis aliæ ſimilares, & diſſimilares aliæ ſunt, quarum peruerſa conſtitutio, morbus dicitur: Contra verò, recta, proporrionataque diſpoſitio, ſanitas eſt; Ita ſanè ſummũ genus morbi duplex eſt, Similare vnum, & Diſſimilare alterum; Quoniam ſi ſimilares partes innatam conſtitutionem amittant, tunc vnũ morbi genus, nempè ſimilare adeſt; Quod præterea in alia ſubalterna genera diuidi conſueuit; ex modis præſertim quamplurimis, quibus pars vnaqueque talis de optimo, & naturali ſtatu decedit; Vniuerſim autem à recto, & ſano ſtatu, inſita ſimilaris partis conſtitutio decidit, cum potiſſimum qualitatũ primarum, frigidi inquam, calidi, humidi, & ſicci, innata proportio deſit; Vnde & aliarum quamplurium qualitatum determinata conditio pendet, vt raritatis, denſitatis, mollitiei, duritiei vè, & aliarum, ex quarum defectu, non minus ac ex illarum, morbus habet originem. Similium etenim qualitatum proportio hæc, quã nos appoſitius temperamentũ nuncupamus, ſimilaris ideo partis, bona, vel mala cenſenda conſtitutio eſt, quoniam cum determinata, & propria ſit mareriæ illius ad formam diſpoſitio, per quam inquam, quaſi inſtrumento, eius ſimilare corpus, ex forma conflatum, & materia, perfectam ſeruar exiſtentiam, ſuaque benè obit munia, ſanè vt intra eam, conſiſtentia, ſanitas eſt, nempe tum eſſendi, tum operandi ratio optima, ita contra receſſus ab eã, morbus erit, partis videlicet labefactatio, per quam neutiquam propriis muneribus illa ſat eſt. Receſſus autem iſte iure duplex videri debet; Aut ſanè per manifeſtum alterius vis ex primis ipſis ad temperamentũ concurrentibus qualitabus aliunde aduentantẽ exceſſum, defectum vè duntaxat, vt putà maioris, minoris vè caloris, ſeu frigoris, vel alterius; Aut per ipſiuſmet temperamenti totius, quatenus illud certum quoddam, determinatumque qualitatum plurium refractarum dicit concentum, ab aliquo illi directè, adamuſſim, & in quantum tale eſt, aduerſo, alicundè obtingenti, architectatam corruptionem: Quamobrem ſimilarium morborũ duplex genus eſt; Vnum putà manifeſtarum qualitatum, quod ſimplex intemperies nuncupabitur; Alterum verò totius temperamenti, quod propriè à toto temperamento, recto ſcilicet tramite diſpoſitioni vitã conſeruanti aduerſum, appellabitur: Atqui vt prioris generis tot ſpecies eſſe cenſentur, quot ſunt, qualitatum tẽperamentum partis conſtituentium, receſſus a recto; ita tot, tantæque ſunt ſecundi generis ſpecies, quot quãtæque ſunt totius temperamenti diſcraſſiæ. Sunt profecto primi generis ſpecies multæ: ſunt & ſecundi generis non paucæ, Sed has in preſenti, vniuerſim duntaxat de morbis tractaturus, particulatim recenſere deſiſtã. Cæterum dum inſtrumentalium, ex ſimilaribuſque compactarum partiũ, concentus, vt dictũ eſt, perturbatur, Diſſimilare iampridem morbi genus fit, quoniam corporis etiam conſtitutio labefactetur, quæ in partium diſſimilarium recta ſymmetria collocatur, ex qua tum eſſe noſtrũ, tum operari ſecundum naturã pendet. Perturbatur verò multifariam, & primum, cũ propria innataque conformatio, ſeu figura, ad propriũ munus obeundum aptiſſima, quomodolibet deſinit, ruditate ſcilicet accedente quadã, & informitate perfungendis muneribus minime apta; cum ad rectè agen-

dum

dum oporteat vt componentes partes iuſtè conformentur, & concinnitate figuræ ſibi conſentiant. Ad hæc diſſimilaris etiam affectus adeſt, ſi partes eędem, aut ſupra conuenientem naturæ modum increuerint, aut infra ſubſtiterint, & a debita magnitudine deceſſerint, quæ certa cuique indita eſt, extra cuius limites vitium oboritur. Amplius quoniã quæ diſſimilares vocantur partes, ſimilarium partiũ, ex quibus conſtant, certum, diffinitumque numerum ſortiuntur, morbus propterea diſſimilaris accedit, cũ componentium partium numerus, vel exuberat, vel deficit, vt quantus eſſe debeat, preciſè tantus non ſit, ſed a proportione decedat. Et tandem etiam vbi partes ſingulæ aptè interſe cohærentes, conſentientesque non fuerint, vt quoniam ſaltem perperam collocantur, vel ſolutione laborant; quod neutiquam pro voto ſibi inuicem ſeruiant, merito altera diſſimilariũ morborum ſpecies fit; Ita vt diſſimilare morbi genus, ex componentium partium mutata forma, magnitudine, numero, atque ſitu, ſuas præcipuas diffentias habere planum videatur, quamuis vltro, ex quo eędem partes, omnes multifariam per has differentias à recto turbari aptæ natæ ſunt, omnino ideo alias plures inferiores obſeruari eiuſdem diſſimilaris morbi differentias certum ſit. Verum enim verò hæc enarrata morborum genera, ſpecies vè, quamplura ſequuntur accidentia, ea quaſi ſola eſſe non poſſint, ſed multiplici potius horum accidentium comitatu vndique neceſſario ſepta. Accidentia autem hæc, Simptomata, medicis nuncupantur, quaſi à morbis, cauſiſque eius immediatè, vel mediatè deriuantia, morborumque præſentiam quomodolibet inſequentia. Eſt porrò Simptoma, quidquid præter naturam morbũ, vel cauſam inſequitur; neque morbi rationem habet; Et licet plerunque morbi morbũ comitentur, hi tamen nullatenus ſimptomatis rationẽ habent, cũ ad genus, ſpeciem vè morbi certã referantur; Sed ſimptomatici morbi potius, latiori quadam denominatione, appellandi ſunt; Quare quod ſolum præter naturã in corpore reperitur, morbumque ſimilarẽ, vel diſſimilarẽ, vt propriam cauſam inſequitur, ſimptoma eſt, cũ ſimilaris, vel diſſimilaris non ſit deprauata partiũ conſtitutio, quæ vere morbus eſt, ſed deprauatam duntaxat conſtitutionẽ ipſam, & ex conſequenti morbum comitetur, vt vmbra corpus. Et quamuis plerunque fiat, vt nec ſolum ſimptoma ex morbo, vt à cauſa, contingat, verũ vt etiam ex ſimptomate morbus, tanquã ex legitima cauſa ſit, nullomodo tamen amborũ, morbi ſcilicet, atque ſimptomatis, rationem confundere congruũ eſt, ſed vtriſque ſua, quæ propria, peculiariſque, condonanda ratio eſt; Eſt verò ſupræmũ ſimptomatum genus, ipſa actio læſa, quam poſtea ſequuntur innumera alia, quæ multifariam præter naturam fieri apta nata ſunt. Etenim, ex corrupta, deprauataque partiũ tam ſimilarium, quam diſſimilariũ, conſtitutione, non niſi perperam conſueta noſtri munia exercentur, ſubinde verò licet multa mala contingant, ea tamen ab vno actionũ vitio primũ proueniunt, ſuntque vel morbi, ſimptomatis vè ſigna, vel mauis cauſæ, ſiue principia, niſi fortaſſe etiam morbi ſint, ſimptomata vè, vt iam fieri poſſe præmiſſum eſt. Viſtiata autem actio hæc, vt modis plurimis obſeruari conſueuit, ita plures ſub ſe continet ſimptomatũ ſpecies; Vitiatur enim aut ablatè, aut diminutè, aut auctè nimis, aut præterea corruptè, quandoquidem læſionis modus alius ab his non obſeruetur. Etenim primũ euenit aboleri, quando deſinit, & prorſus denique ceſſat, nec amplius ad extra in actũ erumpit. Verũ præter naturam diminuitur, vt cũ minus quã congruat eã exerceri apparet; Aut mauis augetur nimis, quandocunque modũ excedat, & quaſi

& quaſi violento impetu foras ſe prodat. Atqui vlterius corruptè exercetur, cum præpoſterè omnino, ordineque, vel modo peruerſo fit. Quamobrem varia cum ſint, multipliciaque viuentis corporis munia, quæ per ſanitatē, certo modo, certaque ratione, pro ætate, ac conſtitutione naturæ noſtræ congrua, obiri conſueſcunt; hinc profectò fit, vt innumera etiam ſimptomata in ægrotantibus obſeruentur, quatenus multipliciter ſingula in ſingulis, vt dictū eſt, vitiari aliquando poſſint; fitque præterea vt hinc tam ingens rerum præter naturam numerus in nobis inſurgat, vnde, apertis vitæ periculis, inſidiemur; Immo cum vel hac ſola morborū, atque ſimptomatū conſequentia, raro ſimplex morbus accedat, quoniam vel fortaſſe etiā permixta illius cauſa eſt, fit etiam vt plurium morborū, ita etiā ſimptomatū, complicatio multiplex obſeruetur, quod vnius ſcilicet, vel alterius generis illa, aut ex vno morbo, aut ex pluribus, mediatè, vel immediatè emanantia, inuicē confundantur; adeo quod poſt morborū atque ſimptomatū prima, certaque genera, merito etiam variæ eorundē differentiæ conſtituantur, cum ex tanta eorum varietate, multiplices quoque naſci eorumdē diſtinctiones oporteat, de quibus ſaltem vniuerſim hęc indicaſſe ſat ſit; Iam morborū omnium communes cauſas indagemus.

QVAE, ET QVOT SINT *cauſæ vnde morbi, ſimptomataque ducunt originem.*

CAPVT SECVNDVM.

CAVSAE vnde ægrotamus, quoniam non ad morborū rectā curationē duntaxat perquiruntur, verū adhuc ad eorundē cognitionē, quæ curationem antecedit, deſiderantur; Omni conatu ideo Medicis, quibus rationalis medendi viæ cura eſt, prænoſcendæ, præmeditandęque ſunt; Porrò cum morbi, ſeu mauis ægri conditionē ſcire oporteat, antequam ei ex arte remedia adminiſtrentur, nulliuſque rei iampridē queat haberi cognitio, cuius ignorata adhuc principia videantur; hinc cauſſarum, quæ ægrum efficiunt, conſeruantque obſeruatio anteponenda eſt, vt nempe habita ipſarū notitia, dein liceat aduerſus morbos inſurgere. Harum itaque tria genera tantum neceſſario ponete conſueuimus, materiæ videlicet, formæ, & efficientis, vel ex eo ſanè, quod vnūquodque de nouo faciendū, cauſſam imprimis expoſtulet, à qua in actum producatur, cum nihil ſeipſum efficiat, producat vè; Secundo ſubiectū aliquod deſideratur, in quo, & ex quo, tanquam ex ſubſtrata materia, res ipſa ſubſiſtat, quoniam ex nullo ſuppoſito ſubiecto, nihil omnino fiat; Demum tertio, aliud neceſſario ad rei conſtitutionē requiritur, quod formæ rationē habeat, cuius putà præſentia, ad nouā agentis in ſubiectū efficientiam, aliquid tandem, hoc eſt effectus, de nouo emergat. Naſcentis morbi ſubiectum, corpus humanum, vel pars eius exiſtit, quandoquidē morbus eſt præternaturalis affectio ſymmetriæ totius, vel partiū, aut ſimilarium, aut diſſimilarium, vtut ergo ipſe contingat, ſemper corpus, vel illius partē afficit neceſſario, in corpore idcirco, vel partibus ipſius, tanquā in ſubiecto, morbus ſedem habet. Præterea forma eſt morbi ſpecies, quæ corpori vniuerſo, vel

mauis

Digitized by Google

manis patti eius, veluti materiæ, impræſſa, ægrum conſtituit. Atqui efficiens, omnium ex his, quæ à Medico perpenduntur, cauſſis, præſtantiſſima, ac princeps, ea iure cenſenda, quæ dum in noſtra agit corpora, ea tandē de bono, priſtinoque inſito ſtatu deturbat. Et harum equidem cauſſarum omniū in ægris inquiſitio, non tam ſciendi, quam & curandi gratia, à Medico deſideratur; Quoniā morbi ſpecie plenè perſpecta, ſiue ſimilaris ea, ſiue diſſimilaris exiſtat, vel demū ſimptomatica ſit, planum conſequenter fit, quibus nā remedijs curatio eius inſtituenda ſit: Sed deinde ipſa ſubiecta materia explicata, quæ non vnius, nec eiuſdem rationis in omnibus viuentibus eſt, pro conditione, intercurandum, ſingulares præbet artis vſus. Efficientibus verò omnis generis intellectis, præcognitiſque, quid puta morbū gignat, augeat, foueatque, ſiue primo, ſiue ſecundo, ſiue item per ſe, ſiue per accidens, alio vè quouis pacto contingat, tota profectò præſentis, atque futuri præternaturalis affectus medicina concipitur. Quare licet harum cauſſarum numerus cognitus, & perſpectus cauſſandi modus, ad rectè curandū maximè faciat, vt earum perinde omniū indifferenter habenda ratio videatur; Efficientis attamen principij, à quo morbi fomes, & origo dependet, præcipua habenda obſeruatio eſt, cum, ad ſanandū, illud præcipuè demoliatur; Atqui primum quod nam illud ipſum ſit, & quotuplex; Deinde verò, qua vi, idem met, corporis noſtri conſtitutionem, tam ſimilarem, quam diſſimilarē, peruertat, inquirere operæ pretium eſt. Sanè autem multa ſunt, vnde, tanquam ex efficienti, morbus habet originē, cum multa, diuerſaque ſint illa, ex quibus conſtitutio corporis perturbatur; atque equidē ea, quæcunque ſint, planū eſt ad certum ordinē redigi huc uſque nunquā à quopiā potuiſſe, quando eadem plerunque indifferenter agant, & morbum ipſum indiſcriminatim facere apta nata ſint. Attamen quamquā res ita ſe habet, vt plurimum nihilominus euenit, quod omnes morbi ex efficientibus duorū generum trahant originem, quoniā vnum remotum, ac mediatum eſt, & alterum proximū, immediatūque nuncupatur. Remotum efficiens principium eſt, quod morbo futuro manifeſta parat initia, eumque mediatè tantūmodo excitat; Proximum autem eſt, quod morbum præſentē immediatè facit, atque conſeruat; Quorum quidem amborū ideo magna eſſe debet conſideratio, quod ipſorum vnū, morbo occaſionē, & fomitem paret; alterum autē morbum ipſum, illius quoniam fomes, eū ideo proximè cauſet, ac nutriat; adeo vt niſi vtrunque optimè cognitū, penitus tandem demoliatur, impoſſibile omnino ſit amiſſam ſanitatē adipiſci. Etenim ferè ſemper morbus tandiu perſeueret neceſſario, quandiu proxima illius cauſſa perdurauerit. Inſuper autē proxima ipſa cauſſa euſque conſiſtat, vigeat vè, quouſque remota illi occaſionē præbuerit, vt puta quod conſequenti adhæſione, proxima cauſſa ex remota proueniens, omnino ab ea manifeſtam originē habeat. Et quamuis interdum ex vna cauſſarū duntaxat morbus oboriatur, & fiat, quod in illa ſufficiens, tam remotæ, quā proximæ ratio cauſandi contineatur; ex duabus nihilominus his inuicē conſequentibus, vt dictum eſt, morbus vt plurimū euenit. Itaque cum diſcendæ res omnes, & cauſæ ſint, quarum vi, tā ex remoto, quam ex propinquo in morbos incidimus, meritò ab his, quæ ex remoto nos facile turbant, ſumpto principio, ſtatuendum nobis eſt, vnum, quod ab omnibus paſſim, & cōmuni conſenſu recipitur; Nēpè quodcunq; quod nos, per ſummā ſenſuū euidentiam, interuiniendum, exercens, ita immoderatione nimia

concutiat, vt optimum vitæ ſtatum deturbare ſit aptum, illud met euidenter, nolimus, velimus, morborũ ſaltem occaſionẽ eſſe, perindeque t inquam ex remoto, ad morbos nos promptos efficere. Eſt verò illud, vel fortuitum quodpiam, & caſu contingens, cuius ſanè vt ratio nulla, ita que lex vlla decerni aliquando potuit, vel quod neceſſarium eſt, quod inquam perpetuo, & neceſſario ita nobis ferendum eſt, vt ſine eo viuere, nobis nullo modo liceat. quod vtique, vnius ex tribus generibus eſt; Aut enim primũ eſt, quod extrinſecus accedens, ſuo nos ambitu afficit; Aut ſecundum eſt, quod intrinſecus aſſumptum, receptu ſuo, nos palam immutat; Aut denique tertium eſt, quod in nobis ex ipſiſmet factum, ſuo ſaltem opere nos alios reddit. Ad hæc ſiquidem tria quodcunque deducitur, quod nos per vitam ſua immoderatione concutiens, euidenter morbis facit obnoxios, ac veluti ex remoto, in nobis morborũ principia parat; Veluti contra, ſi probè, & opportunè præſto ſint, optatam ſanitatẽ incolumem, intactamque, ad ſtatam vſque vitæ periodum, ſeruant. Ad primũ genus, quod ambientiũ eſt, aer iurè deducitur, in eo etenim cum nos perpetuò de neceſſitate verſemur, eumque coacti, ad inſiti caloris euentilationẽ, inſpiremus & reſpiremus, vtique per rerũ cuncta meabilis, in omne corpus perflabile, mox quaſi momento diffuſus, nihil vſquam noſtri intactum relinquit, vnde is quacunque coinquinatione donatur, ea ipſa, in intima quæque penetrans, ita contagio afficit, vt illius vis maxima, efficaciſſimaque ad morbos infligendos cenſeatur, & ſit; quippè ipſe vnus omnia pariter attingens, & nuſquam æquè omnibus cõmodè congruens, cuius preterea non vt ceterorum incommoda declinentur, puta quod ſui emendationẽ raro expectet, proprijs vitijs omnia perfundat, & malis innumeris præcipua occaſio ſit; quando vel manifeſtis, vel occultis, aliena inquinatione, impræſſis qualitatibus, occultè etiam, aut manifeſtè, immediatè, vel mediatè morbos exuſſitet. Poſt aerem ipſum, ad idem genus reducuntur, quæcunque corpus contingenter ab extra ſuo circondant ambitu, vt veſtimentum, ablutio, vnctio, aliud vè, quod vel hac eadem ambitus occaſione, quacunque qualitate donetur, eandem omnino cõmunicet corpori; Ad ſecundum verò genus, quod aſſumptorũ eſt, cibus, atque potus, ſiue paſtus ipſe reducitur, quo nos ipſi nutrimur neceſſario; Quoniam eſculenta, poculentaque, corpus noſtrum perpetuò diſſolubile inſtaurantia, magis ac etiam magis hoc illud præſtare apta ſint; quia inquam intimis recepta viſceribus, dum ſoliditate ſua deperditum reſtituunt inhærendo, permanendoque, validius, & contumacius, quam ipſe celeriter permeans aer, noſtrum corpus afficiunt, & neque ſimplici, vnico vè duntaxat modo, ſed multiplici, varioque; putà quod non aduerſa qualitate ſolum, verum & excedenti quantitate, & incongrua temporis opportunitate, venturis morbis occaſionẽ præbent. Aſſumpta enim quin multis modis afficiant, impediri nunquam poſſunt, quin inquam tunc gignendis morbis pabulum ita, occaſioneque ſuggerant, vt ideo ſæpe illi repentè errumpant, nullo quaſi præincipientis occaſionis apparentis impulſu. Atque ad hoc aſſumptorum genus rediguntur etiã quæcunque, ſiue medicamenta, ſiua aliude quoduis, quod quomodolibet fortuitò in corpus noſtrum immiti aptũ ſit, cuius porrò præſentia, aut aſſumptione, alteratio ſebſequatur. Vltimo in genus tertium, eorum ſcilicet, quæ a nobis, in ipſis met quomodocunque geruntur, geſtaque, euidentes morborũ occaſiones eſſe poſſunt, exercitia deducuntur omnis generis, quæ tum corporis, tum animi ſunt, quo-

rum

rum ſanè modus exuberans multorũ morborũ origo eſt; Nam dum viuimus perpetuo exercemur, cum operatio pręcipuum vitæ noſtræ, munus & officium ſit; Exercemur autem multifariam, cum alias mente, aliàs ſenſu, & aliàs demũ motu exercitemur; Quippè mente, ac ingenio ratiocinemur, diſcurramus vè paſſim, & contemplemur; Senſu verò frequentius ſenſibilia omnia, multiplici occaſione percipiendo, pertractemus; Et ſæpius item ad obiecta amplectenda, euitanda vè, corpore toto moueamur; Quamobrem fit vt hoc eodẽ exercitatiònis actu, multipliciter, ac variè, non ſeruata præſertim quantitate, nec modo, aut item opportunitate neglecta, corpus noſtrum, vel per ſe, vel per accidens, præter naturã immutetur; Quoniam cum inter exercendum ſpiritibus multis egeamus, neceſſeque ſit ex his multos interim abſumi, ita vt modo non ſeruato, plures quam expediat omnino deficiant: deficientibus autem illis, cuncta in nobis euerti certũ ſit; præter naturam ideo nos tũc immutari neceſſe eſt. At neque id ex ſolis exercitationibus, tum mentis, tum corporis, fit, ſed adhuc ex ambobus contrario; Siue illud ſomnus, qui vigilijs aduerſatur, ſiue demũ quies ſit, quæ motui eſt prorſus aduerſa; Ex his enim iuſtitiam excedentibus, proximis morborũ cauſis, maior, minor vè ſubminiſtratur occaſio; Siquidem hinc corpus omniquaque torpeſcat, quod ſpiritus offundantur, pręfocenturque, vt ideo proſequendis naturæ munijs minimè ſat ſint, perindeque inſitę conſtitutionis reparatio nulla, vel diminuta ſequatur, vnde poſtmodum morbis innumeris occaſio multiplex adueniat. Et ad genus iſtud reducuntur quotquot non a nobis tantum, ſed ab alijs in nobis etiam commotiones corporis fiunt, aut qui caſu contigerint impetus, ex quibus corpus quomodolibet præter modum concutiatur, agitetur vè. Atque de remotis morborum cauſſis ſint hæc; de immediatis & proximis modo dicamus; hæ etenim ita à remotis iam dictis, connexione quadã, ſeu neceſſaria cõſequentia, excitatæ, morbũ in corpore immediatè producunt, productumque ad exitum vſque fouent, vt ferè quandiu illi aſſiſtant, incumbantque, eum ipſum tandiu conſeruent, & augeant; Contra autem ſublatis, ille promptè deſinat, ac vnà demoliatur; Sunt autem hæ variæ, atque diuerſæ, quę vt in ordinẽ certum omnes redigi nullo modo poſſunt, ita neque certa quadam methodo ſcrutari, explicari vè poſſunt; Etenim planum eſt, etiam quas remotas diximus morborum cauſſas, ſæpe eorumdem eſſe propinquas, perindeque interdum, & remotum, & proximũ, vnum, ac idem illis fore principium; adeo quod morborũ proximas cauſſas, determinato ordine, cõpræhendere penè impoſſibile cenſeatur; Vtcunque tamen res ipſa ſit, quoniam quodcunque, quod vt plurimũ contingit, alijs non neglectis, accuratius obſeruandum eſt; atque in nobis paſſim, ac frequenter, ex præuijs iam indicatis morbificis occaſionibus, primũ, ex inſitis autẽ, noſtroque corpore contentis humoribus, poſtmodum, ita morbi fiant, vt ex eiſdem etiam vltro comitantibus, euidenter foueantur, & conſeruentur. Oſtendit hoc illorũ ſanatio, quæ citra horum humorũ correctionẽ & ab omni illorũ peccato emendationẽ, quamuis omnis ſublata præincipiens remota cauſſa ſit, nunquam tamen conſequitur. Meritò igitur rationi conſentaneum eſt, tales ipſos humores, proximum, immediatumque, vt plurimũ, contingentiũ morborum principiũ eſſe, quod illos ipſos, vt dicebamus, tamdiu conſeruet, & augeat, quamdiu eis aſſiſtit, & incumbit, ſublatum verò nihil amplius vrgeat, ceſſentque neceſſario illi, & deſinant. Sunt quidem humores hi, fluxiles,

& liquidæ quædam ſubſtantiæ, in quas aſſumptus paſtus. alteratione præuia, tranſmutatur; quæ inquam, non quod vtile tantum, & ad inſtaurationē aptum natum eſt, ſub ſe cōpræhendūt, ſed & quod inutile, ac excrementitium iudicatū eſt, ſua adhuc ſignificatione amplectuntur, vt perinde omnis humida, fluxiliſque ſubſtantia, quæ certis noſtri corporis ſedibus continetur, ea ipſa humoris nomine donanda videatur. Etenim duorum generum humores hi in nobis ſtatuendi ſunt, vtilium videlicet, & inutilium, & meritò quidē, quod concoquens naturæ facultas oblatis licet alimentis æqualiter ſe ſe exhibeat, in eaque pari robore, atque conatu, caloris inſiti vi, vbique incumbat; fieri tamen nequit, quod ob ſubſtantiæ eorum varietatē, vbique hæc parem in partibus ſingulis modū ſubeant, quin mauis diuerſitas in eis non parua, euidens. & manifeſta ſequatur, per quam aliquæ vtiles iudicentur, & inutiles aliquæ; Immo cū non repentè, ſed longo, continuatoque caloris appulſu, aſſiduoque opere, in pluribus noſtri corporis vaſis, id præiudicati diſcriminis ſubeant, puta in ventriculo, hepate, & partibus quibuſque ſingulis neceſſario fit, vt ſicuti quod ex his vtile eſt, ex diutina elaboratione magis purum euadit, ita conſequenter ex eadem, quod inutile eſt generoſius ſeparetur; Vnde poſt ſanguinē, qui vtilis humor illè nuncupatur, quo ſufficienter corpus vniuerſum inſtauratur, reliqui humores omnes inutiles tribus generibus comprehenduntur, nempe pituitæ, bilis, & melancholiæ. Pituita vniuerſim is dicitur humor, qui ex ineptiori paſtu crudior, & imperfectior, indeque frigidior eſt, tum quā iuſto operi congruat, quo proximè ſuo vaſe elaboratus eſt, tum item quā rei alteri æquè reſpondeat, in quā mox ille permutandus eſt. Bilis humor eſt, qui vt ex omnibus maximè calidus, ita vehementiori, ac diuturniori caloris ope, quouis ille vaſe reſideat, elaboratur, conficitur vè, vnde accedente paſtus habilitate, per aduſtionem, vtilis ſucci modum prorſus excedit, nec nutritioni ſatisfacit. Melancholia humor eſt, reliquorum quaſi omnium humorum ſordes, ſiue fex, quæ in tenui paſtu, poſt validum quoquomodo adurentē, atque in craſſo, poſt debilem diminutè conficientem, naturalis facultatis coctionem, in vaſe reſidet, vt nuſquam nutritioni inſeruiat. Cæterum quamuis inutiles, & excrementitij humores hi, vnà cum vtili, dum pabulum nutritioni ſuggeritur, longa licet, continuataque operum ſerie, certis noſtri corporis ſedibus, manifeſtè ſecernātur; ipſi nihilominus nondum vitio perturbati, ſed ſtatis naturæ legibus, caloris nempe coquentis beneficio, aſſeruati, nihil ſanitati noſtræ obſunt; attamen contra ſe habentes, neceſſario morbis tam ſimilaribus, quam diſſimilaribus cauſſam præbent. eamque prauam magis, minus vè, pro ipſa humoris peccantis natura. & vitio maiori, atque minori. Ea autem ratione ſe habent vt morbos efficiant, quoties tum qualitate, tum quantitate peccauerint, & à iuſto naturæ deceſſerint; Quod equidem non inutilibus duntaxat humoribus proprium eſt, verū, & vtili, qualis optimus ſanguis eſt, cōmune videtur. Qualitatis peccatū adeſt, ſi quando humores, vel vtiles, vel inutiles. excrementitij vè ſint, iam tamen eo deuenerint, quod inſitam, & pro conditione propriam qualitatum ſymmetriam ita amiſerint, vt vltro ideo conſuetis finibus nequeant contineri; quin inquam extra erumpentes, perniciem euidentē importent; Veluti ſanguis, qui quamquam ſua natura ſuccus nutritioni conuenientiſſimus, nihilominus ſi pridem perfectus, dein externis ex cauſis, deuiet à recto, vt mox propriam ſymmetriam amiſerit, inutilibuſque ſuccis palam conſenſerit, iam ad corruptionem

nem

Digitized by Google

nem ita diſponitur, vt interdum vitæ ſummè ſit inſenſus. Verum pituita, quæ crudorum ſuccorũ inepta portio eſt, quo magis innati caloris ope ſit deſtituta, eo ſemper magis deuiat à recto, crudior enim eſt, & ad deterioris mali productionem paratior; quo autem magis extraneo calore mutatur, eo valentius putredine tentatur, fitque ex inſipida accida, & ex hac ſæpe ſalſa euadit. Accedit bilis, tenue excrementũ, quod dum vltrò quam par ſit, inæquali, & externo calore conficitur, à conſueta naturalis bilis conditione deuiat; & inprimis dum vitelina, ouorum ſcilicet vitellis ſimilis fuerit; Deinde cum rubra, & eruginoſa; poſtmodum dũ cærulea; & vltimo dũ fuſca, nigraque redditur; Succeſſiuè enim per gradus valenter exuritur, acriſque fit, & naturæ magis inimica. Sed melancholia, quæ fœx ſanguinis eſt, alteratur etiam ita, vt ferè ſæpe tales pariat effectus, qualis nigra bilis parit, quamquã ſemper mitiores, cum licet craſſitie, & colore conueniant; calore tamen valdè longè differunt; hæc quoniam frigida, illa autem acris, & calida, quia exuſta ſit. Atqui præterea quantitatis error præſto eſt, cum humores ijdem præterquã par ſit ſe habuerint, hoc eſt tam vtiles, quã excrementitij, inutiles vè, ita propriã menſuram prætergreſſi fuerint, vt naturæ vires illam ferre vlterius nequeant, conſequenterque permittant illos peſſum euntes palam vitæ inſidias machinari. Tot æquidẽ, talesque ſunt cauſæ, tum remotæ, tum proximæ, quibus vt plurimum, ex ordine, corpus noſtrum multifariam ſæuiſſimis malis afficitur. Quamquã vt remotæ proximas, humores inquam, quos morborũ in nobis proximas ſtatuimus eſſe cauſſas, aut præter naturali qualitate afficiant, aut tandẽ etiam materiã illis de nouo ſuggerant, per quã à iuſta quantitate deuient; Iure proportionẽ ad corpus noſtrum quandã, & ad agendum in illud cõmoditatẽ habere operæpretium eſt; putà quod vi donentur ad cauſandũ ſufficienti, quæ inquam ſuperet corporis, & denique humorũ in eo, reſiſtentiam; contra, noſtro corpori, humoribusque in eo, ad recipiendũ, ita habilis diſpoſitio inſit, vt per illam facile immutatio fiat. Sed ſi poſtmodum de humoribus, proximis videlicet morborum cauſis, ſermo ſit, certè vt ex illis proximè morbus procreetur, illud vnum in his neceſſario deſideratur, quod videlicet, aut per ſe, aut per accidens, ita propriam malitiã corpori, vel partibus eius impertiant, vt ex ipſis tandẽ præternaturalis affectio fiat; per ſe quidem dum per ſuam præſentiam, vel congeſtione, vel fluxione, tranſmiſſione vè, patratam, ſufficientẽque agendi vim, proximè, nulliuſque interuentu, agant; per accidens verò, dum ſaltẽ alio quopiam interpoſito, vel per alterius conſenſum, idem præſtent; qui vtique conſenſus ex omni partium corporis ſympathia ſemper ducit originẽ. Sed quõmodocunque ad morbi productionem humores concurrant, profectò cum iam ex his, ille partim ſit factus, partimque ſit in via, nec per initia ſtatim, ille ex humorum peccato totus factus videatur, rationi propterea conſentaneum eſt, huiuſmodi proximam morbi cauſſam verè non vnam, ſed duplicem eſſe, coniunctam videlicet, & antecedentem. Humor enim qui peccat, in corporeque reſidet, & morbo facto proximè adhæreſcit; cum illum à principio ad finem vſque comitetur, verè cauſſa eius coniuncta dicitur; Qui autem humor peccans, in corporeque reſidens, pabulum morbo futuro præbet, ipſumque ideo fouet, quod coniunctam cauſam nutriat, antecedens hic eiuſdem cauſa dicitur; Adeo quod inter quærendas ipſius morbi cauſas, vt cuiuſuis earum diligens ſit examen, neceſſario à prima ad vltimam, nulla neglecta, proficiſci eſt opus, quod ita morbus

clarius

clarius innoteſcat, illiuſque curatio perfectius. accuratiuſque celebretur. Et vniuerſim de communibus morborum cauſſis hactenus ſatis. Simptomata verò, quæ morbos immediatè, vel interdum etiã mediatè, vt diximus, conſequuntur, ex ipſiſmet morbis, tanquam ab origine, pendent; Quando ex morbo primũ, partes ſimilares, & diſſimilares, actionibus inſeruientes, labefactentur; Ex morbo autem intelligas velim, hoc eſt, ex aliquibus eorum, que faciendo morbo neceſſario requiruntur, quæ ſunt ſpecies, efficiens, atque ſubiectum; Etenim non ex omnibus his ſemper, ſed ex quibuſdam duntaxat, ſimptoma fiat; Quare vel ipſa morbi cognitione præmiſſa, euidens ſemper ſimptomatum cauſſa centebitur.

QVIBVS NOTIS, AC SIGNIS, & qua demum ratione ex his, morbi, ſimptomatiſque ſpecies dignoſcatur.

CAPVT TERTIVM.

TRia ergo ea cum ſint, quorum Medico intercurandum diligens, & accurata habenda notitia eſt, Morbi nempe ſpecies; Efficiens principium eius; Et inſuper ſedes, vel morbi ſubiectum; Rationi merito conſentaneum eſt, vt qua nam via, ac methodo, vniuerſim, ſingula hæc nobis ſint conſpicua, in poſterum exponamus. Ratum procul dubio apud omnes, firmũque eſt, cognoſcẽdę, percipiendę vè rei deſiderium, duabus vijs tandem aliquando ſufficienter expleri; Aut primo, ſi res in apertum ſe ſe ita ſua præſentia dederit, vt ipſis etiam ſenſibus innoteſcat, illoſque moueat; Aut ſecundo, ſi res alioqui ſenſibus ignota, quibuſdam ſaltem ſuppoſitis, veris, ſenſatiſque præceptionibus, nouo ſuperaddito mentis intuitu, quaſi per medium mente conceptum, quodammodo clarius repræſentetur: Si namque ſenſu res deſiderata percipiatur, expeditèque talis, qualis eſt, à nobis ſentiatur, quia omnino illa ad votum agnoſcitur; ideo nec vltro doceri attinebit, nec opus habebit rationibus cum maximè in ſenſibus veritas reperiatur, ſintque illi integri teſtes; neque vnquam mentiantur, ſi præſertim ſani ſint, atque valentes, nec inſuper illis quidquam occurrat, ex quo impedimentum oriatur. Attamen ſi res ſenſum effugiat, at mente duntaxat comprehendi poſſit, perindeque diſcurſum expoſtulet, ex quo pateſiat, ac demonſtretur; profectò ne fallax inde cognitio, eaque ambigua, qua ipſi fallamur, ſed certa, & vt cupimus, vera, præſto ſit, accuratè medium demonſtrationis eius eſt, perquirendum, quod rei met ita conſentiat, connexumque ſit, vt palam ſimilitudinem, ſpeciem vè illius, in ſe, virtute ſaltem, contineat, ex quo demum quod cupimus, tandem habeamus. Eſt porrò medium hoc, omnium conſenſu, duplex; nempè latentis rei quæſitæ cauſa; & eiuſdem effectus; Ex his quippè duobus; ignotum quod quæritur, ratiocinatione deducatur; Ex cauſis quidem, quod in earum poteſtate res ipſa contineatur, vt ideo, præcedentibus illis, rem candem talem, nec aliam ſubſequutam eſſe credi par ſit; Ex effectis autem rei eiuſdem proprijs, quoniam hi iam à re ipſa manantes, quandam merito præſeferunt

ſeferunt

Digitized by Google

ſeferunt eiuſdem rei efficientis imaginem, per quam conſequenter eius conditio, atque natura repræſentatur. Verum enim verò cauſſas hic nos, non aliquot ſed omnes, eaſque proprias intelligimus; formalē ſcilicet, ſubiectiuam, & efficientem; Tunc ſiquidem, ex communi omniū conſenſu, perfectè, & pro poſſe, cuiuſque rei naturam perſpectam habeamus, cum iam ipſius proprias cauſas omnes, per quas, & ex quibus, eſſe ſuum habet, nos exquiſitè nouerimus; Amplius effectus etiam illos duntaxat hic deligendos eſſe decernimus, qui rei ita proprij, præcipuique sūt, vt non niſi rem talem perpetuo conſequi conſueuerint. Verum adhuc licet ex duobus his medijs, cauſſis inquam, & effectis, tanquam ex certis rei ſignis, deſiderata cognitio deſumenda ſit; ne tamen aliquando fallamur, duo in his diligenter obſeruare eſt opus; Vnum quorum eſt, vt quæ de his dicuntur, in omnibus illis vera ſint, quę ſubijciuntur rei, cuius ſigna cenſentur. Alterum eſt, quod ita veritatem habeant, vt reciprocentur, puta quod ſi talia verè adſint, vel non aſint, adſit quoque, vel non adſit res ſignificata; atque item contra, vbi hæc adeſt, illa quoque aſint, abſint vbi hæc abeſt; Nam vbi vtrunque deſit, ſigna ſunt omnino incerta, & arte pænitus carent: quod ſi alterutrum ſolum fortaſſe adſit, tunc ea plus virium ad faciendam fidem habent, quæ nuſquam inueniuntur verè, niſi in re cuius ſunt ſigna, quam quæ in omnibus talia ſunt, & interdum alibi reperiuntur,, ac perinde minus propria ſunt, ſed communia magis: quod ſi vtrumuis illa obtineant, omnino vera rei ſigna contemplanti congrua æſtimanda ſunt: quamquam deficientibus his, in ſumma rei obſcuritate nitendum eſt, quomodolibet ex aliqua ſimilitudine coniecturam facere, vt aliquid ſaltem veriſimile attingatur, quando longius mens humana progredi non poſſit. Cæterum cum ſigna omnia ad cauſas, vel effectus referantur, vt dictum eſt, effectuum autem magis ſolida, & expreſſa inditia ſint, ac maiorem fidem faciant, quā quæ cauſſarum ſunt; illis propterea tum primum, tum frequentius vti conueniens eſt. Verum tamen eſt, quod ex quo, ſiue cauſa, ſiue effectus ſignū præbeat, raro euenit, vt vnum per ſe ſufficiat, res ideo tunc proprio vno ſigno declarari cum nequeat, multorum concurſu merito vtendum eſt, quia & ſi ſingula fidem non faciant, vnita ſaltem, & connexa, firmum rei teſtimonium præbent. Itaque hæc cum ita ſe habeant, ſanè quandocunque æger medico proponatur, qui merito talis appellandus ſit, vel ex quo ſcilicet ipſe triſtis langueat, nec ſecundum naturā ſit, ſed iam à ſtatu naturæ congruo apertè deceſſerit, vt iure artis opè egeat; Profecto ſi eius conditio, ex proprio ſe habendi modo, pateat, ſenſui nempe ſua præſentia ſit manifeſta, vt nil præterea illius attineat doceri, nec rationibus demonſtrari; ſtatim tunc medicus cognitioni huic acquieſcit, nec vlterius veluti rem incognitam alijs vijs inquiret; puta quod euidens talis iam cognitio adſit, qualis ſi quæ alia verè certa æſtimanda eſt. Attamen quando fortaſſe latuerit, neque ſufficienter in conſpectum illa ſe dederit, vltro ſtatim mente, tum ex cauſſis, tum ex effectis, ratiocinabitur; Ex his ſiquidem mens in recondita penetrans, duobus veluti ex fontibus, ſigna deducet, ex quibus tandem, quod occultum erat, cōmodè eluceſcet. Principio verò, morbi, & ſimptomatis ſpeciē indagabit; Illius deinde ſedem inueſtigabit; Et vltimo morbi, ac ſimptomatis cauſſas omnes efficientes inquiret; Hoc quoniam ordine, vnius notitia ex altero facile pendet; Morbus enim cum ſimptomate cognitus, partibus effectis agnoſcendis plurimū fauet; Atqui vtriuſque notitia, cauſis aſſequendis maximè

ximè iuuat. Quare ſi morbus (vt ab eo ordiamur) interior ſit, noſtroſque ſenſus effugiat, nec ſatis in conſpectum ille ſe det vt plenè cognoſcatur, tunc ex præſuppoſitis, omnium primo effectus illius proprij in ægro patentes colligendi, obſeruandique ſunt omnes, & qualem deinde morbi ſpeciem repræſentent, expendere opus eſt. Morbi duorũ generũ ſunt, alij enim ſimilares, & diſſimilares alij, quorũ effectus in ægro corpore, vt ægrum eſt, plures exiſtunt, quos certè vel morbi, vel ſimptomatis, vel alterius præternaturã contingentis ſpeciem ſapere verũ eſt. Ex his attamen, qui effectus verè proprij ipſius morbi ſunt, hoc eſt, qui morbũ, vt plurimũ, comitantur, nec alijs à morbo conueniunt, cæteris non neglectis, primũ deligendi, obſeruandique ſunt; Ex his enim eatenus morbi ſpecies indicatur, quatenus cum principio à quo fluunt ſimilitudinẽ habent; Similitudo penes id ſtat, quod principium illud, ſecundum vim omnem propriã, pariat effectus, eoſque ita potiſſimum peragat, vt ſi fieri poſſit ſibi ſimiles omniquaque ſint; Ratione ergo huius ſimilitudinis, quæcunque effectuum morbi ratio fuerit, ſiue conditio, eadem ipſa conſequenter, nec alia, indicabit morbi naturam. Et quamquã determinati effectus, ſimilare, vel diſſimilare morbi genus, indicantes vniuerſim nulli colliguntur, (nulli equidem cõmunes ſunt, certam morbi ſpeciem demonſtrantes, ſed ſolum proprij) hic attamen, vt, quo ad licet, eorum certior tradatur regula, tum præternaturalis ratio, ſeu ſpecies eorundem animaduertenda eſt, tum denique modus, quo erumpunt in actũ; Quãdo præſertim longa rerum experientia conſtet, effectus aliquos à ſimilari morbo potius, quam à diſſimilari, aut contra, pendere; Inſuper & ſi quãdoque vtrique cõmunes obſeruentur, modus tamen vnicuique proprius eſt, qui differentẽ eſſe oſtendit originem. Cæterum via hæc, ad morbi ſpeciem agnoſcendam per effectus, quamquã certior, & euidentior altera, quæ per cauſſam eſt, adhuc tamen quia confuſa, & imperfecta cenſetur, in ea ſola ideo minime quieſcendum eſt, ſed adhuc aliam, quæ per cauſſam conceſſa eſt, omni conatu tentare oportet, vt ambabus ſimul iunctis, perfectior, euidentiorque cognitio ipſa fiat. Vt igitur morbus interior exiſtens, nobiſque deliteſcens, per cauſſas dignoſcatur, merito, relicta forma, de qua nunc quæſtio eſt, nec non & ſubiecto, quod ex ſe plerunque ad quamcunque morbi ſpeciem ferè eſt indifferens; Omne ſaltem efficiens principium immediatũ, ac mediatũ eiuſdẽ, diligenti indagine perquiremus, ex eoque, neceſſaria conſequentia, de morbo coniecturam faciemus; Sed vt vnius morbi, non vnum ſolũ, ſed penè ſemper multipex efficiens eſt, quia puta remotum vnum, & aliud deinde proximũ ſit, ac rurſum, inter vtrumque horũ, plura intercedunt alia ſibi inuicẽ, conſequenti ſerie quadam, coagentia; ideo morbi factricem cauſſam omnẽ, à prima ad vltimã vſque, prænoſcentes (ſeruato ordine, quẽ inter agendum omnes habuiſſe comperimus, putà quoniam præincipientes primo loco agunt, & veluti cæterarum proximarum cauſſarũ occaſiones ſunt, ita ab his primũ exordio ſumpto, ad alias poſtmodũ recto tramite proficiſcentes, vſque quo tandem ad coniunctam, & morbi propriam deuentum ſit) de morbo ipſo coniectabimus; quod porrò ex poteſtate, ſeu vi earum, & ex cauſſandi, agendi vè ratione, vel modo, morbi ſpecies ſatis facile colligatur; poſtea quam certis datis rei principiis, illiſque citra impedimentum operantibus, res eadem, ex illis, nec aliunde, ducat originem; atque ita per eadem principia res ipſa ideo repræſentetur, quod in illorum poteſtate conſiſtat, ſitque veluti quid illis perſimile. Hac

ſiquidem

ſiquidem ratione ex effectis, & cauſſis, in morbi tam ſimilaris, quam diſſimilaris, tam ſimplicis, quā compoſiti, notitiam deueniemus; ex his quippe, vt dictum eſt, tanquam ex certis inditijs, mens recta ratione ducatur, & in recondita penetrans, quæcunque magna obſcuritate inuoluuntur, ita percipiat, vt oculis ea cernere videatur. Simptomatum iam accedat inquiſitio; Interdum enim ea adeo vrgent, quod morbos, quibus annexa fuerint, longè admodum ſuperent. Simptoma ergo, quodcunque fuerit, ſæpe ſe ſe palam ſenſibus offert, vt ſatis ex ſe fiat conſpicuum; Sæpè verò ratiocinatione ſolum aſſequitur, vt ex eiuſdē fontibus neceſſario, ex quibus deducta eſt morbi notitia, ex cauſſis nimirū, atque effectis, propria cognitio petenda ſit; Ex cauſſis porrò proprijs, quæ, ſiue mediatæ, ſiue immediatæ, ſemper ſunt morbi, cum cauſſis ipſorum; Effectus autem ſimptomatis plures ſunt, & varij, illi & ſi proprij; quia vel morbi ſint, vel etiam ſimptomata, vt dictum eſt; ex quo ſcilicet morbus, & ſimptoma, frequenter inuicē ſibi cauſſa ſint. Verum ne hic circulari, eaque vana, nos vti demonſtratione videamur, quod ignotum per ignotius, & ſimptoma per morbum inquiramus, cum iam ptidem morbū per ſimptoma perquirendum ſuppoſuerimus; profectò incumbendum ſaltem eſt, vt præ cæteris vnum, alterum vè horum, quod quæritur, aut ex cauſſa, aut ex effectu præluceat; Ita namque lumen ex lumine aſſequemur, & quod aliàs latitabat, tandem ſufficienter eluceſcet; Etenim tunc ex morbo præuiſo, imprimis actionē læſam, hoc eſt ſimptoma aliquod adeſſe conſtabit, ex ſimptomatis verò effectis poſtmodū, ſiue hi morbi ſint, ſiue ſimptomata, ſiue aliud quoduis præter naturam, quod tamen ex ſimptomate ipſo ducat originem, ſufficiens ſpeciei ſimptomatis habebitur coniectura.

QVIBVS NOTIS, ET SIGNIS, morbi, ac ſimptomatis cauſſa, & pars affecta indagnanda ſit.

CAPVT QVARTVM.

SED cum præter morbum, ſimptomataque, cauſſam adhuc efficientem vtriuſque cognoſcere operæ pretium ſit; illius idcirco notitiam vniuerſim etiam hic proſequemur. Sanè autem efficiens morbi cauſſa, cuius potiſſimum notitiā deſideramus; illa eſt, quam proximā (ſeu motbo antecedentem, ſeu coniūctam dixeris) opinamur; ea videlicet, qua primū morbus ipſe fit, atque ſeruatur; hanc etenim adamuſſim intelligere, ad curationem morbi eſt ſummopere neceſſarium: quando præſertim morbus, hac duntaxat diſſipata, prorſus eſſe deſinat; Quamquam neque ideo aliarum cauſſarum, præincipientium puta, notitia medicis negligenda eſt; hæ quoniam licet ptimo morbum non faciant, cum tamen ſecundo ſua præſentia fouent, & nutriunt, ex quo nempe proximā cauſſam eius, ſucceſſione quadam, cuſtodiunt, atque conſeruant; adeo vt niſi omnes ſimul, à prima ad vltimā, pœnitus eſſe deſinant, vt hæ ſibi inuicem fauent, ita, perdurantibus, morbus ipſe ſtet. Inſuper, & creſcentibus, vel diminuentibus, morbus creſcat, vel diminuatur. Cauſſę ergo morbi omnes, ad benè, tutoque curā-

dum prænoſcēdæ ſunt, & ſi præçęteris proximam præſſius meditarė opor-
teat. Ab ea idcirco ſumpto principio, quoniam plerumque cū præinci-
pienti neceſſaria, vel fortuita, que ex ſe manifeſta, ac euidens eſt, con-
fundi videatur, vt ſimul, atque ſemel præincipiens ſit, & proximæ ratio-
nem habeat, vt aliàs demonſtrauimus, vtique etiā ipſam, ſolo ſenſu, per-
cipi plerumque fatendum eſt; vt plurimū tamen quoniā ad nobis inditos
humores eam referamus, vnde proximè morbi fiunt, quorum porrò hu-
morum malitia, & nocendi ratio latet, ac vna cum ipſis, in abditis vaſis
collocatis, inuoluta multis tenebris eſt; vltro perinde (niſi vt interdum
fit, foras per varios ductus peccans humor erumpat, in conſpectumque ſe
det) acri eget mentis intuitu, quo tandem curanti clarius eluceat; Quod
certè ex eiuſdem ſignorum fontibus conceſſum eſt, vnde ad cognoſcen-
dum nobis à natura indita via eſt. nempe tum per cauſſas, tū per effectus;
Per effectus autem primū, ex quibus, tanquam ex notioribus nobis, co-
gnitio quæuis euidens habet originē; Sunt autem effectus hi, omnia, &
ſingula, quæ præter naturam ægrū comitari obſeruamus; ex his etenim
humores peccantes, peccatique conditio, quæcunque fuerit, colligetur.
Et quidem humor peccans apparet, dum collectis ipſis effectis, conſtet
illos, per experientiam, vnius humoris magis eſſe proprios, quā alterius,
puta bilis, pituitæ, aut melancoliæ potius, quam optimi ſanguinis; Di-
ximus proprios, ob illos ſaltem effectus, qui non per ſe, ſed per accidens,
ex ipſis peccantibus humoribus contingunt, quorum vt indirecta origo
eſt, ita indirectum ſolū iuditium eſt, perindeque valdè difficile, & ſola
obſeruarione probatū; Qui etenim effectus, per ſe, atque directè, ex
certis humoribus, tanquā ex proprijs efficientibus principijs, fiunt, eui-
denter, quotidiano ſenſu, ſuam atteſtantur originē, quoniam ex ſangui-
ne, calidos, & ſæpe prauos; ex bile licet etiam calidos, omnino tamen
peiores obſeruamus effectus, & illos vbique vehementes; ex pituita au-
tem, & melancholia, effectus frigidos, ac lentos habemus, & ſi pituitam
ſemper ſumma comitetur humiditas; Sed inter effectus hos iudicandos,
decernendosque, ob magnam rerum varietatem, experientiam eorum
habere non paruā oportet, præſertim quod raro purus humor, ac ſimplex,
ſed mixtus, multiplexque; inſuper nec vno ſui peccato, ſed vario, ſit ori-
go morborum, ita vt effectus præternaturam raro ſimiles, & ſępe diuerſi
contingant. Atque certè tunc neque peccātem ſolum humorē agnoſcet
medicus, verum vltro ex eiſdem effectis, peccati conditionem percipiet,
nempe nè vel ſola qualitas ſit, aut præter hanc, quantitas etiam peccet.
Etenim quantitatem effectuum magnitudo arguit, quippe ſi multus hu-
mor fuerit, de neceſſitate, multum, pro ſui ſpecie, in agendo valebit,
perindeque effectus magnos ille parturiet. Qualitatem autem ipſe effe-
tuū mos docet, qui, ſi certis qualitatibus, videlicet primis, vel ſecundis,
aut etiam tertijs, à toto nempe temperamento, humor aliquis ſit affectus,
illius quoque certus efficiendi modus, atque ratio, extrinſecus appare-
bit; quando qualitati cuiuis proprius agendi modus inſitus videatur; Et
vt non omnis humor eiſdem ſemper afficitur qualitatibus, ita nec ſemper,
& vbique humor, eodem more, noſtrum corpus lædit; Quare hac ratio-
ne potiſſimū, per effectus, de cauſſa morbi efficienti proxima arguendum
eſt. Sed eiuſdem proximæ cauſſæ notitia per cauſſas, & ſi etiam ſatis cō-
fuſa, ea tamen minimè contemnenda eſt; Conſequitur autem ex eo,
quod certum eſt, cauſſam hanc proximā, ex alijs cauſſis remotis, præinci-
pientibus videlicet, procatarcticis vè, ortum habere; Inſuperque cauſ-
ſis eiſ-

ſis eiſdem omnibus, in hanc ipſam proximam, antecedentem ſcilicet, & coniunctam, intercauſſandum, ineſſe ordinẽ, ſucceſſionemque neceſſariã; Ea verò quæ hac ratione oriuntur, ſibique inuicẽ ſuccedunt, ſua omnino principia atteſtantur, ita vt vel ex illis propriũ eſſe cum habeant, habeant quoque cognoſci ſuum. Quare cum præincipiens morbi cauſſa, reliquarum eiuſdẽ cauſſarum origo, atque principium ſit, merito vt hæ ab illa ducunt originem, ab eadẽ quoque ipſæ propriã habebunt cognitionẽ; Cauſſa ergo remota, præincipiens vè, quia ſe ſe doctis, & indoctis, intercauſſandum, oſtendit, conſequenter qualis ex ea proxima morbi cauſſa fiat, ſufficienter indicabit. Itaque ſciſcitandi primo ipſo ingreſſu ægri ſunt, ne puta vnam, vel alteram, tã mediatè, quam immediatè, morbo occaſionẽ dediſſe cognouerint; Hæc enim præincipiens morbi cauſſa eſt, ſiue ex neceſſarijs illa, ſiue ex contingentibus ſit, in cuius poſtmodũ obſeruatione altius progrediendum, vis que illius, ſiue potentia meditanda eſt; meditanda inquam, ex modo, quo in hominẽ ægrotantem illa impetum fecerit; Impetum enim facit, virtute propria ad agendum valida, quæ nec per diſtantiam, nec per interpoſitum aliquod, ſit impedita: dum tamen corpus, inquod ſubſtratũ agat, ad recipiendũ habile, & diſpoſitũ ſit; Suſtinueritque tandiu actionis impetũ, quandiu ad impræſſionẽ recipiendam ſat eſſe potuerit; Quatenus itaque præincipiens cauſſa præcedens in corpus ægrum hac ratione iampridẽ inuecta ſit, eatenus cauſſas in eo proximas excitatas fuiſſe iudicabitur; Atque omnibus ita præcognitis (niſi forſam immediatè morbũ eueniſſe planũ ſit, vt quæ præincipiẽs morbi cauſſa, eadem etiam proxima, ſiue antecedens, ſiue coniuncta cauſſa ſit) earundẽ proximarum cauſſarum omniũ, per ipſam præincipientem, ſequetur notitia. Harum verò longa ſæpe ſeries eſt, ideoque arduũ, & difficile, de his, ex arte, tanta decernere, quia nempe hæ multifariam ſe inuicẽ conſequantur, ad morbumque ipſum variè accedant. Attamen ne hic fruſtra recenſeantur vniuerſa, quæ aliunde in nobis immutata, morbis tandem fomitẽ dant, ſupponimus vnum, quod ex dictis notum, & verum, experimento compertum eſt; Humores nempe nobis inſitos, ex præincipientibus cauſſis perturbatos, cauſſas proximas, antecedentes, vel coniunctas morborum eſſe; Ex quo præterea ſequitur alterum, videlicet, ex præincipienti cauſſa, non humorẽ ſimpliciter, ſed adhuc etiam humoris ſpeciem, vnà cum peccato eius, euidenter apparere; Apparet autem facile humoris ſpecies, ex iam cognita eiuſdẽ præincipiẽtis cauſſæ natura, atque potentia, an puta talis ea præceſſerit, vnde, fauente ſubſtrati corporis habilitate, ſpecies humoris determinata, bilis inquam, pituitæ, melancholiæ, vel ſanguinis, præcæteris excitata, effectaque ſit; Vt ſi præincipiens cauſſa præceſſerit, ex qua inſiti humores intra mediocritatis terminos conſeruari ſemper, nec vſquam immutari potuerint, quoniam ea non niſi temperanter in illos impetũ fecerit, quod à mediocri nunquã illa deceſſerit; Inſuper verò & ventriculi, & hepatis, & reliquarum procreandis humoribus inſeruientium partiũ temperata acceſſerit conſtitutio, qualis certè ineſt ijs, qui quadrata, vt dicitur, corporis conditione donantur, quæ vt plurimum per adoleſcentiã eſt; neceſſario bonum, laudabilemque vigere ſanguinem, qui temperatus humor eſt, & nutritioni aptiſſimus, opinandum eſt. Ita ſi ex præincipientibus cauſſis, & tenuis materia, & calor immoderatus, cum ſiccitate, abundè præceſſerit, omnino tunc bilioſum omnis generis regnare humorẽ, calidum ſcilicet, ſiccumque ſuccum, veriſimile eſt; & eo certè magis, quo ventricu-

lus, heparque, & aliæ gignendi, ac immutandis humoribus, inſeruientes partes, ad calidum, ſiccumque, vnà tunc vergant omnes, vt propterea generationi bilis cuiuſque commodè ſeruiant; velnti in habitu gracili, ac macro, & per ætatẽ conſiſtentiæ, vt plurimũ, obſeruamus. Ad hec ſi ex præincipientibus cauſſis, quoquo pacto frigus immoderatũ, cum humiditate iunctum, obſeruatũ fuerit. ſanè tunc pituitam vigere, quæ ex ſe frigidus, humidus, & craſſus eſt ſuccus, veriſſimile iudicabimus; Et quidem magis, ſi ventriculus, & hepar, diſſipato calore, ad frigidum vergant, vt in ſenibus, vel calidum ſaltẽ oppreſſum habeant, vt nec ideo ſuo ſufficienter incũbant muneri, ſed cruditatibus faueant, vt in pueris, in quibus magnus ſemper eſt cruditatum aceruus. Quod ſi demũ cauſæ præincipientes vim exſiccandi, & incraſſandi non leuem habentes, morbum aliquãdo præceſſerint, vnà cum caloris, & frigoris inæqualitate, per quã craſſiores euadunt humores, vt tandẽ quaſi fœx ſanguinis, & ſedimentũ, ad nutritionẽ ineptum, maiori ex parte fiant; tunc rationabiliter melancholicum ſuccũ abundare credendum eſt; præſertim ſi ventriculi frigiditas, & hepatis caliditas, vel alia quæuis talis partium diuerſarũ naturaliũ intemperata inæqualitas, vt in habitu arido, & glabro, & per declinantem ætatem, præſto fuerit; etenim hac ratione, qui nam humor, vniuerſim, in quouis morbo, antecedentis, vel coniunctæ cauſæ rationem habeat, ex præincipientibus cauſis agnoſcitur. Qui inſuper vel ſimplex, vel alteri mixtus colligetur ex coniecturis, tam à cauſa, quã ab effectis per complicationẽ deductis. Cæterum eiuſdem humoris peccatũ, nonquid quantitas, vel qualitas ſit, quando extrinſecus illud ipſis ſenſibus neutiquam pateat, ab eodem etiam fonte deducetur; quoniam quantitas ex frequenti cauſarum earundẽ præincipientium occurſu, vel opere, ducit originem; qualitas autem ex earum agentiũ ſpecie, ac agendi forma, ſatis apertè decernitur; Nam vt ex agentis robore, effectus magnitudo dependet; ex agentis autem ſpecie, certus, determininatusque effectus præſto eſt; ita ex præincipientis cauſſæ occurſu, & opere, excedens humoris copia iudicatur, & ex eiuſdẽ cauſſæ ſpecie, qualitatis error euidens eſt. Et de morbi, ac ſimptomatis, cauſſarumque eorum notiria, ſat dictum. Iam ſedẽ affectã perquiramus. Non enim noſce ſufficit, qualis morbus, quale ſimptoma, & qualis demũ cauſſa ſit, vt appoſitè medicinam faciamus, ſed præterea omnium ſedẽ veram agnoſcere neceſſe eſt. Ea autem quoties ita ſua præſentia pateat, vt neutiquam altera egeat mentis indagine, rem certè deſideratã adeſſe cenſendũ eſt. Quoties autem ipſa lateat, occultaque ſit, vt ſenſus effugiens minime ſe ſe det in conſpectum, illico ſuorum ſignorum fontes petendi ſunt, ex quibus illa compareat. Quæ itaque pars quæritur, ſit illa, quæ morbo affecta ſit, vtique ad hanc inter alias decernendam, effectuum ægritudinis, ſeu morbi, tunc pridem eam occupantis, obſeruatio procuranda eſt. Sunt quidem effectus ijdem, per quos etiam morbus ipſe colligitur, qui attamen duorũ generum ſunt, cũ vel ex morbo ſimpliciter fiant, adeo quod morbũ conſequantur, vbicunque ille reperiatur, vel ex morbo ſolum proueniant, quatenus talẽ, nec aliam ille corporis partẽ occupat, ideoque omnes licet ad morbi ſpeciem, ſiue naturam agnoſcendam plurimũ faciant; ad affectam nihilominus partem percipiendam, hi præſertim faciunt maximè, qui morbũ determinatam partẽ occupantem conſequuntur. Vt accuratè igitur ex morbi effectis, partem affectã agnoſcamus, eorum omnium effectuum potius, quã aliorum habenda ratio eſt, qui ſpeciatim morbum, hic, & nunc, ægram

partem

partem afficientem conſequuntur; Hi verò propriè qui ſint, & quales, quamquã ad vnum partis vſum illi petineant, attamen ob ſummã eorum varietatẽ, non niſi diu exercitatis in arte ſunt conſpicui, quippè non niſi longa obſeruatione, acrique iuditio, omnibus ad ſua deductis, & expenſis, de ſede morbi, ex his, tuto decernatur. Interea tamen ne temerè, ex ſolis effectis, de eadẽ ſede iuditium proferatur, vlterius quæ ex cauſis morbum efficientibus (de formali enim dictum eſt, quãdo de morbo, ſubiectiua autẽ eſt, quæ quæritur) de eadẽ ſede haberi notitia poteſt, iam eſt proſequenda; Et quamuis cauſſæ morbum efficientes, tam remotæ, præincipientes vè, quam proximæ, variæ ſinr, atque multiplices, ex hisque aliquæ per ſe, & per accidens aliæ morbum efficiant, vt dictũ eſt, ideoque, quæ, inter multas, præſentem morbum cauſent, & quatenus cauſſent; conſpectas habere difficilimum ſit, vt conſequenter, neque facile ex cauſis eiſdem, affectæ ſedis notitiam aſſequi poſſibile videatur; nihilominus tamen poſt cauſſas ipſas vniuerſim deſignatas, & quomodocunque examinatas, confuſa ſaltem apræhenſio quædam partis nobis cõceditur, ea ratione duntaxat, qua cauſſæ ſibi inuicem ordine conſequentes, ſua demũ vi, vnam, vel alteram noſtri corporis partẽ, præ alijs, inficere aptæ natæ ſunt, perindeque iam infectã oſtendunt; Vnde cum præincipientes cauſſæ nos multifariam lædant, vt multifariam idcirco cauſſas proximas morborum proprias, intermedijs excitatis, inducant, conſequenter obſeruata cauſſarum morbi inter cauſſandum ſerie, quatenus ſaltem in partem determinatam conducit, eatenus talem partẽ morbi ſedem exiſtere planum ſit. Sed confuſa admodum eſt etiam hæc partis affectæ notitia, per morbi cauſſas efficiẽtes adepta; Atqui qualis qualis ipſa fuerit, profectò alteri per effectus iam habitæ ſuperueniens, inſimul meliorem, euidentioremque, quam aliàs foret, eiuſdem ſedis afflictæ cognitionẽ parit. Quoniam verò ſæpè contingit, non vnam ſolum, ſed ſimul, ac ſemel, plures affici partes, quibus & interdum non vnus morbus, illeque ſimplex, ſed mauis mixtus, ineſt, vt ſanè tunc difficilius ſedis affectæ iuditium videatur; attamen ſingulis preſſius ſuo loco poſitis, & ad ſua deductis, minor omnino difficultas euadet; Etenim tunc ſignorum omnium nos in aliquam partis affectæ ſuſpicionẽ adducentium conditione ſingillatim expenſa, percunctandum vlterius eſt, non & hæc ſimul omnia ad vnius ſolum determinatæ partis ſignificationem concurrant, eodẽque pertineant, vt neque ex his vllum quoquã deflectat; tunc enim verè explorata, compertaque erit ſedes affecta. Sin verò illa inter ſe diſſident, diſcordantia vè ſunt, nec vnius eiuſdem affectæ ſedis ſignificationem obtinent, aut certè in alterius partis inueſtigationem diuertendũ, dum quædam depræhendatur, quæ certis ſignorũ teſtimonijs affecta confirmetur; aut mauis de morbi permixtione dubitandũ eſt; & ſi vbi adhuc ille mixtus appareat, pluralitatẽ quoque partium adeſſe poſſibile ſit; atque tunc res vt clarior fiat, ſignorum morbũ indicantium conditionibus omnibus exactè examinatis, quot quot ex his in vnius partis ſignificationem concurrunt, ſeorſum conſtituenda, referendaque ſunt; Hac ſiquidem ratione, vel morbum, vel ſedem eius multiplicatã eſſe conſtabit. quamquã ſi affectæ ſedes vicinæ exiſtant, & in communẽ quandã functionem conſpirent, quia pleraque illarum inditia communia ſint, dilucidè id explicare arduum, & operoſum eſt; non verò cum affectæ ſedes diſſitæ ſint, quoniã ſigna prorſus diſparia, eodemque pertinentia minimè habeant, propterea que ſecretio multo expeditior, atque facilior extat. Et hæc via eſt in

notitiam

notitiã partis morbo affectæ deueniendi, quatenus vniuerſim à nobis illa haberi poſſit. Cæterum ſi partem aliquo afflictam ſimptomate quis ſe ignorare putet, quippe quod illam ſenſu non percipiat; equidẽ vel ipſomet recognito ſimptomate, cũ illud vnius determinatæ actionis deffectus ſit, neceſſaria conſequentia, partẽ ipſam actioni inſeruientẽ, ſubindeque ſimptomati ſubſtratam agnoſcet. Ad hæc verò ſedem propriã cauſæ apertam habere omnino opus eſt; inde quoniam qua arte optata remedia adminiſtranda ſint, clarius pateat; Sæpe namque fit, vt quamuis alicubi partium, morbus, aut ſimptoma adſit, alibi tamen quã ibi, efficiens cauſſa, locum, & ſedem habeat; Quippe morbi, ſimptomataque, vel per ſe, primoque fiant, atque tunc coniuncta cauſa afflictę parti verè inhæret; vel item per accidens, & ſecundo, ſiue per conſenſum; quo ſanè caſu, vnius partis vitio, pars altera languet, & alibi, quam vbi morbus eſt, vere ipſa cauſſa reſidet, (cauſſam dico coniunctam, quoniã antecedens, alibi, vt plurimũ, quam in parte morbo afflicta, ſedem habere ſolet, veluti propriæ coniecturę monſtrant; inde autem vel forſam ob ſitum proprium, parti afflictæ ſe ſe facilè communicant, quia puta vt ad cõmunicãdum ſe ſe illa valde prompta eſt, ita ad recipiendum altera valde diſpoſita exiſtit) veluti certè contingit ſi quæ afflicta pars eſt, ea conditione donetur, qua ob ſibi inditum munus, aliis omnino compati, ſiue illis obeſſe apta nata eſt; Aut mauis, quoniã illi, cum eadẽ parte, talis, atque tantus conſenſus ineſt, & ſympathia, quod vix ea male ſe habenti, ipſa conſentiens benè ſe habeat; Quapropter quatenus morbus per conſenſum ex cauſa proueniat, nec ne, vt ex arte medicina paretur, accuratè indagabitur; Quod fit, ſi conditione partis læſæ certò experimento perſpecta, ne porrò ea ex illis fortaſſe fuerit, quæ morbis per conſenſum frequenter afficiuntur, aut non; mox morbi exordia rememorentur, ea ne alibi fortaſſe contigerint, quã vbi ſe ſe tunc morbus oſtendit; quoniam tunc potius conſenſus, quam aliàs ſuſpicandus eſt; præſertim ſi morbi ſæuities, vel breui temporis ſpatio in parte eadẽ, tum minor, tũ maior, ſimili penè tempore, appareat, nec conſtantiam, certam cauſſæ præſentiam indicantem, oſtendat; Quoniam tunc morbus, cum ſit per conſenſum, miteſcit, augeturque, dum creſcit, minuiturque fomes, ex primario affecta parte influxus, veluti contra, ſi per eſſentiam ſit, aut longiori ſaltem conſenſu talis euadat, ob veram cauſæ præſentiam, firmè, & conſtanter partem afficit. Atque de ſignis medicis demonſtratiuis, quæ vniuerſim dicenda erant, habeant hunc ſinem, iam ad prognoſtica ſigna explicanda deſcendamus,

DE

DE PRAESAGIO FVTVRI

Euentus morborum, affectuumuè præternaturalium corporis humani.

PARS SECVNDA:

QVID IN MORBIS PRAESAGIENDVM SIT; & quod comparatis naturæ, & artis viribus, cum morbi, ſimptomatiſque ſæuitie, præſagium tutò, rectèque fiat.

CAPVT PRIMVM.

SANE' intermedendum, pluribus ex cauſſis, Medicum prouidentia vti, optimum, & neceſſariũ eſt, vel ex eo quidem, quod homines ſingula ex Medica arte præcognita adamuſſim eueniſſe proſpicientes, & Medicos, diuinam quaſi artem profitentes, vnicè ſuſpiciant, admirenturque, & eis ſubinde, vt ſibi plurimum profuturis, libentius pareant, audentiuſque ſe ſe, bellè de ſanitate ſperantes, eorum curationi committant; Siquidẽ præter ægrorum obtemperantiã, eorundem quoque fidem, & ſpem, ad futuram ſalutem adipiſcendam, maximum quid facere planum ſit. Sed vel ex eo præcæteris, quod Medicus prouidentia ductus, poſtquam præſentis morbi naturam, & laborantis conſtitutionẽ optimè nouerit, longè multum antè, iminentibus malis omnibus, remedijs ritè paratis, commodè obuiam ire valeat; adeo vt ne illa interdum eueniant, omnino prohibeat, & eorum quoque ſæuitiem, magnitudinẽ vè, aliquando fortè futuram, arceat facilè, & intercipiat; vt ad ſummũ, periculis morborum ſingulis, perinde ac peritus nauta in futura tempeſta-

te, re-

te, rectiſſimè proſpiciat; atque hac potiſſimum ratione, ſaluti ægrotantium deſideratæ ſummoperè conſulat, ſuique demum, & artis dignitatē iuſtè conſeruet, cum ratione eadē, malis morborum euentibus præmonſtratis, impudentum conſilium euitet, quod nec porrò deploratos, ſpe certa ſalutis, magno & ſui, & remediorum dedecore, curare aggrediatur; neque tandē præſeruandos, omni ſpe ſublata, relinquat, quod non ſine artis infamia fieret. Ergo res cum ita ſit, poſt abſolutum de communi morborum notitia aſſequenda ſermonem, iam qua ratione, & arte, peritis Medicis liceat, in omni morborum genere, euentura præſcire, vt propoſitum conſilium perſoluamus, deinceps exponamus eſt opus. Vniuerſim itaque ipſam prædicendi methodum tradituri, quod nam merito in morbis futurum prænoſcendum ſit, primo omnium venit examinandū. Atque illud præcæteris, an ne qui præſens morbus adeſt, aliquando ſit terminaturus; Etenim ſæpe morbus terminum nullum habet, vt qui nec per ſe occidit, nec ſanatur vnquam, ſed penè toto vitæ curſu hominē comitatur ad mortem vſque; de quo vtique ſolum ſcire ſat eſt, an ſemper eundem pœnitus, quem iam accepit, ſeruabit eſſendi tenorem, vel miteſcet potius, augeſcet vè, & in deterius ægrum perducet. Quod ſi eius generis morbus fuerit, quod finem aliquando habere conſueuit, omnino exitus, pro poſſe, prænoſcendus eſt; an porrò ſalus expectanda ſit, vel grauis mors neceſſario metuenda, quippe tunc niſi morbi finis conſtet, quid agendum, non niſi imprudenter, decernatur; Nam ſi letalis exitus immineat, vel remedia nulla conueniunt, vel à generoſis ſaltem abſtinendum eſt, ne forte quoniam tunc nil, vel minimum prodeſſe potuerint, apud vulgares ita ſuam autoritatem, cum Medico, perdant, vt alijs poſtea, quos iuuare nata ſunt, præſidio eſſe nequeant; Sed vbi morbus ſalutaris futurus iam habeatur, qui attamen poſt naturæ beneficium, artis adhuc opem expoſtulet, ne eius defectu, inſperatus exitialis exitus præſto ſit, iure, obſeruatis naturæ modis, poſtulata remedia ex arte parentur. Atqui præterea quidquid horum in præſenti malo expectetur, vltro tempus illius prænoſcendum eſt; Quandoquidem Medico ægrum moriturum præſagiri ſat non videatur, ni deinceps quo tempore, breui nè, an lōgo, letalis exitus fuerit venturus, inſinuetur; Ita quoniam ægro opportunis adhibitis refectionibus, vitæ prorogationi plurimū opituletur; aſtantibus autem maximè, non pauco ſui, & artis honore, vel ipſa præſagij veritate, ſatisfiat. Quod ſi contra, certa ſalutis inditia præmonſtrentur, ne eo in errore verſetur Medicus, vt ſe naturæ miniſtrum non agnoſcat, ſed quæ potius naturæ partes eſſent, aliquando ita præripiat, vt hoc pacto illam à ſuis muneribus diſtrahat, impediat vè, & deſideratam morbi ſolutionem perturbet, mehercle, quo tempore morbi ſolutio expectanda ſit, omni conatu perquiret. Verum enim verò, quicunque, & quādocunque futurus ſit ipſe morbi exitus, ex quo profectò ille nondum ſit, ſed expectetur, ideoque minimè præſens ſit, ſed omnino futurus exiſtat, fit, vt ſub ſenſum cadere non poſſit, cui ſcilicet vel ſola præſentia, ſemet ipſum, quo ad ſentiri poteſt, patefaciat; Attamen cum neceſſario prænoſcatur, conſequens eſt, vt mente comprehendatur, vt in quam ex præſentibus iam tandem perceptis notionibus, de illo, quod queritur, & nōdum perceptum eſt, quadam veluti earundem notionum neceſſaria connexione, percipiatur. Cæterum de re latenti, ex cauſis, & effectis, accurato mentis intuitu, coniecturam facere, omnium conſenſu datum eſt; quod ex effectis cauſſa colligatur, & ex cauſſis effectus; vt enim alterum, ad alte-

ad alterum refertur, ita alterum ab altero demonſtratur; ex ipſis idcirco expectati exitus cauſſis,& effectis, ipſum met exitū perueſtigabimus; quia vel exitus facta, quorum ipſe cauſſa eſt, illū patefacient, vel exitus cauſſæ, vnde ille procedit, eundem oſtendent; Aut futuri igitur exitus facta, aut eiuſdem cauſſæ, nobis præſagium expetentibus meditandæ ſunt; Sed cum rei futuræ effectus nondū ſint, vt nec ipſa futura res eſt, nequeūt propterea nobis notitiæ quidpiam ſuppeditare, cum magis illi obſcuri, & abditi cenſeantur, quam futura res ipſa, cuius ſunt effectus. Sequitur ideo vt ex cauſſis duntaxat inditia futurorum depromantur, vtque ex eiſdem exitus ægrotantium, vel morbi, perueſtigetur; Ex cauſſis puta efficientibus, quibus exitus ipſe reconditus eſt, non ſecus atque in ſeminibus vis rerum, ex his generandarum continetur; Ex his attamen, vt præſentes ſunt, actuque agunt, de exitu morbi coniecturam facere licet; cū hac ratione duntaxat, ipſius exitus veræ cauſſæ ſint, ipſumque talē, nec prorſus alium, vt puta iam inceptum, futurum eſſe oſtendant. Nam vt ex inchoato herbarum exortu, futura ſegetum fæcunditas facile præcognoſcitur, ita ipſe futurus morbi exitus, ex actu efficientibus cauſis, facile auguratur. Atqui efficientes cauſſæ hæ, ex quibus exitus ipſe prouenit, præcipuæ ſunt, naturæ robur, vnà cum eo, quod illi præſtari poteſt artis auxilium; Et morbi ſæuities, vna cum eiuſdem cauſſarum, ſimptomatumque malitia. Hæc quippe inuicem actu, ſpectantibus nobis, bellum conficiant; Quod morbus ille ſit, qui nos perdere contendit, in aduerſum verò illi natura reſurgat, & pro ſalute cum morbo luctetur; attamen nè ipſa fortaſſe aliquando ſuccumbat, adiutrix ars medica opem fert; veluti contra, morbi ſæuities, ex cauſarum, ſimptomatumque pernitie creſcit; adeo vt, quemadmodum gymnaſtes cum luctantes intuetur, ex impetu, ac vi vtriuſque, diſcernit vtriuſuis ſit futura victoria: ita Medicus, cum in ęgrotante, pugnantes inter ſe, naturam, artemque, cū morbo, ac ſimptomatibus, cernat, præuidet cōmodè, ne ſuperandus ſit morbus à natura, an hæc ab illo; & non ita paria ſint omnia, vt nec naturam morbus, nec morbum natura vincere poſſit; Nam ſi morbus ita magnus exiſtat, vt nec illi, pro viribus, natura aduerſetur, parum præterea, aut nihil, ars ipſa poſſit, vigentibus adhuc ſimptomatibus, cum cauſæ malitia, neceſſario mors inde ſuccedet; Contra, ſi morbus lenis, minimuſque fuerit, tum ex ſe, tum ratione cauſæ, atque ſimptomatum, qui vel ipſo naturæ agentis robore, vnà cum artis opè, ſit diſſipaturus, integram omnino tunc licebit ſanitatem expectare; Atqui paribus omnibus exiſtentibus, in eodem ferè ſtatu hominem permanere, quo ad alterutrum vincat, & ex hoc vel in melius, vel in deterius permutetur, credendum erit. Quamobrem morbum cum cauſſis, ac ſimptomatibus, exactè perpendere, malitiamque propriam examinare opus eſt; At vlterius, naturæ inſiſtentis robur, acri indagine, expendere operæ pretium eſt; Et ſi adhuc adiuuantis artis vis, ſiue poteſtas ſummopere obſeruanda videatur; cum ex his inuicem comparatis, vt dictum eſt, futuri boni, mali vè exitus præſagium pateat. Quamquam ſanè vt res ex voto ſuccedat, comparatio ſemper inter præſentia, atque futura, habenda eſt; quippe non ex præſentibus ſolum inuicem collatis, iuditium de exitu certum ſit conceſſum, quādo plerunque præſentia ſalubritati non repugnent, attamen repugnent quæ futura; Futurorum ergo, atque præſentium eatenus comparatio facienda, quatenus hæc quamuis leuia ſunt; deinceps tamē grauia ſint euaſura, vel contra; adeo quod exitus, & ſalubris, & lætalis ex venturis ex-

pectari facilè queat. Futurorum autem quoniam coniectura præſens eſt nulla, ſaltem ideo mos, qui modum agendi cauſſatum inſequitur, qui inquam virium reſiſtentiam, & morbi inſiſtentiam comitatur, ille diligēter, quatenus pręſentem offert ſe ſe perpendendus eſt. Alius enim mos morborum, cauſarum, ſimptomatūque per diſſolutionem affligentium, & alius opprimentium eſt; Et rurſum alius mos eſt virium, & auxiliorum aduerſus afficientia hęc, quando validior ex ipſis fauor acceſſerit, quam quando debilior; Quapropter examinata rerum præternaturalium omnium afficientium, inſiſtentiumque, ſæuitie, quæ præſens ſit; & ea poſtmodum cum artis ingenijs viribuſque reſiſtentibus, & conſeruantibus, quæ itidem præſentes extiterint, comparata; Demum verò præſentibus omnibus ad coniecta futura collatis, obſeruato more ipſo omnium, hoc eſt poſſibili, & aliàs conſtanter eorundem obſeruata conſuetudine; tutius, ac certius de exitu iuditium proferetur. Et tarditatis quoque, vel celeritatis eiuſdem exitus, euidens etiam notitia habebitur, poſteaquam pro morbi, ac virium magnitudine (quatenus ea tamen magis, minus vè impetu vrgeat) quæuis temporis differentia, celeritatis nempe, vel tarditatis, ad vtrumuis, eluceſcit; puta ſi virium robur, morbo comparatum, debile, languidumque fuerit, morbus autem magnus ſit, à quo perinde natura plurimum irritetur, affligaturque, vtique non letalis ſolū exitus continget, verum vltro quam celerrimè. At ſi fortaſſe morbus mitior ſit, viribus ſcilicet minus infeſtus, à quo illæ nihilominus afflictæ tandem depreſſuræ ſint; Sanè exitus, qui letalis, neceſſario diuturnior erit: Contra, viribus exiſtentibus robuſtis, atqui etiam morbo potenti, à quo illæ potenter irritentur, vt non tamen ſuperaturæ ſint, velit, nolit, exitus, qui ſalubris futurus eſt, cito expectabitur. Sed morbo exiſtente mediocri, mediocriterque moleſto, ſemper tardo ſalus adueniet; niſi fortaſſe paruus adeo morbus ſit, quod breui viribus validis ſuperari queat. Sed cum omnia hæc non niſi ſumma adhibita diligentia, & acri admodum ingenio, poſt longum rerum vſum, à nobis aſſequi poſſint, ob id qui rectè, ac tutò præſagire percupiet, inditia primum omnia rei quæſitæ propria, eidemque conſtanter inhærentia, iuxta communia ſignorum præcepta, in vnum diligenter colliget, mox verò collecto, quantum ad ſignificandum roboris habeant, exactè perpendet; vt demum ſingulis ita collectis, apteque perpenſis, & ad ſe inuicem comparatis, pro vincenti teſtimoniorum ſignificatu, tutum, & rectum de euentu iuditium ferre opportuno tempore valeat. Etenim ſiue ex morbi inſiſtentiæ vi, ac poteſtate, vnà cum cauſis, & ſimptomatibus; ſiue ex reſiſtentis naturæ robore, vnà cum artis medicæ adminiculis, teſtimonia ſignificationis colligantur, illa ſemper plura, & bona, & mala, & mediocria eſſe poſſunt, atque demum per gradus, à ſummo tam bonitatis, quam malitiei, ad vltimum vſque, interſignandum ſe habent; Et porrò triplici potiſſimum ordine deſignata, quia vel primo, numeri pluralitate valent, puta quod alijs numero ſint maiora; Vel ſecundo, propria qualitate, conditioneque poſſunt, qua vt ſuper alia magis, aut minus excellunt, ita ſuper alia magis, aut minus ſignificant; Et denique tertio, propria magnitudine, vnde illa, quæcūque fuerint, maiora, validioraque cæteris æſtimantur. Numerus facile colligi poteſt, cum ea omnia in vnum colligere minime ſit difficile, quæ vel morbi, ſimptomatiſque inſiſtentis vim, vel naturæ, & artis reſiſtentis robur oſtendunt, & inſuper ne hæe plura ſint, quam illa, intueri ſit commodum. Qualitas ſatis etiam patet, ſi repræſentatæ rei dignitas, atque

præſtan-

Digitized by Google

præſtantia, accuratè animaduertatur, hoc eſt, ſi res, cuius ponderatur qualitas, magis, minus vè, naturæ, vel morbo ſanens extiterit; ita enim ſignum ex re huiuſmodi ſumptum, qualitate ſemper, magis, vel minus cætera antecellit. Magnitudo autem eſt conſpicua, ſi vniuſcuiuſuis ſigni ſignificatio, cum ſignificatione eiuſdē generis comparetur in eodemmet ægroto, namque tunc, vt maior, minorque apparet diſceſſus à recto, ita etiam magnitudo ſignificandi certa colligitur. Quare ipſis quibuſcūque ſignis, tam virium, & artis robur, quam morbi, ſimptomatumque ſæuitiem indicantibus, ordine iſto, collectis, diligenterque examinatis, eorundē omnium adinuicem comparatio facienda reſtat, ex qua iure teſtimonia decernantur ad iudicandum idonea; Quippe ſi vnum, vel alterū, quæcunque ſigna portendant, illudque concordia communi denuntient, præditio euidens omnino reddetur; Sin verò contra, videndū quæ plura, quæque tum quantitate, tum quantitate fortiora ſint; Si quidē aliqua alijs quomodocunque fortiora, pluraque fuerint, de re ipſa, per ea, indicata, tuto credendum; Contra verò ſi alia numero, & viribus vincant; Quod ſi ſaltem numerus par forte reperiatur, vtique quæ potiorem, maiorem vè vim habent, præditionem indicant; Quod ſi æqualis ſolum ſignorum vis fuerit, maior numerus certa futuri præbet inditia; At ſi alia alijs permixta, vi, & numero paria videantur, exercitato vtique in artis operibus viro opus eſt, qui ea ſæpe numero ſit contemplatus, quique latentes adhuc quodammodo vincentis vires, & quid in ſingulis morbis præualeat, diutina obſeruatione, prænouerit. Cæterum quoniam, vt plurimum, euenit, quod dictis licet examinatis, comparatiſque adinuicem omnibus, nec ſtatim attamen quod præualet, quodque inde futurū cenſendum eſt, nobis certò eluceat, vel ex quo varius ægrotantis eſt progreſſus, quo tum morbus, cum ſimptomatibus, tum ipſa natura, cum arte, ſe ſe multifariam explicant, vt variè conſequenter vtrorumque validitas, vel imbecilitas inde pateat, ac varium ſimiliter virium, & morbi certamen, eodē progreſſu toto ſe ſe ſpectabile reddat, quod nempe inditia aliqua ſæpe ſint, quæ talia, alia vè nunc, quæ tamen poſtea nuſquam (ob rerum in ipſo mali progreſſu contingentium varietatē) talia, aliaque eſſe ſoleant; vt contra ſunt alia, quæ ſemper eadem, quæ inquam vnum, aut alterum, aut mauis inter vtrumque, medium, vbique docent; Hinc ideo, ſi modo rectè præſagiendum ſit, tempus ipſum morbi, quo conſtātia, vel inconſtantia ſignorum omnium obſeruandorum pateat, à Medico prænoſcendum eſt, illudque attendendum; Siquidem ſigna quæ firma, ſtabiliaque non ſunt, à prædicendi arte excluduntur, non item quæ contra ſe habent, hæc quoniam ſemper (niſi ægrotantis, alterius vè rei cuiuslibet error interponatur) quod futurum eſt euidenter demonſtrant, adeo quod quoties imminentis mutationis, & varietatis ſuſpicio nulla vltrò habeatur, quoniam ita ſecundum rationē confirmata omnia ſint, vt neutiquam alias eſſe queant, toties ſine dubio ex ſignorum euidentium conſtantia, quid de ægro futurum ſit, tutò, certòque pronuntiari poteſt. Tempus autem morbi non eſt aliud, quam morbi mutatio, atque progreſſus, quo à ſui ortus initio, ille, ad finem vſque, ægrum variè afficit. Vnde illud quadruplex eſſe poteſt; Principium nempe; Incrementum; Status; & Decrementum; Quoniam quatuor duntaxat effatu dignæ, ſenſuque perceptæ vniuerſim in morbo mutationes eſſe poſſint, quarum videlicet viciſſitudine, omnē morbi decurſum metiri neceſſe ſit; Incipit ſiquidem morbus, & ſui ortus initia profert; mox verò cum ſummum nil

D 2 confe-

cōfeſtim attingat, ni prius increſcens ſuam perfectionem acquirat, augeri idcirco, & increſcere, ad ſummum ſtatum vſque illū neceſſe eſt; Statutum autem terminū morbus nactus ſi fuerit, perinde quod ille in ſummo vigore iam ſit, quoniam vltro violenter in eo conſiſtere nequit, (ſi quidem ſalubris futurus ſit) à ſummo mox vigore ſe ſe remittens, ac veluti deferueſcens, declinat, vſque quo, parta ægrotanti ſalute, prorſus eſſe deſinat. Itaque cum ad habendam ſignorum in præſagio deſideratorum conſtantiam, tempora hæc omnia morbi adamuſſim recognoſcenda ſint, profectò quatenus recognoſcantur, aduertendum eſt. Nam dum morbus ſenſui ſubijciatur, omnia itidem tempora eius, vel ipſo ſenſu dignoſcuntur, ab eo quippe cernatur morbus, primum incipiens, demum augeſcens, poſtea vigens; ac dein inclinans, neque tunc vltro rationibus eſt opus, quibus hæc pateſiant. Sin verò morbus in recondito latens, abditus ſit, ita vt mente duntaxat ex ſignis percipi valeat, vtique ex ſignis ſimilem differentiam repræſentatibus, ſingula quæuis illius tempora.(vt & morborum euidentium ſua) elucefcent. Signa autem hæc, vel ex cauſis principijſque temporum deſumuntur, vel ex effectis tempora ipſa inſequentibus, colligi poſſunt; Attamen quia, vt principiorum horū notitia habeatur, quatenus porrò temporum morborum ſunt principia, expreſſa quædam operationis eorum repræſentatio deſideratur, quæ omnino in morbis obſcuris haberi non poteſt, ob id merito ex effectis euidentibus duntaxat, horum quatuor temporum notitia procuranda eſt. Quare effectus cum ſint, quot quot morbum conſequuntur, vtique dum morbus incipit, leuiora ſunt omnia, quia illa tunc quoque incipiant, adeo quod vſque quo talia ipſa durant, eouſque etiam ſtet ipſum mali principium, quod proptiè eſt tempus, in quo morbus quidem adeſt, ſed eiuſdē exacerbatio nulla videtur, quod videlicet morbi pernicies ſeipſam nondum oſtentet, nec dum valdè naturam ad bellum prouocet, ſed impeditā eam ſolum quodammodo reddens, ab operibus conſuetis aliquantulum retrahat. Vbi verò iam paulatim increſcens, ægrum grauius affligat; & ad bellum naturam valentius excitet, tunc ſine dubio morbi incrementū adeſt, tunc quippe effectus morbi omnes grauiores, & ſæuiores euadant, ex quibus omnino incrementum ipſum innoteſcit. Atqui dum æqualia omnia ſunt, & ſibi ipſis etiam quam ſimilima, ac in eodem ſtatu permanentia, perſeuerantiaque, licet grauiſſima omnia ſint, ægrumque grauiſſimè conflictantia, quia magna, quæ vnquam fuerit, inter morbum, & naturam, pugna reperiatur, tunc ideo morbi ſtatum adeſſe clarum eſt. Declinatio verò quæ ipſius morbi remiſſio eſt, & poſt partam de morbo victoriam, ad ſalutem etiam via eſt, tunc ſanè adeſt, cum mitiora fiant omnia, eaque tardius, ac ſegnius occurrant, cum manifeſta ſalutis ſpe, & naturæ leuamine. Ita enim nec aliàs, quatuor ipſa tantopere celebrata morborum tempora colliguntur; & ſi dierum, quibus concluduntur, numerus, in varijs omnino varius ſit, nec in cunctis conſtans eſſe conſueuerit, ſed aliquando multus, & aliquando paucus, pro morbi longitudine, obſeruetur. Hæc autem morborum tempora, cum ad conſtantiam, vel inconſtantiam ſignorum dignoſcendam, vt denique de re propoſita præſagium certum habeatur, obſeruanda ſint, vtique quod nam ex his idoneum ſit, & huic obeundo muneri aptum, ſeligendum eſt. Etenim quamuis interdum, ipſo ſtatim morbi principio, Medicus de futuro ægri exitu conjecturam facere poſſit, vel puta ex iampridē cognita morbi natura, & cauſa, vel item ex ſimptomatū ipſum morbum comitātiū ſpecie, validi.

validitateque, accedentibus vltimo reliquis, particularem morbi motũ,
atque progreſſum eius, per idem anni tempus, & regionis conditionem,
indicantibus; quamuis inquam ex his futurum morbi exitum ſalubrem,
aut letalem, breuem, aut longum, alium vè, ipſo morbi occurſu, ſatis
pro voto, Medicus interdum colligat; tamen cum per morbi initia, na-
turæ reſiſtentis, & morbi inſiſtentis, nondum pateat firmitudo, ſiue con-
ſtantia, vnde potiſſimum ægri præſagium deducatur, quia nempe tunc
nondum tantum malum videatur, quantum dein fortè fortuna futurum;
vigeat autem adhuc ipſa natura, quæ fortaſſe poſtmodũ omnino ſuccum-
bet; tunc temporis ideo à præſagio prorſus abſtinere prudentẽ Medicum
decet. At in ipſo morbi incremento, cuius tractu, naturæ, ac morbi
poteſtas metiri ſatis commodè poteſt, vt potè quæ tunc, vtriuſuis maior
fuerit, euidentius conſtet, de ipſa exitus conditione, & de diſtantia itidẽ
eiuſdem euentus, licet certius coniectari; Conſtantẽ & ſi tunc ſententiã
ferre adhuc temerarium videatur; quando interim plura immineãt, quo-
rum vi, alius, atque alius exitus expectari omnino poſſit; Sicuti præſer-
tim eſt morbi commutatio, per quam ille nouam naturam adeptus, nouã
ſimiliter ſui exitus conditionem oſtendit; hæc ſiquidem commutatio ple-
runque morbi augmento fit, quo iampridẽ morbus cum natura pugnam
aggreſſus, impetum multiplicẽ pati conſueſcit. Igitur ad finem vſque in-
crementi, vel per ſtatum ipſum, de exitus bonitate, aut malitia, retardã-
dum iuditium eſt; quod ſine dubio tunc certitudo illius præſto habeatur,
quia inquam tunc ſolum, nec vſquam antea, tum omnimoda morbi cõ-
ditio in apertum ſeſe dederit, tum naturæ ipſa poteſtas, qualis, & quan-
ta ſit, palam apparuerit, ita vt nihil vltro adeſſe poſſit, quod iam factum
iuditium perturbare aptum videatur. Vtrunque autem res ipſa ſit, hoc
vnum nihilominus ratum, firmumque ſemper in omnibus ſit. nempe iu-
ditium, quamquam ex certis apertis coniecturis deductum, cautè tamen
vbique illud exponendum; numquam firma, ſtabiliaque adeo ſint om-
nia, quin vel morbi præſertim vehementioris varietate, vel nouo ſaltem
ægroti, aut aſtantium errore intercurandum commiſſo, eadem omniqua-
que deficere valeant.

DE VIRIBVS NATVRAE AGITVR, demonſtraturque ex cauſis, & effectis, robur earum indicari, atqui primum, quatenus ex cauſſis, ſeu principijs proprijs, innoteſcat, explicatur.

CAPVT SECVNDVM.

CVm ergo ea à nobis iampridem poſita ſint, exquibus ægrotan-
tium exitus pendet, ita vt ex illis iuxta ſe poſitis, & inuicem
comparatis, de futuro quouis morborum euentu merito præſa-
giri datum ſit. Nempè morbus, cum ſimptomatibus, vnde
ægrotanti perpetuò inſidiæ moliuntur; Prætetea inſiſtentis
naturæ virtus, roburuè, cum requiſitis medicæ artis auxilijs, quibus tan-
quam ex arce, miro ingenio, aduerſantibus morbis repugnare, obſiſtere-
que

que datum eſt. Hæcque illa cum ſint, quorum cauſa ægris cuncta proueniunt, vtique ſpeciatim omnium deinceps aggredienda tractatio, & quatenus horum vnum quodque æſtimandum ſit, quibusque notis tale nobis eluceat, perpendendum. A Natura verò, tanquam à qua primũ, vt operis, ita meditationis, pendet occaſio, ſermonem ordiemur & quantum in ægris illa præſtare apta ſit, ac ex quibus demum talis dignoſcatur, demonſtrabimus. Eſt porrò Natura principium primum, quo nos homines geniti, opera omnia, & vitæ præſertim exercemus; quibus ſcilicet non ſolum integra noſtri conſtitutio viget, & inſtauratur, verum adhuc illa mirum in modũ ab omni morborũ occurſu, præſeruatur; quando nobismet in lucem prodeuntibus, vt præſcriptam aptæ cõſtitutionis mediocritatẽ conſequamur, conſecutamque conſeruemus, perpetuò natura hæc, ex ſe, quaſi doctore inſtructa, pro neceſſitate, ſingulis ſingula ingenioſiſſimè opportunèque miniſtret. At quid nam tandẽ hæc ipſa natura ſit perueſtigantibus, ſola anima ipſa noſtra occurrit, à qua cum eſſe primum habeamus, merito etiam opera in nos cuncta manare veriſſimũ erit; Per animã etenim ipſi viuere videamur, verèque homines eſſe credamus, quod per hanc viuentes munera exequamur plurima, quæ morte conſumpti, anima nempe decedente, ne minimũ quidẽ attingamus; argumentum ſanè munerũ horum non corpus noſtrum efficientem cauſã eſſe, ſed ineſſe quidpiam viuentibus nobis, animam ſcilicet ipſam, qua demortuis præſtantiores ſimus, atque potentiores; Ita vt quod nobis perpetuò per vitam inſidet, nec vſquam deſerit, ſed primo noſtri gubernacula tractans, partes omnes in ſuum quodque opus ducit, & concitat, vt ſimul omnium functionum cauſa cenſeri debeat, anima noſtra ſit, quę & meritò natura nuncupetur. Atque res cum ita ſe habeat, anima autẽ iam dicta opera in corpore ſolum exerceat, ſine quo ab his illa omnino abſtinet; corpore ſiquidẽ veluti inſtrumento ad ea proſequenda vtatur, adeo quod niſi aptè illud conſtructum, ſymmetraque proportione conſtitutum exiſtat, opera ipſa manca, & multifariam deprauata in eo cernantur; profectò mirum videri non debet, ſi quamquã in omnibus eadem ex æquo anima eſt, in ſingulis tamen operationes eędem, & ſimiles non obſeruentur, quoniam corpus animæ, operumque inſtrumentum nunquã in omnibus idem, ſeu potius ſimili diſpoſitione compactũ reperitur, vt ſcilicet neceſſario vbique ſimiles proferat actiones; Cæterùm hinc cum perfectiores, & meliores homini ſemper operationes adſint, cuius corpus ea ſit moderatione conſtructum, quæ præ aliis, ſymmetræ proportioni, ad exquiſitè operandum magis accedat, vtique ſequitur vt quandocunque id obſeruari contingat, tunc itidẽ liceat aſſerere naturam in eo potenter, & validè operari; Contra imbecilliter, & languide, ſi res aliàs ſit. Itaque vt melior, deterior vè corporis noſtri conſtitutio, validiorum, imbecilliorum vè naturæ operum, radix eſt, & potiſſima cauſſa, ita neceſſario, ex eadem conſtitutione, naturæ vires, quaſi effectus ex cauſſa, æſtimandæ ſunt. Spectat autem conſtitutionis bonitas tam ad partes ſimilares, quam ad diſſimilares, vt alibi dictum eſt: amant enim ſimilares proportionatum ſuarum qualitatum temperamentum; amãt pręterea diſſimilares figuram, & formam propriam, propriamque magnitudinem, inſuper & numerum, cum ſitu conuenienti, atque demũ omnes ſimul ſibi inuicem mutuo ſe fauore proſequentes, in vnum harmonicum concentum vniri ita deſiderant, vt ferè nuſquam iuſtum ſimilarium temperamentum, citra rectam diſſimilarium conformationẽ, & contra, eſſe

poſſe

poſſe certum ſit. Quapropter ex omnium partium corporis ſymmetria, tandéque ex totius corporis conſtitutione, naturæ operantis robur diiudicabitur; Et ſi iuditium penès tēperamentum ſimilarium certius cenſeatur, vt puta quod bona, vel mala partiū ſimilariū conſtitutio magis ad robur faciat, quam illa diſſimilariū, quoniam hæc refertur ad illam, hoc eſt ad mediocrem. Verum quæcunque hæc ſit conſtitutio, ea ſanè nos omnino ſua præſentia latet, quod nēpè longè à ſenſibus illa diſtet; Non niſi igitur mente, varijs coniecturis, ex effectis, & cauſſis, à nobis concipi poteſt. A cauſſis autem ſumpto principio, illas dicimus eſſe, Parentes, Patriam, & Educationem; ab his quoniam primam conſtitutionis noſtrę originem pendere experimento compertū ſit. Etenim ex robuſtis, validiſque parentibus, ſemper ferè aptè conſtructum, ac perinde robuſtum, validumque hominem procreari certum eſt; Nempè quod homo ex eorum ſemine fiat, quod quamquā re vera non eſt homo; hominē attamen in ſua continet poteſtate; atque ad inſtar illud frugum, quod Agricolæ ſementē facturi, purum, & fętum ſcelligunt, experti frugē malā è marcido percipi; Sic ſi ex benè compoſitis, ideoque robuſtis parentibus decidat, omnino ſimilem hominē profert, ſcilicet ſymmetra compoſitione confectum, & valenti natura donatum, perindeque difficile, ac raro morbis obnoxium; Contra ex praua conſtitutione præditis, & imbecillis. Accedit parentibus patria, quæ quantum intergenerandos homines, illorum conſtitutioni faueat, facillimum eſt, vel ſolo eorum experimento, monſtrare, qui longè latèque orbem peruagati, plurium gentium mores, atque naturas diligenter obſeruarunt. Communi enim conſenſu fatentur omnes ob locorùm varietatem, homines multifariam varios procreari, & natura præſertim, hoc eſt conſtitutione, differentes, atque differentiam à locis ipſis in primis prouenire, quod quilibet etiā cōmodè apud ſuas gentes experitur; Nā qui vnius regionis partes montanas incolunt, hi ſine dubio firma, ſolidaque conſtitutione donati, vegetiores, robuſtioreſque ſunt, & laborum tolerantiſſimi; qui autem eiuſdem regionis partes pratenſes, ac planas inhabitant, vt plurimum, contra tenuiori, molliorique habitu ſunt præditi, ſegnioreſque perindę, & imbecilliores ſunt, ac laborum minus tolerantes. Quod equidem fit, tum ob terræ, ſoli vè varietatē, tum item ſæpe ob præcipuam ſolo inſitam proprietatem, vel ob cælorum aſpectum, vnde aeris differentes oriuntur qualitates, ex quibus homines melioris, aut deterioris conſtitutionis, ideoque ſalubriores, vel inſalubriores, procreantur. Verum enim verò ſiuè parentes, ſiue patriam, noſtræ conſtitutionis originem poſuerimus, educatio certè magis eius principiū ſtatuenda eſt; vel ea quandoquidē ſola, iampridem inditam conſtitutionē immutare, ſubindeque hominē magis, vel minus certis morbis obnoxium reddere, apta ſit. Educatione autē complęctimur ea, quæ neceſſario, præter fortuita, ad vitam deſiderari planum eſt; Inter quæ primas tenent, quæcunque extrinſecus accedentia, ſuo nos ambitu alterant; Deinde quæ intrinſecus aſſumpta, receptu ſuo, nos palam immutant, & tertio quæ in nobis, ex ipſiſmet, facta, ſua ſaltem efficientia, nos alios reddunt. Ad hæc namque tria capita, quæcunque ad vitam requiruntur, vt alias indicauimus, facile reducuntur. Ad primū caput, præter fortuita, deducitur aer, quicunque ſit, quē habeat vel patria, vel habitatio; Hic etenim vbique rebus omnibus circonfuſus, in intima quæque penetrans, non nos homines ſolū, cum reliquis animantibus, ſed & ſolidiſſima quæque, ac inania, quæ aliter ſicco, & aliter pluuio cęlo

uio cælo affici notamus, cōtaglone prorſus immutat; Immo ad noſtri corporis conſtitutionem, & ſimilarē præſertim immutandā, illius vis maior, & efficatior eſt, quā cæterorum; Tanta quippe aeris vis eſt per cuncta meabilis; quare meritò ille, qui habitationis eſt proprius, diligenter examinandus eſt; Namque locus æditus, apricus, & ſiccus, ventis difflatus ſuauiter ſpirantibus, in quo perinde, vt plurimū, per ſtatum cæli tēperatum, ad frigidum inclinantē, ſerenitas multa redundat, quippe quod aer ibi, tota ſui conſtitutione, purus, nitidus, tenuis, patens, & liber, nullis inquinamentis obſitus, nulla putredine affectus, nullo vapore malo, aut craſſitie perfuſus ſit; hic inquam locus, ob aerē in eo ita diſpoſitum, & ſalubritatem, & bonam valetudinem facit, eamque tuetur, nec quidquā corpora permutat, quia nec opprimat, nec diſſipet, ſed vegeta illa, ac valdè robuſta facit, conſeruatque; Cui ſanè contrarius, nempè qui editis vndique montibus ſeptus, demiſſoque ſolo, ac cauo, arctatus, atque cōcluſus, nullū recipit ſtatum, quique ideo aerem humidum, craſſum, ac turbidum, & caligine plenum habet; præſertim ſi prope ſtagni cuiuſuis, aut paludis, aut cloacæ vicinitas adſit, vnde perpetuò vapores exurgant, quibus ille varia impuritate polluatur; hic ſiquidē locus, ob aerem huiuſmodi, vt omni temperamēto, omnique animantium generi, nedum homini, tum opprimendo, tum diſſipando, noxius, & inutilis eſt, ita meherclè robur ſemper adimit euidentiſſimè; & porò magis, aut minus, pro vt loci aer, quo fruimur, huic, vel illi magis, aut minus, aſſimilatur. Sub caput ſecundum, poſt multa, cadit p[illegible]us, cibus ſcilicet, atque potus quo perpetuò ipſi nutrimur, qui ſanè quamquā aere ipſo tardius, ac ſegnius nos immurat, quoniam tamen permanentē, ac inhæreſcentem corpori materiam ſuppetat; validius ideo, contumaciuſque nos, quacunque is ſit qualitare præditus, afficit. Etenim cum internutriendū adhæreſcat, atque perſiſtat, minime verò nos ſola temperamenti ſimilitudine; ſed totius potius ſubſtantiæ affinitate, nutriat, ſit neceſſario, vt ille, differenti qualitate, qua tam actu, quam poteſtate viget, nos velimus, nolimus, ſemper afficiat, & quamuis ventriculo exceptus, in eoque vi caloris infractus, ac domitus ſit, & inde in inteſtina, in meſenterij venas, & in iecur demum elabatur, vbi continuò magis, ac magis infringatur, dometurque, nuſquam tamen prorſus priſtinis ſpoliatur qualitatibus, ſed harum non nihil etiam manet in ſanguine, qui & in venas maiores, & in minores, & in corporis ſingulas alendas partes effuſus, illas ſuis ille qualitatibus imbuit, vt tandem omnis, corporis, partiumque eius conſtitutio, paſtu ipſo, ex ipſius inquam qualitatibus immutari videatur; Et ſi adhuc ex eiuſdem optimi quanritate, & vſus opportunitate, vt notū eſt, accidenter tamen, & indirectè idem ſæpe contingat; Vnde quanto longius à iuſto qualitaris, quantitatis, & opportuniiatis, ille decedet, tanto valentius ſymmetrā corporis conſtitutionē perturbet, conſeruet autem ſi mediocritatem obtineat. Tertium caput amplectitur quæcunque geruntur, à nobiſque in ipſiſmet perpetuo fiunt; Inter quæ primas tenet, tum mentis, tum corporis exercitatio; Etenim dum viuimus, perpetuò varijs mentis paſſionibus & corporis multiplici motu exercemur; atque nos exerceri, perfectio noſtra eſt, quia iam perſoluamus quod nobis à natura datum eſt, ita vt perfectæ noſtri corporis conſtitutioni actio hæc verè conueniat; Sed ſiue mente, ſiue corpore exerceamur, ſi per exceſſum, & ſupra vires id fieri contingat, profectò nobiſmet ruinam machinamur, quoniam exercitatio, quæcunque ſit, ſpiritibus eget non paucis, hi vero, ex

deſatiga-

deſatigatione multa, vltra modum exhauriuntur, diſſipanturque, & inde demũ corporis vniuerſi ſymmetra conſtitutio deprauatur, deficiente nempe eo, vnde potiſſimũ illa conſeruatur. Veluti ſimiliter per quietem diuturnam nimis, exercitationis intermiſſio, qualem puta deſidioſa vita habet, non minus lædit, atque ſomnns immoderatior, exercitio ſenſus, & mentis oppoſitus; quippè quod ſemper inde corpus fiat ignauum, & mens vnà cum ſenſu palam torpeſcat, ex quo nẽpe ſpiritus offundantur, opprimanturque, & ad omnia naturæ opera ſegniores euadant: vnde cõſequenter, totius, ac partium conſtitutio labefactatur, oppreſſo ſcilicet medio, quo illa vigebat; Attamen contra, horũ mediocritas, innatæ conſtitutioni, perindeque robori plurimũ fauet, cum per illam, tum ſpiritus, quaſi intimis partibus torpeſcentes, excitentur, foras euocentur, & in omne corpus, ad naturæ munia peragenda, diffundantur; tum inſuper diminuti inſtaurentur: quoniã videlicet coctio, alimenti diſtributio, & excrementorũ expulſio valenter adiuuetur, vnde quod ex his perpetuo diſſoluitur, facile reparetur; Quare huic mediocritati, quanto propius, exercitatio, quæcunque ſit, appropinquabit, eo validius illa, integræ corporis conſtitutioni, ipſique demũ virium robori, apte fauebit. Verũ enim vero, licet iam dictis his, noſtri corporis educatio comprehendatur; non ex his tamen quomodolibet proſequutis, noſtri corporis conſtitutio trahit originem, Sed ex ipſis tantummodo conſuetis; Eſt porrò conſuetudo, actionis, & paſſionis, rei cuiuſuis crebrius repetitæ, contracta familiaritas, & ferè adſititia ſimilitudo; Quare ſi quando iam dicta intereducandum obſeruata, frequenti, longoque vſu fuerint repetita, meritò conſueta æſtimabuntur; Conſueta autem noſtræ conſtitutionis eſſe principium certiſſimũ eſt, quoniam ex his, quæ per momentum quaſi corpus noſtrum duntaxat afficiunt, affectio per ſumma illius diffuſa ſolum inhærens, mutabilis, & inconſtans adeo ſit, quod ſi per ſe, ſolitariè que ſuæ naturæ relinquatur, velut leuiſſimè transfuga, ſic à ſe ipſa deſciſcat, & tota quam mox vt aſcititia, & aduentitia, corpore ad ſe, priſtinãque conſtitutionem reddito, exoleſcat; Sed ex his quæ aſſiduo appulſu, nulloque puncto temporis intermiſſa adhæſione, veluti per conſuetudinem fit, neceſſe eſt vt affectio inducta permaneat, & conſtitutio antiqua mutetur; Et hoc veriſſimũ eſſe, & experimento ſatis comprobatũ eſt, necnon, & euidenti ratione firmatum; Quia cum nos velimus, nolimus, nutriamur aliments, quorũ tẽperamenrum, raro illi, quod nobis eſt inditum, adamuſſim ſimile eſt, at ſæpe diuerſum; ſequirur omnino vt inde, ſicut noſtri ſubſtantia alia, atque alia fit, ſic etiam tẽperamentum proprium alteretur, fauente præſertim aere, fauentibusque omnibus, quæ à nobis in ipſiſmet perpetuo geruntur; quinimo ex continuato, & conſueto horũ alimentorum inhærentiũ vſu, & aliorum perenni durante fauore, neceſſarium eſt nos ſimiles prorſus ferè euadere, noſtrumque habitũ tandem permutari, nouo ſcilicet adepto tẽperamento; Neque tamen id repugnat ſanitati; tum quoniã ſenſim, longoque tractu, pro ætate, ac in latitudine ſanitatis, id fiat, & ſi extra mediocritatis deſideratæ fines quodãmodo cẽſeatur; tum quia nec ita mutetur antiquũ, vt nouum ſuperueniens, illi prorſus aduerſum, diſſymbolumque ſit; quippe ſi id nõ omnino ſymbolum fuerit, primæuo ſaltem adeo non repugnat, quin etiã ſemper antiqui multa, eaque non parua reſtent veſtigia; & ſanè partium ſolidarũ occaſione potiſſimum, quæ ob firmitatẽ, roburque, vt difficilè diſſoluuntur, ita difficilè etiam funditus euertuntur; Immo ſiue contra-

E riorum

riorum longa conſuetudine, ſiue temporis decurſu, valenter permutentur; primæuũ tamen tẽperamentum ſemper adeo redolent, quod noua occaſione quandocunque oblata, in ipſum expeditius ſe ſe etiam ſæpiſſimè reducant. Cæterum res quamquã ita ſe habet, nuſquam attamen ex ſolis Parentibus, Patria, & educatione conſueta, tanquã ex cauſis, de noſtri corporis conſtitutione, ſubindeque de naturæ viriũ validitate, imbecillitate vè ſimpliciter pronuntiandũ eſt; Sed habenda vltro ratio ætatis eſt, quæ & ſi principium effectiuũ, commutatiuũ ſcilicet conſtitutionis non ſit, eſt nihilominus regula, per quam, quantũ conſtitutio propria viribus fauere, ac morbis inſiſtere apta ſit, commodè menſuratur; Quandoquidẽ nunquam vna, & eadem conſtitutio, in vno & eodẽ homine, ex eiſdem prorſus efficientibus cauſis iam demonſtratis, inducta, cõſeruataque, ab ipſo vitæ ingreſſu, ad exitũ vſque, nempè mortẽ, eaſdem proferre vires apta videatur, ſed neceſſario fortiores modo, modo debiliores edat; Et huius rei cauſa vnicuique à natura inſita eſt, quando vt quilibet externorũ impetu laceſſitus perpetuæ diſſolutioni obnoxius eſt, ita perpetuo ex ſe ſuæ inſtaurationi neceſſario incumbat id verò dũ auidè præſter, velit nolit, defatigetur, & viribus omnino ad agendum debilior fiat; Quare quamquã interea nutritionis ope inſtauretur, nuſquam tamen, toto vitæ curriculo, ita ex æquo ſimilis reparatur, vt ad vnguẽ deperdito reſpondere videatur, & vt conſequenter, à principio, ad finem vſque, proportionata conſtitutio conſeruetur, quæ viribus ipſis vt antea bellè deſeruiat. Porrò autẽ id ipſum vitæ noſtræ curriculum in quatuor præcipuas ætates diuidi certum eſt; Pueritiam videlicet, Adoleſcentiã, Virilitatem, & Senectutẽ; Etenim dum naſcimur, nundum ea præditi conditione ſumus, quam perfecto, integroque homini natura conceſſit, ſed vltro augeri, appoſitiuſque conformari, per quatuordecim ferè pueritiæ annos, ad Adoleſcentiam vſque neceſſe eſt; Inde enim ad trigeſſimum, vt plurimũ, annum, nos meliores, firmioreſque redditi, ſtabilẽque demũ conditionem adepti, certo temporis ſpatio, floridè conſiſtimus & quaſi ſui vbique ſimili, matura conditione, ad quinquageſimum penè annum, & ſæpe vltra, per virilitatem fruimur; Et ſi tandem ſenſim conditionẽ eandem amittentes, ingraueſcente ætate, per ſenectutem, reliquis inquam ſubſequentibus annis, in deterius præcipitemur. Vnde licet ab ipſa pueritiæ, & adoleſcentiæ, ætate, ab eo inquam ſtatim quod naſcimur, pedetentim reddi meliores, obeundiſque vitæ munijs, vel vno paulatim aucto vegetioris virtutis beneficio, aptiorem aſſequi conſtitutionem videamur; cum nihilominus, vt rebus omnibus natura conſtantibus, ita etiam homini, certus conditionis terminus inſit, profectò eo tãdem nos homines deuenire eſt operæ pretium, quo veluti noſtri rectè cõformata conditio, ſic conſtitutio rectè perducta, quieſcat, nec vltro proficiſcatur, vt per ipſam conſiſtentiæ, ſeu virilitatis ætatem videre eſt, qua tota, cum matura, floridaque conſtanter omnia ſint, ad ſenium vſque, ſit, vt tunc iam pridem adepta, quæ deſiderabatur, noſtri conſtitutio, vnà cum exacta caloris copia, iuſte conſiſtat, palamque ſplendeſcat; Atqui deinceps ſenſim omnibus gradatim deficientibus, ex quo ſcilicet nobis pabulum ſucceſſiuè deficiat, nec vſquã ſemper æque inſtauretur, ideo euenit, vt paulatim etiam iuſta noſtri conſtitutio, deficientibus quoque viribus, deprauetur, &, ſi ſit conceſſum, ad vltimum ſeniũ vſque, quod vitam claudar, illa marceſcat. Ergo de naturæ viribus, ſiue potentia, Medicus, inter præſagiendum, ex cauſis iudicaturus, parentes quidem,

patriam,

patriam, & educationẽ conſuetam, ex quibus hominis conſtitutio, cum virium robore pendet, diligenter exquiret; ex his attamen, non niſi ætate examinata, aſſeueranter de re ipſa decernet. Quandoquidem ſi bonã, & temperatam conſtitutionem, ex parentibus, patria, vel ſolita educatione eſſe inductam, per ætatem pueritiæ, & adoleſcentiæ obſeruari contigerit, nulli dubium quin vt ad virilitatem vſque illa perperuò melior, atque perfectior fit, ita naturæ robur magis, ac magis augeatur; Contra verò, per ſenij ætatem, robur decreſcat, etiam ſi temperata, & bona ſit conſtitutio; tunc quippè perpetuò imperfectior, arque deterior illa euadar; Verum cum per virilitatem, conſtitutio ipſa floreſcat, atque conſiſtat, omnino ideo tunc virium robur floridum, & validum eſt cenſendũ, & ſi quidem magis deſinente adoleſcentia, quam mox ſenio acceſſuro, credendum id videatur. Quam ob rem, ſi forte fortuna, inæqualis, & præternaturam vndecunque inducta conſtitutio aliqua ſit, ad quam virium imbecillitas ſubſequatur, ſit aut ea in adoleſcentia, (pueritia enim debilior ſemper ob corporis tenuitatem æſtimatur) dubio procul minor aderit imbecillitas, quam ſi fuerit in ſenio; inſuper etiam minor in virilitate, & ea præſertim parte, qua adoleſcentiæ propinquior fuerit; quoniam vt ætate validiori robur facilè ſtat, ætate autem debiliori imbecillitas, ita ætate validiori, imbecillitas minor poſſibilis eſt, debiliori verò maior. Atque de virium naturæ potentia, ex cauſis, hac ratione inquirendum eſt; Ea quamquam, & maior, & minor eſſe poſſit, quia vel ex cauſis diſſolutionem molientibus, vel ex cauſſis opprimentibus paſſim in nobis minuatur; atque in præſagiendo ſemper vnde illa talis facta fuerit, accuratè perquirendum eſt; Quoniam ex oppreſſione deterior illa minus cenſeatur; quippe tunc vires ſolum ſepultæ ſint; quam ſi ex diſſolutione originem duxerit, per quam magna ex parte ille euanuere. Diſſoluta, diſſipata vè virtus eſt, vbi ſufficiens ſpirituum copia abſit, vt quando illos per euidentem præuiam diſſolutionem, quæ multiplex eſſe poteſt, abſumi contigerit, aut item quando inſtaurationis, ſeu reparationis defectu, ipſi defecerint; Diſſipata etiam virtus eſt, vbi partes, tam ſimilares, quã diſſimilares, operibus exercendis conſecratæ, propriam ita conſtitutionem amiſerint, vt conſiſtentes vltro non ſint, ſed laxæ potius effectæ robur proprium amiſiſſe videantur; Oppreſſa verò virtus dicitur, vel quando ſpiritus aliena ſubſtantia coinquinati, obrutique, propria iam puritate ad actionem potiſſimum deſiderata careant; vel quando etiam illi, ne liberè ad partes diſtribuantur, ab obruenti aliquo intercipiuntur; Oppreſſa quoque virtus dicitur, quando partes, tã ſimilares, quã diſſimilares, actionibus ipſis inſeruientes, alieno onere preſſæ adeo opprimuntur, vt ad agendum ineptæ fiant. An igitur inter cauſandum, oppreſſio, vel diſſolutio præſtò fuerit, ſemper, & vbique examinabitur.

OPERA, SEV NATVRAE EFFECTVS: *qui ſint, & quo graduum ordine æſtimandi ſint, vt per eos euidentior roboris virium coniectura habeatur; atque inter hos, qui calidum naturale conſeruant, primum obtinere locum declaratur.*

CAPVT TERTIVM.

DE ipſius autem naturæ viribus, ex ſuis effectis, iam iudicandum. Ergo vt naturæ humanæ facultates multæ ſunt, quibus à conditore ſummo mirificè illa donata eſt; ita certè naturæ eiuſdem multa ſunt opera, ex facultatibus ipſis, tanquam effectus ex cauſis, perpetuò emanantia, quibus proſequendis, aſſiduè adeo, per vitam, & neceſſario incumbimus, quod ſine his, iurè, nec homines eſſe, nec ſaltem viuere valeamus: in nos quippè inde beneficia tanta proficiſcantur, quanta homini integrè ſeruando ſufficiunt. Ex operibus his itaque, veluti ex humanæ naturæ effectis, de eiuſdem naturæ potentia, robore vè Medicus iudicaturus, omnia illa inprimis ita diligenter recognoſcet, vt cùm paſſim meliora, & deteriora paſſim, pro facultatis operantis conditione, intellexerit, conſequenter ex his, qualis, quanta vè ſit, ipſa facultatum, ſiue naturæ potentia, clarè dijudicet. Sunt porrò opera hæc in duplici differentia, ex quo natura duplici potiſſimum fine operetur; Alia enim ſunt hominis perfectiua; & alia eiuſdem conſeruatiua ſunt. Perfectiua opera dicimus, quæcunque ex certis facultatibus emanantia, eo ſolo celebrantur fine, vt perfectum hominem reddant, talem videlicet, qui humanæ conditioni aptè reſpondeat, quæ in eo præſertim poſita eſt, vt inter animantia illud vnum ſit, quod mente intelligat, medio tamen ſenſu; Quod moueatur inſuper ad libitum; Et ſibi ſimile facere aptum natum ſit; Ita vt opera eadem trium merito ſpecierum cenſeantur; Cognitiuarum nempè, quibus tum mente, tum ſenſu, homo cognoſcit; Loco motiuarum, quibus progreſſiuè ille mouetur; Et demum genitiuarũ, quibus, cum cæteris animantibus, ſibi ſimile procreat. Conſeruatiua opera nuncupamus, quæcunque ex proprijs facultatibus edita, ad deſideratam corporis humani viuentis conſeruationem primò diriguntur, quæcunque inquam illudmet, perpetuæ alterationi, diſſolutionique obnoxium, aſſiduè ita præſeruant, reſtituunt, inſtaurantque, vt ſi fieri poſſit, illud ſemper ſibi, & vbique ſimile ſtet. Verumenim verò, vt duo ſunt ea, quorum ſummoperè conſeruatio in nobis expetitur, quorum ſcilicet beneficio, vita hominis durat; Nempè partium ſimilarium temperamentum, ac caloris præſertim in eas è corde influxi proportio quædam inſita, reliquas qualitates, de neceſſitate, propter vitam, excedens, quæ ſanè per ipſum patentem, ac liberum aeris perſpiratum, qui fit multiplici, tum pectoris, & pulmonum, tum cordis, & arteriarũ motu, conſeruatur; & præterea proprius, idoneuſque partium omnium habitus, ſeu congrua ſubſtantialis moles, cuius beneficio, organa actionibus

nibus quibuſque conſecrata, ritè conformata cum fuerint, operationibus aptè deſeruiunt; Qui vtique habitus per debitam paſtus celebratam attractionem, eiuſdem retentionem, & coctionem aſſimilantem, poſt aſſequutam excrementorum expulſionem, viget. Merito hinc duarum ſpecierum, vel generum opera eadem conſeruatiua æſtimanda ſunt, ex his ſcilicet ſumpta differentia, quorum imprimis conſeruatio deſiderabilis eſt. Cæterum hæc ipſa omnia perfectiua, & conſeruatiua naturæ opera, quandocunque ijs ſimilia ſint, quæ naturaliter quidem in nobis eſſe conſueuerunt; & adhuc ijs, quæ ipſi ægrotanti, pro neceſſitate, hic, & nūc, omnino conueniunt, ſemper naturæ robur ſignificabunt; quandocūque verò diſſimilia, nec ſufficientia fuerint, imbecillitatem arguent. At de naturæ potentia, ex operibus his, iudicaturus Medicus, nunquam tamē de ea pronuntiabit, niſi illorum tantūmodo præcognita dignitate, qualitate ve; Inſuper & ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, ac item aptitudinis, & ineptiei magnitudine; Et demum numero, tam ad vitam ſuſtinendam, quam ad morbum pellendum, vt iam antea ſuppoſuimus. Etenim conſeruantia opera digniora ſunt, & præſtantiora perfectiuis, vtpotè quæ vitæ præceteris faueant, morbisque imprimis aduerſari certum ſit; Atqui inter eadem primas tenent, quæ inſitum calorem fouent, atque tuentur; in calore quoniam vita ferè contineatur; & licet per ſpirituum inſtaurationem calor ſuſtentetur, vrgentius nihilominus per ventilationem, hoc eſt aeris perſpiratu, conſeruatur; namque ſine ſpirituum inſtauratione, ille longius durat, ſine vntilatione autem difficile, vel breuiſſimo etiam tempore, ſtat; adeo quod etiam motus, qui perfectiua operatio eſt, quatenus ſaltem ad ipſam ventilationem concurrit, fauetque illi, per dilatationem præſertim, & conſtitutionem thoracis, eodem gradu æſtimandus eſt. Secundo loco habentur opera, quæ corpus vniuerſum inſtauratione fouent, atque tuentur, alimenti ſcilicet attractione, retentione, concoctione, & excretorum expulſione; quibus ſanè quamuis inſitum calidum, ſpirituum nutritione, tueatur, ſine qua deficerent illi, & ipſum euolaret, cum eoque vita decederet; attamē propriè magis ex his corporis moles inſtauratur, ſimulatque morbo, & cauſſis eius, natura acriter aduerſatur; quod profectò magnum quid eſt, ad virium robur, minus tamen quam ſit illud, quod operibus priori loco poſitis, fit. Vltimum locum opera perfectiua tenent, quod minus cæteris illa robori naturæ faueant; ea quandoquidem (tactu excepto, qui percipiendis qualitatibus inſeruit, veluti quodammodo etiam ipſe guſtus) illud agere ſolum videantur, quod calidum inſitum, ſufficienti exercitio, ad ſui conſeruationem potenter exſuſcitent; interim tamen, ne idem, nimio exercitio, diſſipatis ſpiritibus, deſtituatur, vel vna inſtaurationis occaſione, interdum neceſſario quieſcant; Ab his excipitur motus, vt dictum eſt, qui per thoracem reſpirationi deſeruit, cuius certè alia, & quidem ſumma, atque perennis neceſſitas eſt, licet ille etiam imbecillis aptè ſufficiat, quaſi tunc virtus eo tota ſe conferat, id ſolum contendens, vt maximè neceſſarium; Hoc itaque ordine qualitas operum æſtimanda eſt. Cæterum numerus facile conſtat, ideoque quanto ex his plura ſecūdum naturam ſunt, tanto magis ipſa natura valet; Contra quanto pauciora ſecundum naturam erunt, tanto imbecillior eadem natura æſtimabitur. Sed eorum poſt hæc operum, bonæ, vel malæ conditionis gradus, tum ſcilicet ad vitam, tum ad morbum, qui ſit, inde potiſſimū colligi poteſt, vnde operum ipſorum diſceſſus à recto, maior, minor vè ſit conſpi-

conſpicuus; Conſpicuus autem fit ex modo, quo deprauantur; Quadrupliciter namque id illis contingit, ablatè, diminutè, auctè, atque corruptè; Auferuntur, cum ipſa nulla fuerint; Diminuuntur autem cum parcè nimis exerceantur; Atqui augentur, cum vltrò quam par ſit, in actum erumpant; Verumtamen corrumpuntur, ſi perperam, & non ſeruata forma, proſequantur; Maius equidem virium detrimentum eſt, ſi opera auferantur, Deinde ſi minuantur, Demum ſi creſcant, adeo quod præter naturam ſint, niſi infimul corrupta adſint; actio quippe corrupta, quatenus ad rectum magis, aut minus acceſſerit, eatenus magis, aut minus æſtimanda eſt; vt plurimum licet illud verum cenſeatur, quod operatio quæ corrupta, deprauata vè fuerit, deterior ſemper ſit, ipſa diminuta, quippe corrupta longius diſtet ab integra. Latent autē ſenſum opera hæc ſiue illa integra ſeruentur, ſiue lædantur; Sed mente percipiuntur, ex effectis, qui varij, diuerſique ſunt, pro varietate operum; Quare vt eorundem operum conditio ad aſſequendum robur prænoſcatur, effectus eorundem ſenſibiles in vnum colligendi ſunt, ex hiſque de operibus mēte iudicandum eſt. Neque porrò ex his duntaxat, quatenus conſeruationi per inſtaurationem incumbunt, ſed præterea etiam ex his, quatenus conſeruationi, per morbi demolitionem intereà vacant; poſteaquam inter ægrotandum, non tantum natura conſuetæ inſtaurationi operam det; verumpræterea etiam recuperandæ ſanitati ſummopere ſtudeat. Itaque ab opere conſeruanti, quod calidum, per ventilationem, ex aeris inſpiratione, & reſpiratione, tuetur, exordientes, ſanè principio, illud, ſenſibili motu dilatationis, & conſtrictionis thoracis, procurari; Demū verò cordis, & arteriarum ſiſtole, diaſtoleque, proſequi, ſupponendum eſt; Quando primum, oris perſpiratu, aer in pulmones, thoracis ope, vt diſponatur, auide protrahatur; Subinde verò ille, cordis, & arteriarum ſiſtole, diaſtoleque, ex pulmonibus, in propria, ad deſideratam ventilationem, libere perducatur; Vnde hi motus, vbi lædantur, pro maiori, vel minori læſione, ſufficientem magis, minus vè ſemper docent fieri ventilationem, ex qua, vt perpetuo calor in corde ſeruatur, ita etiam robur virium vbique propagatur. Verum inprimis læditur thoracis motus, vt aliud quoduis opus, quadrupliciter, ablatè, diminutè, auctè, & deprauatè; Aufertur ferè interdum, quia inſenſibilis fit, ſed rarò, manente nihilominus vita, & ſi breuiſſimo temporis ſpatio duratura, quod tunc illa longius ſeruari nullo modo queat, tuncque ideo, vt id quid ex ſe peſſimum eſt, calori cordi implantato prorſus aduerſum, ita etiam ſummæ imbecillitatis certum eſt argumentum. Imminuitur autem, vt lædar (rarò quamquam imminutione lædit, quia motus admodum paruus ipſi thoraci ſufficiat) cum paucus ille, & breuis plus nimis euaſerit, vt ſcilicet libero perſpiratui nō ſufficiat; vnde quo minor, ac breuior, eo maiorē ſemper caloris arguit angorem, viriumque imbecillitatem indicat. Augetur vltrò quam par ſit, cum ſupra propriam magnitudinem, & vehementiam, maior fuerit, quo certè caſu calori neceſſitas ineſt multa, quippe ille tunc præter omnem modum vim fortaſſe patiens, & excandeſcens, quaſi diſſipaturus, inſueta ventilatione ſeruari deſiderat; vnde quo magis ille talis apparet, eo magis langorem, & laborem oſtendit. Deprauatur vlterius thoracis motus (vel actus ille nimis, vel diminutus extiterit) ſi propriam formam motionis amittat; quia putà, vel tardus nimis, & rarus, vel contra celer, frequenſque nimis ille eſt; atque vt modus prior imbecillitatē iam præſentem oſtendit, ita poſterior neceſſitatem ventilationis caloris

ſummam,

ſummam, cum labore adeſſe docet; idque magis, minus vè, pro maiori, aut minori motus prauitate. Poſt thoracis motum debitæ ventilationi caloris inſiti inſeruientem, pulſatio etiam cordis, & arteriarum ſequitur, quæ ſaltem tangenti manifeſta eſt, quæ inquam adeo neceſſaria eſt, quod præter hanc, calor ipſe innatus, cordi implantatus, nequeat vel temporis momento conſeruari, quare etiam illa, poſt thoracis motum, iure cōtemplabitur; Siquidem quatenus pulſatio hæc extrinſecus patens fuerit, eatenus ventilatio cordis, ac vniuerſi, ad caloris tutelam celebrabitur, & qualis hinc demum caloris tutela fuerit, talis erit etiam caloris vigor, & virium tobur; Ergo patentium arteriarum pulſus quadrupliciter, a naturali, & per morbum item requiſito, decedit; Ablatè, Diminutè, Auctè, atque corruptè; Aufertur pulſus interdum, ſi non omnino, adeo attamen, quod tunc vix ſenſu percipiatur, tuncque aut vita, ob imbecillitatem, in ſummo diſcrimine ſtat, aut mox ſaltem euolatura; Sed diminuitur pulſus, quandocunque à deſiderata mediocritate decedat; Decedit autem bifariam, aut cum infra conſuetam, per ſanitatem, magnitudinem, ac validitatem ille ſubſiſtit; aut cum minus quam par fuerit, præſenti per morbum deſideratæ ventilationi reſpondeat; Pulſus enim localis motus cordis, & arteriarum eſt, vtque motus hic certo temporis, locique ſpatio fit, per illudque certo impetu celebratur, ita pulſus hic certam inprimis ictuum ſolicitudinem habet annexam; & inſuper arteriarũ ſpatium, ad quamuis magnitudinis dimenſionem, occupat; certumque demum impetum ſemper habet coniunctum; Quanto igitur in pulſu minor conſueta (adde & quam tunc pridem ægrotanti opportunum æſtimatum fuerit) tum ſolicitudo, tum ad quamuis dimenſionem extenſio ſit, tanto etiam minor pulſus magnitudo æſtimabitur; Quanto inſuper minor eiuſdem fuerit pulſationis impetus, vt ſi ictus vix ſenſu percipiatur, vel tactũ minus feriat, immo ex tactu facilè opprimatur, tãto minor quoque eiuſdem validitas iudicabitur; ita porrò diminutus pulſus eſt, ob calorē iampridem violenter oppreſſum, diſſipatum vè, qui propterea diminutè munijs conſuetis, ac ſibi proprijs inſeruit; Et quanto pulſus magis talis, tãto maioris erit imbecillitatis argumentum. Augetur autem pulſus perperam, ſi vltra conſuetam ſolicitudinem, magnitudinem, & validitatē, ille exceſſerit, quod fit, vel ſi breui tempore ictus habeat multos, illoſque perinde celeres; vel ſi ad quamuis arteriæ dimenſionem ille ſe nimis extendat, vel ſi inter pulſandum valde nimis vehementem, validumque ſe proferat; quod vtique contingit, dum inditus ipſe cordis calor adhuc fortaſſe vigens, vim tamen iam aliquando magnam patiens excandeſcit, ſecundumque eam magis, minus vè vrgentem, vt tueatur, ſummam ventilationem, eamque validam omnino deſiderat, ac ſibi procurat; perinde enim vires tunc perperam affici, & labefactari hic pulſus docet, & tanto certè magis, quanto magis pulſatio aucta (hæc & ſi robur maius arguat quam diminuta) præter conſuetum fuerit. Deprauatur vltimo pulſus, (ſiue ille auctus præter naturam, ſiue diminutus ſit) cum propriam, conſuetamque pulſandi formam interpulſandum non ſeruauerit, quia ſcilicet, diuerſum à conſueto ordinem, & ab eodem conſueto æqualitatem habuerit variam; puta quod pulſatione, & ictu, modo maiori, modo minori, modo vehementi, modo remiſſo, modo item tardo, & celeri modo, alio vè ordine, quam conſueuerit, tactum feriat, atque ſanè tunc imbecillitatis virium index ille euidens magis iudicabitur. Cæterum vtcunque motus hi, thoracis videlicet, cordis, & arteriarum, qui ventilationis

lationis caloris noſtri occaſione fiunt, à conſueto; ac deſiderato aliquando deceſſerint, hoc eſt, vel ablatè, vel diminutè, auctè vè, aut corruptè, certum eſt tales eos iudicare Medicum nullo modo poſſe, niſi primum in eorum tum moderatorum cognitione, qui cæterorum lex ſint, atque mēſura; tum in eorum demum notitia, qui inter ægrotandum afflictioni ipſi belle reſpondeant, diligenter ſit verſatus; vt horum reſpectu, differentias omnes vtrinque iuſtè conſtituat; Atqui non moderati illi quærendi ſunt, qui nuſquam alio quouis modo nimij extent, quorum comparatione, cęteri omnes, aliquo exuberantiæ nomine nuncupentur; iuſti quippe non niſi in optima corporis conſtitutione animaduertantur, quæ & temperatiſſima ſit, & prorſus media, quæ nunquam, vel rarò, conceſſa eſt; ſed qui moderati ſolum adeo ſunt, quod & pro corporis conſtitutione, & ætate ipſa, vniuſcuiuſque proprij ſunt, illi porrò ſupponendi ſunt motus, illique pro regula meritò ſtatuendi; Vnde quoniam in ſingulis quantumuis ſanis, ob varias cauſas, diuerſi illi videntur, vt difficile aliquos aliquādo reperias, qui à media illa mediocritate non cadant, ob id rationabiliter per ſanitatem, vna obſeruatione, diligenter, & ſtrictè incumbendū eſt, vt cōſueti, familiareſq;, thoracis, & arteriarū motus prænoſcātur, prænoſcātur inquā non ſimpliciter, ſed quatenus ſua cōditione, aut debiles, aut valentes appareant, hoc eſt, quatenus ad celeritatem, magnitudinem, atque vehementiam (ſine tamen interno, vel externo impellenti, intercipienti vè nouo, ex quo arteriarum pulſatio, citra virium imbecillitatē, aut robur, à conſueto decedat) per ſanitatem inclinarint potius, quam ad tarditatem, paruitatem, & remiſſionem; Ita quandoquidem poſtea, inter ægrotandum, pro varia inclinatione præſentis à præterito, differentiæ vtrinque facile concipiantur; Si adhuc tamen differentiæ etiam expendantur omnes, quæ pulſationi ipſi, inter ægrotandum, pro neceſſitate reſpondent, poſteaquam illis, quamquam præternaturalibus, defficientibus, vires longius affici verum ſit, contra, ſi aliàs adſint, euidenteſque ſint. Poſt hæc, vt ex motuum horum enarratis differentijs methodo, & ordine, caloris innati labor, vel langnor, & ſubinde virium imbecillitas habeatur, & contra, rurſum hæc, quæ dicenda ſunt animaduertenda; Nempè cum variæ motus differentiæ ex vno determinato caloris vigore primum, nec aliunde proueniāt; Thorax ideo, cor, arterięque, dum a mediocri dilatatione, conſtrictioneque, ad debitam ventilationem requiſita, ob excandeſcentem calorem, decedere obſeruantur, eam inprimis ſibi intermouendum differentiam arripere, quæ ſibi met facilior, commodiorque exiſtens, neceſſitati pro voto ſatisfaciat; Ea autem celeritatis eſt, ſiue fræquentiæ, quia ſi quando calor à iuſto recedat, & ipſam mediocritatem tranſcendat, ſemper celeritatis differentia prima eſt, quæ primum ſe offert, quod fortaſſe illa, tum facilior, tum cōmodior extet, Deinde verò cum acceleratus motus ſat eſſe nequierit, magnitudo tunc merito ſuperuenit, per quam dilatatis, thorace, & arterijs, maior etiam ventilatio, ac refrigeratio fiat. At ſi vltimo validius ipſum calidum ſit, adhuc vltro motus vehemens habetur, vt maiori ſcilicet impetu copioſa ventilatio calori vniuerſo condonetur. At verò dum calor ipſe deficiens à mediocri manifeſtè recedat, ideoque in nobis illius copia ſenſim per gradus diminuta ſit, vt robur virium infractum compareat, vice verſa, primum vehementia, & impetus paulatim tunc deficit; Demum increſcente defectu, paruitas ipſa præſto eſt; Præterea ex maiori eiuſdem langore, illico ſemper tarditas celeritati aduerſa accedit; Et

ſi vlti-

ſi vltimò, per deprauationem, veluti cum ordo, & æqualitas quomodolibet aliquando deſinit, vt qui languidus nunc motus eſt, mox vehemens appareat, & qui paruus, mox magnus, qui celer, illico tardus, & rarus euadat, iterumque recurrat, nec ordinem vllum; aut æqualitatem obſeruet, iam propè tunc caloris extinctionem ſtare, & ſummam imbecillitatem imminere, magis, atque minus, pro maiori, aut minori confuſione, conſter, ſicuti profectò in morientibus vt plurimum obſeruatur. Quamquam tandem vniuerſim, in ægris omnibus, ex quo non pauca illis, vt etiam ſanis, extrinſecus, & intrinſecus, ſpiritus in eis, ſubindeque calorem, non exagitantia ſolum, ſed & opprimentia, & diſſoluentia, paſſim contingunt, & inſuper organis motui pulſus inſeruientibus aduerſa multa adſunt, per quæ ideo parum certa, ad virium robur internoſcendum, iudicandi regula, ipſe ſolus pulſus eſt, merito niſi reliqua ſigna virium, tum bona, tum mala omnia, aut ex his ſaltem præſtantiora pulſui apertè conſentiant, raro totum eſt de robore virium ex pulſu pronuntiare. Sed quod calori inſito, per ventilationem, euenire hactenus dictum eſt, illudque motu thoracis, & arteriarum, agnoſci iam explicauimus, ſimile ferè per ſpirituum inſtaurationem, reparationem vè, euenit, & alia via indicatur; Spiritibus enim calor è corde effluens ſuſtinetur, vnde illis multiplicatis, euidenter calor ipſe viget, diſſipatis autem deficit; Itaque vt caloris inditi copia omniquaque conſtet, ſubindeque virium noſtrarũ robur conſpicuè eluceſcat, vlterius merito qualis, & quanta etiam inſtauratio ſpirituum celebretur, ex ſuis effectis, perquirendum eſt; Aſſequimur autem id certò, poſtquam totius corporis nutritio, ex proprijs factis, ſit demonſtrata; vt in ſequentibus.

OPERA NATVRAE, SYMMETRIAM corporis, per nutritionem, & ammetriæ, ſeu morbi, depulſionem, conſeruantia, quæ potiſſimum in ventriculo, & reliquis primis vaſis exercentur, quatenus ex his robur virium innoteſcat, explicantur.

CAPVT QVARTVM.

SEQVVNTVR ergo reliqua conſeruantia naturæ opera, quibus corporis moles ſuſtinetur, & quidquid eidem corpori ſecundum naturam ineſt, inſtauratur; vnde vlterius tanquam ab effectis, eiuſdem naturæ robur facilè appareret. Sunt autem opera hæc, vt dictum eſt, quæcunque primo ad nutritionem concurrunt; Attractio nempè paſtus; Retentio debita eius; eundemque alterans, & aſſimilans coctio; ac quæ inutilia excrementa, poſt aſſimilationem, pellit, expulſio; Nutritio quandoquidem humani corporis, operibus hiſce potiſſimum abſoluatur. Quandocunque igitur ea perfectè celebrentur, hoc eſt, nutritioni, pro conſueto, generosè deſeruiant, ſine dubio robur manifeſtè validum adeſſe demonſtrant; Sin verò contra, vt ſuo illa

fine fruſtrentur, nec debitæ inſtaurationi ad votum incumbant, imbecillitatem naturæ tunc vigere oſtendunt; atque id certè magis, minus vè, pro meliori, aut deteriori operum ipſorum conditione. Verum enim verò, vt hæc ipſa corporis humani, per nutritionem tantis celebratam operibus, inſtauratio, res eſt omnium conſenſu in nobis valdè mira, ita ſanè illam ſummo naturæ ſtudio, ac diligentia architectari confiteamur oportet; per eam quandoquidem primum, qui ad inſtaurationem paſtus expetitur, ille, delectu ſingulari, è multis decerptus, & manibus quaſi apprehenſus, detentusque, multifariam alteratur, atque conficitur, & nutriẽdo demum ita aſſimilatur, vt in deperditi locum ille iam reſtitutus, idem penè cum eo eſſe omnino cenſeatur; Quod non vno ideo noſtri corporis vaſe, nec vno inſtrumento duntaxat, vnoque modo tantum, natura cõtendit, ſed equidem plurimis, illiſque diuerſis. Etenim primum illa in ventriculo, & inteſtinis, attractionem, retentionem, & coctionem circa paſtum experitur, vſque quo nempe hic, omnibus ſuis partibus æque ſubactis, vniuſmodi, vniuſque ferè ſubſtantiæ, cremoris ſpeciem quandam præſeferentis, appareat; Ab eo quoniam tunc expulſis per ſeceſſum excrementis, quod vtile, & alimentitium eſt, opportunè in iecur, per meſenterij venas, attractum, tranſportatur; ibique denuo illud retentum, eouſque nouum elaborationis opus ſubit, quouſque iteratæ coctionis ope, perfectam ſanguinis naturam adipiſcatur; quando præſertim ſanguis, omnibus melancholicis, bilioſis, & pituitoſis excrementis expurgatis, vnicum corporis humani pabulum fit, quo illius habitus, & moles inſtauratur; Succeſſiuè namque è iecore, tanquam ex fonte, per venas, quaſi per riuos, ſanguis ipſe, in extremas vſque corporis partes, copioſe diſtribuitur, quia hæ naturali appetitu incitatæ, id ex illo præterlabente liberè prolectant, quod ſibi toto temperamento familiare eſt, atque iocundum, illudque receptum adeo amplectuntur, ac retinent, quod tertio opere celebrato, ſublatis iterum, & expulſis ſuperfluitatibus, ſi quæ ſint, in propriam partis ſubſtantiam illud conuertatur. Atque hoc ordine, hisque corporis ſedibus, ſeu vaſis, & modis, opera ad nutriendum requiſita, quibus habitus corporis inſtauratur, conſequenterque robur virium conſeruatur, & viget, attractio ſcilicet, retentio, concoctio, & expulſio, neceſſario exercentur; propterea que Medicus ex his naturæ robur iudicaturus, ne ſuo fine illa fruſtrentur, vel eundem potius appoſitè conſequantur, diligenter expendet. Cæterum quoniam in ægro corpore, non tantum nutritio, & inſtauratio, ex operibus his expectanda, quãtum præterea cauſæ morbi deſtructio deſideranda eſt; Si præſertim ea, humor peccans alicubi corporis reſidens cenſeatur, qui inquam, vt morbus ipſe ceſſet, generoſo naturæ opere, corrigendus, in modum vè redigendus, & debellandus eſt: Sanè verò cum non aliundè, quam ab eadẽ facultate, quæ vno caloris inſiti beneficio, nutritionem intendit, id habeatur, per eandem meritò, humoris huiuſmodi alteratio quæuis, & demolitio, in nobis ſponte ita celebranda, vt ille prauis licet imbutus qualitatibus, illiſque moleſtis, ſuperetur tamen, & vincatur adeo, quod quamquam ob nimiam eius prauitatem non ita mutetur, vt pabulum nutritionis euadat, mutetur attamen ſaltem, vt naturæ, quo ad fieri poſſit, minus aduerſum, & ad inſtar iam pridem iudicati excrementi, expellentis facultatis opere, foras purgandi æſtimentur. Et profectò id cum ita ſit, duplicem ideo ſemper operum dictorum finem, medicus, in eis expendendis, ante oculos ſibi proponet; molis nempe, ſeu habitus corporis in-

ris inſtaurationem; & peccantis humoris morbum facientis confectionẽ, demolitionemque; & quidem vt, pro meliori vtriuſuis ipſorum præſentia, robur validius, vel ſegnius, ex arte, cognoſcat. Exordietur autem ab his, quatenus in ventriculo exercentur, in quo primam paſtus ingeſti confectionem natura intendit; ad iecur demum ſe transſeret, in quo ſecunda immutatio fit; & vltimo ad totius molem, ſeu habitum perueniet, in quo vera aſſimilatio celebratur; Atque in his ſingulis ſedibus, operum præpoſitorum conditionem examinabit; an inquam illa integrè, & ſecundum naturam, vt dictum eſt, exerceantur, an cõtrà, ablatè, diminuitè, auctè, vel deprauatè fiant. tot enim modis illa à rectò decedunt, atque pro ipſo diſceſſu, robur virium indicant; Et quidem euidenter ex ventriculo, cuius errores pernitioſi adeo ſunt, quod cum deinceps emendari nulla ratione poſſint, alijs merito peioribus non paucis neceſſariam præbent occaſionem; Attamen euidentius ex iecore, in quo error commiſſus omnium ſemper peſſimus eſt; ille quoniam non tantum errorum in habitu corporis proxima cauſa ſit, quia ſcilicet ex eo pabulum corpori vniuerſo perperam tunc miniſtretur, verum vltrò aliorum vnica radix exiſtat, atque ita etiam bonæ nutritionis defectu euenit, vt non inſtauratis ſpiritibus, vires vniuerſim cadant, & vt morbi, eorum inquam multiplicata cauſſa, deteriores fiant. Sed a ventriculi attractione facto principio, eam ſanè quilibet ex ſenſu appetitus agnoſcet, & vt per ſanitatem in optimis ſignis poſitum eſt, mediocre paſtus adeſſe deſiderium, ita profectò in ægris præſtantiſſimum ſignum eſt, facile ſumere, quæ offerũtur, nec oblata abhorrere, tam ſcilicet alimenta, quam medicamenta; Oſtendit id enim robur virium, & naturæ operantis validitatem; atque vbi hoc lædatur, imbecillitatem omnino ſignificat, & eo certè magis, quo maior læſio ſit. Maxima offenſa eſt, cum aufertur ex toto, tunc nãque conſtat in ore ventriculi facultatem ab opere penitus ceſſaſſe, vnà cum ſenſu, qui illi non parum inſeruit; Minorem imbecillitatem monſtrat appetitus imminutus, quoniam talis ex roboris ſolum diminutione contingat; Verum ille ſi ſupra modum vigeat, quod immoderatum quid circa os ipſum ventriculi ſtare doceat, maiorem vtique, minorem vè tũc roboris defectum, pro malitia cauſæ irritantis, oſtendit; At ſi appetitus deprauetur, quod expetantur aliena, & quæ præter conſuetum ſunt, quoniam id ex humoris cuiuſpiam ori ventriculi infarcti prauitate fiat, vtique tunc pro eadem maiori, ſeu minori prauitate, robur naturæ languet. Retentio attractionem ſequitur, qua tandiu paſtus ventriculo, inteſtiniſque retinetur, quandiu iuſtè conficiatur, & medicamentum aſſumptum, quandiu actum potentiæ aſſequi incipiat; vnde ſi ſecundum naturam fiat, quoniam ſcilicet vtrumuis, & citra incommodum, & toleranter complectatur, conijcies validas eſſe vires; Si verò contra, imbecilles; Et quidem magis, quam per attractionis errorem, cum etiam magis retentio coctioni inſeruiat; Lęditur autem maximè ſi auferatur, deinde ſi imminuatur, adeo quod perperam reiectio fiat, ſed minus vbi protrahatur digeſtio, putà quod aſſumptum diutius ſubſiſtat; Quod ſi deprauetur, ita vt ſolum cum moleſtia ſit, tunc ratione moleſtiæ, & cauſæ ipſius, robur indicabitur. In iuſta ventriculi, & inteſtinorum retentione deſiderata coctio celebratur, per quam paſtus ingeſtus primum ita conficitur, vt tum cremoris deſiderati ſpeciem ſubſtantia eius conſequatur, tum ſi aliquibus ille partibus, vnà cum reliquis præternaturam in eo forſam congeſtis omnibus, naturæ aduerſetur, vel parum ſaltem amicus fuerit, facilè ſupere-

tur, in modumque magis congruum redigatur; Et porrò id in ventriculo, & adiacentibus inteſtinis, ſi ſecundum naturam perficiatur, docet virtutem pro conſueto vigere; Sin contra lædatur, longè multo debilius virium robur adeſſe oſtendit, quam hactenus nos, ex attractionis, retentioniſque defectu, ſupra dixerimus. Læditur coctio, vel quia ex toto auferatur, vel minuatur (quod ſi augeatur, id ſemper vtiliter fit) vel deprauetur; Aufertur ex toto, dum paſtus ventriculo recepti, vel humoris præternaturalis ibidem congeſti ſumma cruditas adeſt, quæ cum euidentiſſimum imbecillitatis ſignum exiſtat, neceſſariò vbi contingat, roboris ventriculi, & inteſtinorum extinctionem adeſſe demonſtrat; Patet autē, ex quo paſtus nihil penitus immutatus, ſed qualis pridem fuerat ingeſtus, talis quomodolibet emittatur; Tum demum ſi ipſe etiam humor ventriculo, & primis cæteris vaſis infarctus, adeo rebellis ſit, quod ob cruditatē, & inhabilitatem nimiam eum inde amoueri penè impoſſibile videatur; Veluti ex parte ſolum, & paſtus, & humor immutatur, ſi coctio ſolum minuatur, quæ diminutio vt nequaquam ſummam arguit imbecillitatē, ita neque ex toto virium robur deeſſe oſtendit. ſed magis, aut minus, pro vt magis, minus vè à perfecto recedit: vti facilè ex præſentia eorum indicatur, quæ cruditatem tantundem inſinuant, vt ſunt rugitus, tenſio, & alia. Sed tunc coctio in ventriculo deprauatur, & indicat imbecillitatē, quando rectè paſtus non coquatur, nec minus, pro coctionis munere, humor quiſque aptè conficiatur, ſed prauitatem duntaxat manifeſtam, hoc eſt alienam qualitatum præternaturalium affectionem magis, aut minus aſſequatur, vt euidenter ex triſtis ſenſus qualitate in ventriculo, & inteſtinis, ex ructu inſuper cum ſapore, odore, & alijs, pateſit. Attamen euidentius roboris conditio ex his elucet, quæ ex ventriculo, & inteſtinis, tum per vomitum, tum per ſeceſſum, facultatis pellentis opere, foras, tanquam excrementa eijciuntur; Nam per vomitum patet ſatis quod quale vè in ventriculo congeſtum fuerat, quatenus ibidem fuerit bonæ, vel malæ cuiuſuis coctionis beneficio permutatum; Per ſeceſſum autem patet idem, ſed euidentius, vt potè quod in ægris, per ſeceſſum, quæ peccant generoſius expurgentur; Sunt enim quæ inde eijciuntur, vtiliū, & inutilium ſuccorum ibi locorum confectorum partes, aut ſaltem ex his diſſectæ reliquiæ, quæ cum ab vno, eodemque facultatis coquentis opere conficiantur, elaborenturque, meritò hæquales iampridē fuerint confectæ, elaborat æque, talem operis conditionem indicant. Hæ ipſæ etenim ſæpe ſecundum naturam ſunt, atque ita plenè confectæ ſunt; plerunque autem præter naturam ſe habent, perindeque crudæ deijciuntur. Secundum naturam dicimus non ſolum ſi tales ipſæ fuerint, quales per ſanitatem eſſe conſueuerunt. Sed præterea etiam ſi tales ipſæ ſint, quales per ægritudinem, quæ tunc in via ad ſanitatem ſit, deſiderantur; Præter naturam contra, ſi his ſimiles omnino eſſe deſierint. Similitudo autem, & diſſimilitudo, penes duo in deiectionibus attendenda eſt; Primum quorum eſt ſubſtantia, quæ diligenter obſeruanda eſt, ne ſcilicet pars illa craſſior eſculentorum ſit, quam ventriculus non potuit in iuſtum cremorem conuertere, ſed alterius prorſus rei portio videatur, quæ aliundè ducat originem, niſi fortè ab humore aliquo, ibidem loci peccanti, morbumque fouenti, vel facienti, proueniat; quoniam vtriuſuis harum ſubſtantiarum conditionem deiectiones ſapiant, poſſunt tunc eſſe ſecundum naturam, minimè verò ſi conditionis alterius ſint. Subſtantiam autem talem, vel aliam eſſe cognoſcet, qui tum paſtū

aſſum-

Digitized by Google

aſſumptum antea bene aduerterit; & qui tum, ſi aliquis ibi peccet humor, eiuſdem humoris conditionē appoſitè prius intellexerit; facilè enim poſtea ille, per excreta, de opere iudicabit. Cęterum cum neque ſat ſit deiectionum nouiſſe ſubſtantiam, ſed prętereа etiam, ne ad votum illa coctioni reſpondeat, percipere opus ſit; propterea fit, vt ſecundo diligenter attendenda ſint accidentia, quibus cocta, vel cruda ſubſtantia eadem demonſtretur; Inter quæ primas tenent, quæ multis ſunt ſenſibus manifeſta, veluti conſiſtentia eſt; Etenim talem eam ex coctione deiectiones obtineant neceſſe eſt, qua (dum ab externo aliquo minime perturbentur) non omnino duræ ſint, vt fluere nullo modo queant; neque extremè liquidæ, vt vix momento contineantur; ſed ita ſaltem conſiſtant, vt conſtanter permaneant, & ſtatum expulſionis tempus expectent, atque inquam ſecundum omnes ſuas partes ex æquo ita ſe habeant, elaboratæque ſint, vt ſibi ſimiles (quoad tamen oris permiſcerit præparatio) conſpiciantur; calidi nempe elaborationem vbique æquam conſequutæ, cuius non exiccare, nec eliquare, ſed in vnum duntaxat, citra viſciditatem, mediocriter cogere, munus eſt; ex conſiſtentia ſiquidem huiuſmodi, perfectam præceſſiſſe in ventriculo, & ſequentibus inteſtinis coctionem, veriſimile eſt; ex tenuiori verò, & inæquali, non item, veluti, ex ſicciori, exuſtio potius indicatur. Sed deiectionum conſiſtentiam proximè ſequitur earundem quantitas; vnde ſi hæ ſolius paſtus fuerint, mediocris illa eſſe conſueuit; cum perfectè concocto paſtu, non niſi mediocria exeo remaneant excrementa, veluti contra, plura, ſi imperfectè coquatur; Attamen ſi vltro ex peccanti, in primis ipſis præſertim vaſis, ſucco, deiectiones adſint, vtique hæ magis, aut minus augentur, pro maiori, minori vè peccantis ſucci copia; verum meliorem, deteriorem vè coctionem præceſſiſſe oſtendunt, per tollerantiam, & per leuamen magis. Sequuntur accidentia, quæ proprijs ſenſibus percipiuntur, ex quibus etiam facile coctionis conditio patet; Et inprimis quidem qualitas ea, quæ ſenſu ſpeciatim tactus iudicatur, vt puta calor, frigus vè, & lenitas, vel acrimonia; Deiectiones enim quæcunque ſint, quæ coctionis opus ſufficienter expertæ ſunt, mediocri quadam caliditate donantur, quoniam frigidæ, coctionem nullam præceſſiſſe oſtendunt; eædem dein ſi aptè elaboratæ ſint, mediocrem habent acrimoniam, qua ſtatis temporibus, citra dolorem, cum voluptate potius, excernantur; Sed ſi crudæ quod nullam omnino ſubierint mutationem, ideo lenes penitus ſunt; vel quod potius extraordinariam, acres ideo, & moleſtæ valdè percipiuntur. Ad hæc color in deiectionibus, ipſam licet ſubſtantiæ conditionem, cum conſiſtentia, primum oſtendat; ad huc tamen ſecundo coctionis eiuſdem quodammodo index eſt; etenim iam aſſumpti paſtus, quicunque ille ſit, bene coctæ deiectiones, ob conſuetam bilis miſcellam, ſubrufo ſemper, vel propè, colore donantur; quæ verò crudæ ſunt, quia minimum in inteſtinis ſubſidentes, minimum etiam immutentur, & nihil ferè bilis ſibi permiſceri ſinant; Sanè parum à manſo paſtu hæ diuerſæ ſunt; quæ autem peccantium humorū cenſentur, illæ profecto ſimilē illis colorē adipiſcuntur, cū peccantiū humorū eorundē iam ſuperatorū coluuies ſint; qui aut multiplicis bilis color præſto ſit, aut forſam pituitæ ſinceræ, aut mixtæ, vel melancholiæ, atque tunc pro tolerantia, & pro leuamine, inter expellendum, de coctione ipſa, coniecturam facere datum eſt. Ex odore, qui in deiectionibus, etiam ſecundum naturam, non bonus eſt, & ſi non valdè fœtidus, adhuc coctionis perfectæ, vel imperfectæ ſumitur argumentum;

quippè

cum ex nimia ea, facilè ſpirituum, ac ſubinde virium diſſolutio præſto ſit; Verum tamen dum expulſio deprauata fuerit, ea inutilis ſemper eſt; quoniam impuritate relicta, labore inutili, vires defatigantur, & corruunt. Itaque vt inter ægrotandum expulſio è primis ipſis vaſis, ventriculo ſcilicet, & inteſtinis, tentata, iam ſecundum rationem facta cenſeatur, quæ & merito vires conſtantes, & validas doceat; vtique eam ipſam circa redundantia excrementa (vel paſtus, vel humorum ſint) verſari neceſſe eſt; Dum vijs attamen idoneis inchoata, ad votum tandem perficiatur; Vnde nec ablatam, nec diminutam, nec demum auctam nimis eandem exiſtere, ſed modo potiſſimum tollerantiæ accommodato, celebrari opus eſt, qui tamen eiſdem pellendis excrementis bellè ſufficiat. Porrò illud expellendi, quod expellendum erat, patet ex eo, quod cum ſolus paſtus excrementum expectaretur, tum palam excrementum huiuſmodi foras erumpit, tum inſuper, citra illud, peccantes humores alij morbum fouentes, ibique locorum exiſtentes, eo vè aliunde confluentes, præſentibus ſignis ſubſtantiam eorum indicantibus, euidenter deijciuntur: Quamquam licet ſi idipſum paſtus excrementum ſolum aderit, vt quolibet die, illud, poſt paſtus coctionem, rectè paratum eſt, & ad euacuationẽ promptum, ita ferè quotidiè à coctione legitimè deijciatur; attamen ſi adhuc humor peccans aderit, qui ex primis ſaltem vaſis ipſis expellẽdus ſit, quia nempe inde morbi quomodolibet fomes fuerit; cum ille non vt excremẽtum paſtus quotidiè per coctionem ſecernatur neceſſario, & iudicetur, & ſi per eam ſæpe lenior fiat; non quotidiè idcirco, ſed poſteaquam ſolum iam ſatis expulſioni commodus fuerit, quamprimum, etiã per morbi initia, vtiliter expectandus ſit, etiam inquam per vomitum, licet per ſeceſſum illius propria ſit vacuationis via; Atque rem ita ſe habere, ipſa ægri tolerantia, cum leuamine, vnicum argumentum eſt. Ex hoc verò ſimiliter quilibet ſufficientiam expulſionis agnoſcet; Etenim poſt ablatam illam (quæ quando contingat ſatis euidens eſt) ſi aliquando diminuatur, vtique præter rei pellendæ iam pridem cognitæ, diminutam quantitatem, vt dictum eſt, leuamen tunc aut nullum, aut minimum adeſt, quod ſiquidem per morbi tempus adeſſe poſſit; ſed ſi nimium fortaſſe excedat, iam impetus, & frequentia, cum rei expulſæ copia laborem inferunt; contra ſi mediocritas quæ ſufficiat præſto fuerit.

OPERA NATVRAE ALIA conſeruantia, quæ in hepate, & adiacentibus vaſis celebrantur, qua ratione robur virium oſtendant, examinantur.

CAPVT QVINTVM.

ITA quidem robur virium, ex operibus conſeruantibus, quatenus in ventriculo, & annexis inteſtinis, exercentur, æſtimandum nobis eſt, ex eiſdem modo, quatenus in hepate, & adiacentibus vaſis, celebrantur, de robore eodem iuditium faciamus oportet; Quando poſt ventriculum, adiacentiaque vaſa, vbi paſtus cremor chiloſus euadit, ſequatur hepar, vnà cum venis, vbi ex cremore ipſo in ſanguinem nutritioni commodum ille mutatur;

Operæ

Operæ itaque pretium cum ſit, cremorem hunc, virtutis attrahentis beneficio, eouſque perduci, ibidemquem tandiu retineri, quandiu iterum concoquatur, conficiaturque, vt tandem ſecretis excrementis, expulſiſque ille ibidem purus ſanguis euadat, deſideratæ nutritioni congruus; Vtique quo omnia hæc validius proſequuntur, eo robur fortius æſtimandum; quo autem infirmius, contra; Veruntamem vt in ventriculo obſeruatum eſt, ita in hepate etiam opera hæc ſæpiſſimè labefactantur; attamen illa, qua ratione in ægris æſtimanda ſint, quando ſua præſentia lateant, non eſt facile demonſtrare; Ex ſenſatis nihilominus effectis longa experientia obſeruatis, quid medico coniectandum ſit, ſatis apertè conſtat. Namque tum ablatè, tum diminutè, & auctè, tum demum deprauatè, à recto recedunt. Seorſum verò ablata chiloſi cremoris è ventre iecoris attractio ex eo conijcitur, quod cum vtile alimentum ex ventriculo in inteſtinis redundans non exſugatur, chiloſæ tunc deiectiones euidenter apparent, hoc eſt, cremoris confecti ſpeciem præſeferentes, quæ & liquidæ prorſus per ſeceſſum deferuntur, quamuis nulla ſigna adſint, quæ propriam aliquam ventriculi ægritudinem patefaciant, vnde deiectiones eueniſſe tales planum fuerit; atque perinde non multo poſt ſequitur atrophia, extenuatio ſcilicet, ac, defectu pabuli, totius corporis macies, velut & virium omnium manifeſtiſſimus languor. Quæ quidem omnia minus vehementer infeſtant, minuſque celeriter adueniunt, vbi facultatis huiuſmodi actio duntaxat imminuatur. At ſi vltro quam par ſit, immoderata attractio adſit, id ex eo potiſſimum conijcies, quod aluus admodum aſtringatur, ac exſiccetur, deiectionibus, propter ariditatem, ad excretionem redditis ineptis; ex quo etiam cum facile attractionis hepatis deprauatio fiat, fæcibus ijs ſcilicet perperam attractis, quæ alioquin deberent per ſeceſſum detrudi, non langor ideo virium ſolum indicatur, ſed adhuc tanquam ex cauſa, fit, vt corpus vniuerſum multifariam fædatum, conſequenter grauiori ſubijciatur malo. De retentione hepatis ablata, atque imminuta, ex eo præcipuè magis, aut mins coniecturam facere datum eſt, quod ex attracto chilo, inceptus ſanguis ſufficienter retineri nequeat, donec probè conficiatur, ac per vniuerſum corpus diſtribuatur, ſed ea potius ratione, qua ſuo pondere infeſtus, ad inteſtina, per meſeraicas venas, delabitur, frequentiſſimèque per aluum, tenuis, & liquidus effluit humor, in quo aliqua ſãguinis portio diſſoluta videatur, ſeu liquor loturæ carnis nuper mactaræ ſimilis, permixtus inſit, quamuis deinceps, temporis tractu, aliorum etiam corruptornm, fætentiumque humorum ſpeciem præſeferat, & cum maxima virium proſtratione detrudatur. Immoderatam autem in iecore fieri ſanguinis retentionem rarò cõtingens eſt; Siquidem vniuerſum exhuſtum, & alimento deſtitutum, ſatis efficaciter ipſum alliciat, nec diu nimis eundem retineri in hepate permittat. Quod ſi deprauetur, ex quo præter ſanguinem, longius excrementa detineantur, iam tumor in eo, ſibique annexis hipocundrijs reliquis, durus, & grauis, illeque ſatis tangenti conſpicuus, præſto eſt, vnde poſtmodum incommoda plura ſequuntur, & maximus virium langor. Sed coctionis opus, quod in hepate, & annexis venis ſummè deſideratur, plerunque penitus aufertur; ablato autem, quoniam ſanguinis vice, crudus, pituitoſus, aquoſuſque humor, inutilis prorſus, & ad nutriendum ineptus generatur, vniuerſum propterea ſummè debile tedditum, & cachochymia repletum, neceſſario & graue, & tumidum fit, paletque, ac malis innumeris perpetuo obnoxium eſt; Sed magis, minus vè,

nus vè,

nus vè, quoties magis, aut minus ſolum coctio minuatur, qualis frequenter obſeruatur, eiſdemquem omnino ſignis, mitioribus tamen, concipitur. Augeri autem præter naturam coctionē impoſſibile eſt, immo quo coctio maior, eo perfectior, & ſecundum naturā eſt. Quod ſi deptauetur, ex quo non ritè celebretur, ſed mauis corruptio dicēda ſit, quia alienis qualitatibus chilus afficiatur ex ea, tunc proculdubio conſtat, vel hāc vnam ob cauſam, vniuerſum corpus multifariam, prauo, corruptoque ſucco repletum, morbis internis, externiſque ſeuiſſimis, ac virulentis obnoxium eſſe. Verumtamen hiſce vtcumque ſe habentibus, perfectā nihilominus, vel imperfectā coctionem in hepate fieri, ex excrementis ibidem, per eandem coctionem, à ſanguine ſecretis, expellentique facultate inde reiectis, tanquam ab euidentiſſimis effectis, certius aſſequi datum eſt. Sunt porrò hæc in homine quouis ſecundum naturam ſe habente, tria potiſſimum; nempe bilis, Melancholia, & ſerum; hiſce licet in corpore afflictis alterum adſit, quod eſt ipſa pituita; Quæ inquam excrementa, tandem ab hepate, virtutis pellentis ope, foras ad ſua tranſmittuntur. Dum etenim ſanguis, in ſano etiam quouis corpore, ex chilo, coquentis hepatis beneficio, conficitur, tenuiores primum ex eo ſeparantur partes, quæ exuſtæ nimis, ideoque biliosę cenſentur; Dein partes fęculentæ, quæ craſſiores, terreſtrioreſque nimis, & melancholicæ; Et vltimo aquoſæ, ſeroſæ vè, quæ ex aquea pabuli humiditate exundantes, vrinæ materiam præbent; Cæterum in corpore ægro, caloris defectu, iamptidē afflicto, vt facultas concoctrix perperam munus ſuum peragit, ita imperfecta in eo ſemper fit ſanguificatio, ſubindeque ſanguis in ipſo magna ex parte crudus, qui & pituitoſus nuncupatur, abundat. Veluti ſi in ægro eodem, per caloris præternaturalem exuberantiam, coctio deprauetur, conſequenter euenit, vt excrementitij ſucci, tum biliosi, tū melancholici præter naturæ modum ſe habentes vrgeant. Quoniam autem excrementitij humores hi, quicunque ſint, ad nutritionem inepti ſunt, merito proprerea foras perpetuo eijciuntur, & quidem ſæpe inſenſibiliter, per vniuerſi poros; ſæpius attamen manifeſtè, tum per ſeceſsū, ac vomitum, tum per vrinarios ductus, atque ſudores; Interea ideo ex propria horum conditione conſpicua, nobis magis, ac magis coquentis facultatis robur patefit. Itaque cum in ſanis, humores hi, bilis præſertim melancholia, & ſerum, pene ſemper adſint, atque ita in his ſecundum naturam ſint, nec vllo modo peccent, aut lædant, & virium ideo robur in eis oſtendant, quia natura integrè munera tunc obit ſua; Euenit nihilominus vt iam in ægris, humores ijdem excrementij pene ſemper omnifariam peccantes præternaturam ſe habęant, ac naturæ imbecillitatē arguant, quia ex perturbatis naturæ operibus, vt cruditates multæ congeruntur, ita excrementitij ſucci hi, tum quantitate, tum qualitate peccēt. Per propriam autem conditionem ſuum cum atteſtentur principium, ita vt tales omnino ſint, quales per coctionem euadunt, iure in ægro, ex præcipuo eorundem examine, de coctionis conditione coniecturam facere conuenientiſſimum eſt. Penès verò duo examen eorum attendendum eſt, penès puta ſubſtantiam, & accidentia; Ex ſubſtantia enim apertè cōſtat, quodnam verè excrementum ſit, quod peccat; Accidentia verò oſtendunt, non quid illud eas habeat conditiones, que illi ex naturali cōditione impertiri conſueuerunt; Atque vt ex ſubſtantia, ita ex accidentibus horum patet quantum concoctrix operatio à recto deficiat; Namque ſubſtantia quæ melancholica, quoniam ſicca, & frigida eſt, ſemper

G deterior

Digitized by Google

deterior biliosa, & quidem magis, ſi atra ſit, quia per exuſtionẽ fiat; rurſum biliosa, quæ ſincera deterior pituitoſa eſt; ſecus ſi pituitæ mixta; Vnde cum hoc potiſſimum ordine excrementitij humores hi, quo ad malitiã, ſibi inuicem ſuccedant, meritò per vnius, alterius vè horum præſentiam, læſam coctionem eſſe magis, minus vè indicatur; Sed omnium ſanè maximè, vbi ſanguis, quo nutrimur, caloris, vel frigoris exceſſu, extraneam conditionem aliquando fuerit adeptus, accedit enim tunc ille magis, vel minus ad excrementorum naturam, & grauius afficit. Sed vt ſi accidentia, qualia ſingulis his humoribus naturaliter inſunt, talia adhuc etiam inſint, opus coctionis ſufficienter vigere certum eſt; Ita cum per morbum humores hi iam eo immutentur, quod accidentibus ſimiliter præter naturam non paucis donati fuerint; Sanè ſi quando, vel melancholia, vel bilis, vel demum pituita, magis, minus vè alienam, ac præternaturalem conditionem adipiſcantur, per quam accidentibus, magis, aut minus donati malis, ſanitati ſæuius ſint infenſi; proculdubio quo magis tales ipſi ſint, eo coctio ipſa, qua procreantur, vel ſeceruuntur, gubernanturque, imbecillior æſtimabitur. Quod autem non ſubſtantia ſolum, ſed & accidentia horum raròopportunè ſenſibus ſint conſpicua, niſi dum forſam vomitu, aut ſeceſſu, per morbi initia, expurgati, ſua præſentia pateant; at vt plurimum ſenſus lateant, vt per coniecturas ideo ſolamente percipiantur; Vtique quandocunque contigerit (contigit autem ſæpiſſimè) ſaltem ex effectis eorum, quos in ægris prudenter medicus aliàs obſeruauerit, eorum conditionem conijciet, ſubindeque de coctionis bonitate, aut malitia, arguet; Sunt ſanè hi plures, atque diuerſi, vt illorum neutiquam certa tradi ratio valeat; quapropter exercitatis tantummodo de re ipſa coniecturam facere datum erit. & ſi vniuerſim vna ægri tolerantia, vel labor nullus, ſufficiens ſit omnis bonitatis inditium; veluti cõtra ægri detrimentum, & noxa, malitiei maioris, aut minoris expreſſa nota eſt. Sed quando vel ipſis ſenſibus, tum ſubſtantia, tum accidentia horũ percipiantur, facile tunc ex his, de coctionis bonitate iudicatur. Ex ſubſtantia quidem, vt dictum eſt, ſaltem pro conditione eius, magis ne, aut minus coctio ipſa deuictà iuſto; Ex accidentibus autem, & ſi vniuerſim, preſſius tamen, tum humoris excreti conditio patet, tum ſubinde coquẽtis facultatis robur eluceſcit. Atque ab accidentibus communibus ſumpto principio, certum eſt, mediocrem conſiſtentiam (attamen quæ magis ſecundum naturam humori congruat) melioris coctionis eſſe argumẽtum; Tenuitas enim nimia, cruditatem, ex defectu operantis virtutis, arguit; Craſſities vero, quæ nimia, idem ex exuſtione, & plerunque etiam ex congelatione, & conſeqũenter ex virtutis defectu, cruditatem indicat; Ad hæc excreti humoris copia, ſuam quoque coctionis facit cõiecturam, namque illa ſi vel à mediocritate quadam conſueta non deuiet, clarum eſt virtutis coquentis robur bene ſatis ſe habere, quippè iuſtum nõ excedat; excedit autem, & coctionem deprauatam arguit, ſi tum quomodolibet lædat, nec ſufficienter moderetur, guberneturque, tum ſi quamquã perpetuo pellitur, tamen vltro quam par ſit multiplicatur, & ſuperabundat, quod virium vigente robore, per bonam coctionem minime fit. Sequuntur accidentia proprijs percepta ſenſibus, vt tactiles præſertim qualitates, guſtabiles, viſibiles, & odorabiles; Quare primum quidquid poſt ſanguificationem eijcitur, ſi perfectè elaboratum, confectumque ſit, merito nec feruidum nimis, & acre, ſalſum, vel mordax, nec alia quauis ſenſui tactus, vel etiam guſtus, valdè moleſta qualitate

prædi-

prædítum eſt, ſed lene potius, ac placidum; quoniam re aliàs ſe habenti, coctionem præceſſiſſe imperfectam credibile eſt. Vlterius fætor ex coctione non inducitur; fetor namque corruptionem arguit, quæ ex deprauata coctione fit. Sed præterea coctionis eiuſdem conditionẽ docet color, etenim nunquam ille ſincerum humorem repræſentat, ſi bona coctio adſit, ea quoniam ſinceritatem non patiatur, quando inter coquendum., humor, quicunque ſit, conficiatur, & quadantenus permutetur, adeo quod licet ex colore ſpecies eius pateat, refractam attamen, & permixtã illam duntaxat, poſt bonam coctionẽ color repræſentat; Sinceram contra, per cruditatem, vt flauus valdè, bilem flauam crudam, viridis porraceam, erugineus autem eandem exuſtam, & nigredo melancholiam, albedo verò pituitam; & quidem magis, atque minus, quo magis, minus vè, quod pellitur, humoribus alijs fuerit permixtum; etenim id quodcũque fuerit, vt varijs etiam ductibus exit, ita variè permiſcetur, & alteratur; Vnde ſolus medicus, qui longa ſit experientia doctus, ſpeciatim poteſt, ex excretis, de coctione rectum iuditium ferre.

VRINAE EXCREMENTVM *ad virium naturæ noſcendum robur, ſeorſim expenditur.*

CAPVT SEXTVM.

QVAMQVAM adeſt vrina, quæ præceteris ſanguificationis excrementis, purior ſuis vijs effuſa certiorem, euidentioremque coctionis ſanguinis coniecturam facere conſueſcit. Illa quãdoquidem cum ſanguinis eiuſdem ſerum exiſtat, aquoſior nẽpe illius pars, nutritioni prorſus inepta, poſt coctionem, per renes, ex venis, in veſicã excepta, indeque foras eiecta, neceſſe eſt quod vt perpetuò vnà cum ſanguinis maſſa æquabiliter mixta, & vt illius quaſi vehiculum, corpus vniuerſum permeat, ita conditionis ſanguinis particeps ſit, & omnem affectionem, omnemque qualitatem, caloris agentis ope, contrahat, aſciſcatque ſibi, vt denique foras emiſſa, quaſi diſſecta ſanguinis portio, inditam ipſius conditionem coram proponat, aperiatque; Quod equidem facit tum ſua ſubſtantia, tum ſuis accidentibus in conſpectu ſe ſe dantibus; Quandoquidem vrinæ ſubſtantia, ſi ea ſit, quæ deſiderato ſanguinis ſero expurgando reſpondeat, tunc ſanguificatio, ſeu ſanguinis coctio omnino bona, & ſecundum naturam eſt; at cõtra, ſi ea aliud ſit, vt puta humor à ſero diuerſus, qui ſcilicet ipſi minimè congruat (niſi ille aliundè proueniat, vt poſterius dicemus) tunc ſine dubio coctio deprauata eſt, aut aliàs læſa. Similiter accidentia, ſi ea quæ vrinæ propria ſunt, & quæ ipſi ſecundum naturam ſe habenti conueniũt, eidem omniquaque inſint, tunc vtique coctio, per quam vrina iampridẽ ſecreta, iudicataque eſt, ſuum finẽ iuſtè adepta cenſebitur; contra ſi aliàs ab his fuerint, præſertim ſi contraria. Eſt porrò vrinæ ſubſtantia, ſerum ſanguinis, vt dictum eſt, id nempe, quod ex aſſumptorum aquoſorum, liquidorumque materia, quæ ad nutriendum minimè apta, ſed ad vehendum quodcunque ſanguinem tantummodo vtilis, ſenſim in venis coacervatur, quod inquam licet ſuam atteſtans originem, aquæ quadantenus

Digitized by Google

limpidæ ſpeciem præſeferat, quoniam diu tamen in venis ſanguini permixtum manet, diutino ideo caloris opere, aliena perfuſione, craſſior fit, & nouum ſubſtantiæ ſuæ modum, perinde atque carnium, leguminumque iuſcula, adipiſcitur, idque magis, minus vè, & ſanè multifariam, pro caloris vi, quæ ex conſtitutione, ætate, & tempore, in vnoquoque, alia, & alia eſt; quare tum conſiſtentiam, tum calorem, & alia plura habet annexa, quæ ſero aptè confecto verè ſunt propria, & in illo ſanorum ferè ſemper reperiuntur. Si itaque in ægris, vel ſanis, talis vrinæ ſubſtãtia ſit, dubio procul in eis ſanguificatio, quæ ex hepatis coctione prouenit, integrè, vt ſuppoſuimus, celebratur; Sin verò illa alia fuerit, aliud ſimiliter iudicandum eſt; Niſi forte eam aliundè talem manare certi ſimus, puta ex toto, vel parte totius, onus cachochimiæ ſuum, cum vrina, in veſicam deponenti; quippè tunc coctione etiam perfectiſſima exiſtente, hoc ipſum ab vrinæ ſubſtantia alienum cum vrina foras expelli cõtingat. Agnoſces autem differentiam, & rem vndecunque factã ſatis apertè intelliges, tum ex antegreſſis coniecturis originem illiuiei experimentibus, tum ſubinde ex ægri tollerantia, & ſæpe quoque leuamine, tum vltimo ex ipſo vrinæ iampridem effuſæ, paululumque quieſcentis, patenti conſpectu, illa quoniam, licet mox effuſa, turbida ſit, & craſſa videatur, aliam omnino à conſueto ſubſtantiam indicans, paululum attamen vaſe recepta quieſcens, fit, vt quod ipſi alterius craſſioris ineſt ſubſtantiæ, perinde atque in aqua lutulenta, paulatim ſecernatur, in vnũ coeat, atque veluti fçx, manifeſtè ſubſideat, ſincera ferè tandem vrinæ ſubſtantia perſiſtente, comparenteque. Sed ex vrinæ accidentibus, ipſius met coctionis conditio clarius eluceſcit, etenim ſi communia perpendamus, & inter hæc inprimis conſiſtentiam, certum eſt illam ex coctione antecedẽti mediocrem ſibi impertiri, ita vt vrina nec aquæ modo tenuis tantummodo ſit, nec vt iumentorum craſſa, vel ad inſtar denſioris mulſæ ſpiſſa videatur, ſed quæ in mediocri conſiſtens, ita quidem lucida ſit, & perſpicua, vt acies viſus illam facile penetret; attamen quæ adhuc ob perfectam ſui elaborationem cum ſanguine antegreſſam, ſaltem talẽ conſiſtentem ſit adepta corporeitatem, propter quam ipſa paululum in vaſe quieſcens, virtute caloris impreſſi, cuius beneficio ætherogenea ſecernuntur, & ad partes ſeparantur, ſedimentum aliquod faciat, quod omnino ipſi ſubſtantiæ ſimile, non craſſum, non tenue nimis ſit, ſed è tota maſſa ſufficienter collectum, in vnumque æquè coactum, & non diſgregatum, diuulſum vè, at cum leuitate quadam vnitum, mediocre compareat, & quadantenus ſuſpenſum ſubſideat; Vnde ſi vrina tenuis nimis, & aquea, citra omnem conſiſtentiam, obſeruetur, vt conſequenter in ipſa nullum compareat ſedimentum, dubitandum nuſquam eſt, quin tunc ea cruditatẽ ſummam repræſentet, quippe cum nullam tunc ipſi craſſitiem impertitus calor fuerit, neceſſarium eſt illum nullum in eam impetum feciſſe, perindeque coctionem labefactatam eſſe. Et ſi tantam vrinæ tenuitatem, aliunde etiam, quam ex cruditate, fieri ſæpe contingat, vt puta extrinſecus, ob potum nimium, qui ſuo ſe pondere pellens, è vaſe, intempeſtiuè, citra factam coctionem exeat, vel intrinſecus ob hepatis nimiam attractionem, & renum ad emulgendum naturale irritamentum, cum retinendi debilitate, vt ſubinde ſerum valdè nimis attractum, intempeſtiuè, inſuperque crudum, in veſicam prolabatur; Sed vndecunque ſit, differentiã percipies ex diligenti præmiſſo ægrotantis examine, poſt vrinam tamen pluries obſeruatam; Siquidem tunc ne coctionis defectu talis vrina contingat,

tingat, an mauis talis alia occaſione fiat, facile apparebit: At ſi vrina craſſior, ac vltro quam par ſit denſior videatur, ſiue adhuc ſatis ſit perſpicua, ſiue iam veluti muſtum obſeruetur, ita vt etiam ſedimentum craſſum, fęculentumque in ea ſit conſpicuum, illa etiam cruda æſtimabitur, ratione tamen alia, ac penitus alia, quam tenuis ipſa æſtimetur, quippè quod illa ex defectu caloris, hec verò ab exuberantia, talis euadat; Cum enim vrinæ cruditas, conſiſtentiæ modum præter naturam, qui à iuſto recedit, ſemper habeat annexum, recedat autem tenuitate, aut craſſitie, atque ex defectu caloris, tenuitatem oriri iam dictum ſit, reſtat vt ex caloris abundantia, quæ tamen præter naturalis exiſtat, oriatur ipſa craſſities, & equidem merito, quando præternaturalis calor exundans non prauitatem ſolum diſſoluentem (dum valdè nimis ille fuerit inordinatus) importet, ſed præterea, vt plurimum, euidenter exurat, & aſſationem inducat, quæ certè, vt experimento notum eſt, craſſitiem ſemper habet adiunctam, ipſe licet calor, qui minus præternaturalis ſit, in vrina craſſitiem pariat, cū ſplendore, & perſpicuitate quadam, qui verò magis præter naturam fuerit, eandem faciat lutulentam, & turbidam, vt experimur; Et ſi turbulentiam hanc ob renum emulgentium, reliquarumque communium illi ſeruientium viarum, affectum, ex præuijs non paucis agnitum notis, ſæpe fieri obſeruemus; Inſuper & ex pridem congeſta redundantium humorum dein vi naturæ, per vteres, purgata colluuie, non rarò contingat, veluti ſupra iam nos indicauimus. Cæterum quomodocunque cruda vrina ſit, ea ſemper magis talis eſt, quæ tenuis, quam quæ craſſa, & quo tenuior, eo item crudior; vnde ſi tenuis facta, paululum quieſcens, tandē perturbetur, & turbida fiat, euidentius id coctionis argumētum eſt, quia craſſas iam aliquot ei, caloris beneficio, impertitas fuiſſe partes, certum eſt inditium, non item ſi perpetuo tenuis, & clara perduret; Præterea licet quæ craſſa, turbida vè eſt, perfectius cocta cenſeatur, quam tenuis, attamen cum in eodem ſtatu illa permanſerit, deterioris ſine dubio conditionis æſtimabitur, quam ſi demum quadantenus clareſcat; Siquidem tunc inſitum ex coctione calidum, cuius ſegregandi munus eſt, inualidū prorſus ineſſe planum ſit, non ita tamen ſi ſegregatio quædam ſubſequatur; Ad huc eo licet caſu obſeruandum ſit, ne quod ſubſidet, ſua conditione, illi totius vrinæ reſpondeat, quoniam fieri ſæpe ſoleat, vt vigente coctione, vrina turbida ſit, clareſcat tamen, ſubſidente humore aliundè permixto, atque tunc quod craſſa vrina ſit, negotium faceſſit nullum, faceſſeret autem valdè, ſi eiuſdem prorſus ſubſtantiæ ſedimentum ipſum cenſeretur; huius verò rei differentiam ſupra nos indicauimus. Atque ex vrinæ conſiſtentia, ita de coctione iudicādum eſt, ſuccedit modo inter eadem communia accidentia, vrinę ipſius quantitas, quæ ſanè vt mediocris, ingeſtis, fluidis, & aquoſis proportione reſpondens, hepar tum rectè valere, tum omnia conuenienter, vnà cum venis perficere, inſinuat; ita profectò alias res ipſa ſe habet, ſi quantitas eiuſdem quam par ſit copioſior, in ægris obſeruetur; Nam coctio à colore cum ſit, ſemper incraſſando progreditur, vt propterea ſemper, tenuibus, aqueiſque partibus multis reſolutis, craſſiores, & denſiores derelinquat; coctione autem ob virium longorem debili exiſtente, cruditates multæ fiunt, & partes conſequenter multæ aquoſæ, ac tenues relinquuntur, quæ tandem, temporis tractu, ſecretæ, per vrinas foras pelluntur; Quare dum vrina, quam par ſit, copioſior mingitur, euidens eſt cruditatum argumentum, & inde hæpatis coctionem languere veriſimile eſt; Et quamquā plerunque fit, vt aliunde,

vt aliunde, quam ex cruditatibus, quantitas vrinæ tanta obſeruetur; Sæpe quippe fiat, vt ſi humidorum ingeſtorum copia maior fuerit omnino etiam quam par ſit copioſior vrina mingatur Inſuper etiam fiat, vt hepate valentius attrahente, renum verò emulgētium vi excernenti, vel per ſe, vel per accidens, vehementius ad ſerum expellendum irritata, ita neceſſario vrina magis abundet; Attamē cum nil tale præceſſerit, ex quo aliquid ſimilē conijciatur, quin vrina potius plures cruditatis notas habuerit, dubio procul tunc tanta illa ex hepatis cruditatibus prodit; Et adhuc id, licet recto naturæ iuditio, citra hepatis defectum, interdum eueniat, quo nēpe illa malorum humorum longius congeſtam ſarcinam per vrinas vtiliter purgat, verum tamen niſi inde ægri leuamen cum tolerantia pateat, ſed mauis labor vigeat, & præterea cruditatū inditia aliunde maiora colligantur, etiā ſi aliquod cocrionis argumentum appareat, tunc nihilominus hepatis defectum copia vrinæ multa oſtendit; At infra mediocritatē ipſius met vrinæ paucitas nihil hepatis docet, quandoquidem ſæpius aliundè, quam hepatis occaſione, adueniat, vt puta quod vel feruidus calor corpus occupet, vel ſiccus victus miniſtretur, vel alio quam per vreteres, vt percutis poros, naturæ iuditio, ſudoribus, expellatur, aut quod aliquando obſtructis ductibus, cum expulſionis defectu, ab vrinarijs vaſis auertatur. Sed iam de accidentibus proprijs vrinam comitantibus ſermonem aggrediamur; Vrina namque primum, per colorem, coctionis defectu, à conſueto diſtat; Et ſi non ſimpliciter defectū hunc ipſemet color oſtendat, eo quod natiuus noſter calor, alimentum, humoreſque concoquens, præcæteris, & maximè, mediocritatem ſubſtantiæ moliatur, at illi dein contingenter ſolum, putà pro humoris admixti conditione, colorē addat, cum præſertim color, nullam caloris, vel frigoris actionem, niſi accidenter, conſequatur, ſed proportionē diaphaneitatis duntaxt, quæ ex certa fit ſubſtantiæ humorum mixtura; Verum non propterea color, ad agnoſcendam coctionis perfectionē, penitus poſt habendus eſt, cum ſaltem ex eo coctionis inditia ſufficienter augeantur, minuantur vè, quatenus per ipſum, maiorem, vel minorē caloris inſiti impetum, & elaborationē, vrinam ſuſtinuiſſe planum eſt, atque ita magis, aut minus, & ſanguinis, & alterius ſucci miſcellam illa ſubierit; vnde poſtmodum vt diaphaneitas varia, ita color diuerſus ineſt; Quare ſupponendum eſt, ſubaureum colorē vrinæ per ſanitatem ineſſe, ex quo in ea perfectæ coctionis munus integrè præſtitum ſit, mediocrē quippè tunc inſiti calidi operationem, & impetum, in vniuerſam ſanguinis maſſam exercitum fuiſſe, vel ex eo credere opus ſit, quod talis ſemper color, cum mediocritate ſubſtantiæ, in vrina ſanorum reperiatur; Si quando aurē mediocris iſte color, ſubaureus nempe, mediocritati ſubſtantiæ iunctus, quę per ſanitatem vrinæ ineſt, à iuſto decedat, & in alterum magis inclinet, vt in ægris ſæpe videre eſt, multifariam certè tunc ex eo, cruditas, vel coctio arguenda eſt, quoniam cum res ſic ſe habuerit, & color, vt dictum eſt, præſentis duntaxat ſubſtantiæ miſcellam, cum ſero, conſequatur, quæ etiam multiplex eſt, pro humorum varietate, profectò pro tingentis humoris natura, & receſſu eiuſdem à mediocri, color vrinæ impreſſus, coctionis gradum indicabit, hoc præſertim ordine. Si vrina quæ mingitur aquea prorſus, & nullius coloris exiſtat, veluti inſimul nullam, caloris coquentis ope, conſiſtentiam adepta eſt, ſic pluribus ex cauſis cruda cenſebitur; Atqui ſi ad album illa aliquando magis inclinet, licet alias maiorem coquentis caloris impetum in humores præceſſiſſe quis argueret; ex

ret; ex

ret; ex albedine tamen ipſa, imperfectam coctionem adeſſe, certum eſt inditium. ea quia cruditatum dominium, & pituitæ abundantiam oſtendat, atque id eo magis, aut minus credendum erit, quo magis, aut minus ad ſubaureum colorem, mediocritati ſubſtantiæ humorum conſentaneū, vrinæ color apptopinquabit. Sin verò proportionatus color limites trāſgrediatur, quia ad rubrum euidenter inclinet, dubio procul tunc, inflāmati, excandeſcentiſque ſanguinis inditium eſſe, ex quo tenuiores quædam ſanguinis partes ſero purgando altius imprimantur, iamque etiam coctionem, in hepate, à calore extraneo perturbatam eſſe, tunc licet aſſerere. Amplius quoties vrinæ color ad croceum vergat, iā multas ſanguinis partes ſubaſſatas, & in bilem denique flauam fore mutatas, certum eſt, atque ita maximè coctionem euerſam eſſe, cum ſanguinis loco, bilis excrementitia generetur. Quod ſi præterea color erugineus adſit, vel in viridem, vel in paſſeum pronus, vtique iam multo magis ſanguis aduſtus eſt; talis ergo color, vrinæ communicatus, maiorem omnino à mediocritate diſceſſum, ſubindeque cruda omnia magis eſſe, demonſtrat: Veluti denique cum iam vel nigra, vel lutulenta, ad ſapæ modū, vrina mingitur, tunc vel exuſtum, vel corruptum adeo ſanguinem eſſe conſtat vt iampridem omnē proportionem, mediocritatemque, & ſubinde ſplēdorem amiſerit, quod extremum cruditatis inditium eſt, quoniam tandem tunc innatus calor ipſe improportionatus factus, penè ab omni naturali opere ſuo deficiat, ita vt demum mors ante fores ſit, quia calor vitæ fons iam eſſe deſinat. Quare cum hac ratione ſolum, color coctionis gradum oſtendat ideoque ſimul facultatis coquentis robur in hepate indicet; merito fit, vt non niſi prudenter ex eo iuditium facere debeamus; Siquidē interdum eueniat, viribus exiſtentibus validis, perindeque integre, & perfectè ſanguinis maſſa ſe habenti, multifariam in vrinis colorē permutari, vel puta ſola renum calida intemperie, vel ex quo tunc quidpiam ad tingendum aptum extrinſecus ingeſtum, vel intrinſecus, è ſede corporis certa, in qua aut per ſe genitum, aut aliunde collectum, congeſtumque antea fuerat, in communia vaſa prorumpens, permiſcenſque ſe ſe ſero, caloris opere, ita aliquot ſui partes illi condonet, vt tandem ex mixtura color varius ſuperueniat; Quare ne ex his potius, quam coctionis vitio, color vrinæ inditus ſit, præcæteris perquirere oportet, antequam ex eo de coctione aliquid conijciatur; Patebit autem, ſi citra labē facultatis coquentis, ſeu coctionis in hepate, palam ſit alicubi alia externa, vel interna illuuiei ſucci ſerum tingentis origo, adeo quod illinc ſanguinis maſſa, ea licet ſecundum naturam ſe habenti, facile attamen inficiatur; Palam verò ſit origo hæc, tum ex regimine victus ægri præcognito, vnde quodnis externum, ex quo contingenter ſerum inficiatur, appareat; tum demū, examinatis diligentet ijs notis omnibus, quibus vel ſecundum totum, vel ſecundum partes, æger ipſe ità præternaturam ſe habuerit, vt quidem ab intra, at non ex hepatis coquētis imbecillitate, ſed ex alio afflicto viſcere, ipſa humorum illuuies orta, congeſta vè ſit, (multa enim viſcera eſſe poſſunt, quæ præter naturam ſe habentia, colluuiei huic præbere originem apta nata ſunt) quæ tandē exundans, per vrinam, pellentis facultatis beneficio, non ſine ægri leuamine, poſt tollerantiam, opportunè foras erūpat; Ita namque ne vrinæ color aliunde ſit, quam ex hepatis langore, euidenter elucet. De odore vero vrinarum quid cenſendum ſit, paucis perſoluendum; Namque odor cum qualitatum temperamentum conſequatur, vtique ſi à conſueto odore vrina decedat, & a proprio tempera-

mento

mento illam deceſſiſſe dicendum erit quare cum in ægris vt plurimum perturbata ſint omnia, non mirum ſi & vrina conſuetum ſæpe amittit odorem; accedente autem humorum prauitate, eaque vrinæ communicata, tunc neceſſario vrina mali odoris eſt, minus tamen ſi contra; Cauere tamen ſummopere iuuat, nunquid ingeſtorum, alterius ve extrinſeci occaſione, odor fuerit vrinæ impræſſus, cum velut inde ſubſtantia, colorque immutatur, inde ſimiliter ſæpe & odor à naturali decedat; Ad hæc aduertendum quoque eſt, ne alterius partis corporis, & vrinæ imprimis deſeruientis vitio, aliquid quod praui odoris ſit, eidem permiſceatur, tunc ſiquidem citra hepatis coquentis defectum, odor vrinæ varius obſeruabitur. Itaque ſi non contingenter, ſed per ſe, id illi acciderit, omnino coctionis vitio factum iudicabitur, ideoque tanto magis coctio perturbata erit, quanto magis fædus odor ex vrina manabit. Sed de annexa interdum in termingendum acrimonia, illud merito cenſendum, quod vel tunc humor aliquis vtiliter (præſertim ſi cum ægri leuamine ſit) ſimul cum vrina, foras eijciatur, vel ſaltem maximam ineſſe ex hepate ſuccis exuſtionem, ex qua ſimiliter vrina æeris, & mordax effecta, dum exit, indita acerbitate, partes feriat quas tangit, & lancinet; certum procul dubio cruditatis argumentum; cum potius contra, ex coctione reprimantur omnia, omniaque ceſſent, quæ præter naturam vrinæ aliquando indita fuere. Cæterum coronidis loco notandum eſt; non æque ſemper firmum & tutum, ex vrina, de coctione bona, vel mala, iuditium ferri, poſteaquam in morienti, non raro optima & laudabilis, vſque in finem, vrina obſeruetur, quod profectò ex eo factum cenſeri debet, quod tunc nec hepar, ne renes, nec aliud quoduis organum, quo vrina ſecernitur, labe valida coinquinatum exiſtat, inſuper & ille, qui tunc peccat humor, cuius præſētia, vrina immutaretur, ab hepate & maſſa ſanguinis, in recōdito longè diſtet, vt porrò quamquā crudiſſimus, & peſſimus eſt, nequaquam tamen eidem communicetur; ergo vt in iudicando ſolius vrinæ nuſquam fidendum nobis eſt, ita non niſi aliundè collectis coniecturis cū illis ab vrina conceptis, de coctione iuditium fiet.

ALIA EXPENDVNTVR OPERA, quæ itidem naturæ conſeruantia ſunt, & in hepate, adiacentibuſque vaſis exercentur, vt robur quod quæritur dignoſcatur.

CAPVT SEPTIMVM.

IAM adſit facultatis expellentis examē, quatenus opus illius in hepate, adiacentibuſque vaſis, aduerſus ſanguificationis excrementa, aliaque in eis tunc præternaturam redundantia exercetur, vt ex eo euidentius pateat, quid de ipſo virtutis robore ſit iudicandum. Etenim ſi ſecundum naturam exerceatur, eſt vbique certum roboris inditium; Si verò præter naturam, imbecillitatis certa nota eſt, & diligenter quidem obſeruanda; Ex patenti quoniam expulſionis conditione, vt alibi dictum eſt, ſi vel aliunde, firmitatis virium coniectura, & in ægris maximè colligatur.

Sed

Sed iam ſecundum naturam expulſio celebratur, tum cum aduerſus ea, quæ ibidem, interſanguificandum, per ſanitatem perpetuo redundant, ſufficienter inſurgit, tum ſi quod, inter ægrotandum, ex redundantibus his, vel quomodolibet perperam ſe habentibus, morbum facit, debito ſeruato modo, & congruentibus vijs expellat; Aduerſus ea quidẽ, quæ interſanguificandum, etiam per ſanitatẽ, redundant, aptè inſurgit, dum ea ſufficienter, ad ſua quęque loca, quæ recipiendis illis à natura ſunt inſtituta, proprijs ductibus, pellat; Bilem nempè ad veſicam felleam, vt demum inde ea, proritatis inteſtinis, ad fęces excernendas, inſeruiat; Melancholiam verò ad lienem, vt ex ipſo denique ſenſim, ad os ventriculi, animalis appetitus excitandi cauſa, illa perducatur. Et præterea ſerum ſanguinis (hoc licet per vniuerſum corpus cum eodem ſanguine diſtributum, vt illi vehiculum ſit) ad renes emulgendum, & foras eijciendum, perueniat; Si itaque hoc opus integrum fuerit, ita vt perpetuo, nec ablatè, nec diminutè, vel aliàs læsè, ex ſimptomate aliquo, alio vè præternaturali euidenti ſigno aduentāti, quod id expreſse doceat, celebretur, proculdubio robur virium adeſt; ſed ſi contrarium obſeruetur, omnino contra de virium robore iudicandũ eſt; At cũ certum ſit, ex his ſanguificationis excrementis, bile nempe, melancholia, ac ſero, & illi demum finitima pituita, ſi adſit, perperam ſe habentibus, nec iuſto naturæ opere rectè ſecretis, in modum redactis, & ad ſua denique ſufficienter tranſmiſſis, expulſiſque; immo tum in venis, tum extra has, in meſenterio, & adiacentibus vaſis, per congeſtionem redundantibus, & præternaturam ſe habentibus, morbos excitari, atque ideo inter ægrotandum, neceſſario, facultatis expellentis vi, aduerſus ea, naturam, inſueto impetu quodam, inſurgere, vt porrò deturbatis illis, pęnituſque extirpatis, ſanitas amiſſa reſtituatur. Hinc vtique fit, vt ſi tunc talia, qualia ſunt, & inſuper tanta, quanta exiſtunt, morbumque faciunt, foras opportunè pellantur, euidenter robur virium adſit; Contra ſi vel ablatè, vel diminutè, vel aliàs, præter modum requiſitum, id fiat, neceſſario robur viriũ deficiat; Talia imprimis ſunt, ſi talis pellatur humor, qualem iam peccaſſe morbumque feciſſe, & facere, longè ante certis inditijs noueramus; Et ſi adhuc, vt qualitas hæc deſiderata, curanti medico clarius eluceat, attendenda etiam ſit expulſionis conferentia, & tollerantia; Etenim ſi talis pellatur humor, qualis ille peccat, ſemper maximè confert, quoniã inde, aut morbus ipſe, aut ſimptoma, aut præternaturam aliud quod morbo annexum ſit, quadantenus reprimatur; meritoque etiam tolleratur, quia nullum ex ea detrimentum, nulluſque labor ſuperueniat; Quod ſane cum ita fuerit, ſemper robur virium adeſſe indicabit; Contra ſi contrarium aliquando euenerit. Sed quia humori peccanti purgando maximè fauet viarum, ſeu ductuum vacuationi eius deſeruientium promptitudo, & habilitas; Propterea vt clarius adhuc euacuationis deſideratæ qualitas pateat, viæ ipſæ quoque, per quas euacuatio ipſa fit, perluſtrandæ omnes, & modus inſuper quo euacuatio eadẽ fit conſiderandus eſt. Ergo ſuppoſita certa humoris peccãtis ſede, qua ille reſideat, quia vel regio venarũ eſt, in quã ab hepate præter naturã ſe habenti ille transfunditur; vel regio eſt, quam extra venas dicimus, quæ inquam vaſa omnia viſceribus primis contenta includit, inter quæ meſenteriũ eſt, lien, & ſi quod aliud illis annexum, in quibus, hepatis eiuſdem vitio, humor ipſe peccans quã facile coaceruatur; Si itaque humor vna regione venarum contineatur,

vtique vt talis qualis ipſe eſt, inde expurgetur, neceſſe eſt vt per vias illas foras erumpat, quæ venis eiſdem apprimè ſunt familiares. Venæ autem humoris onus commodè deponunt, vel per occultos, cçcoſque totius habitus poros, per quos ſæpe, & inſenſibiliter, per reſolutionem, & ſenſibiliter per ſudores, vniuerſum euacuatur; quando maximè caloris naturalis aucti beneficio, humor, qua parte tenuior eſt, vltro ita extenuatur, diſſoluiturque, & in tenuiſſimam, ac penè roridam ſubſtantiam conuertitur, vt per poros eoſdem, quibus vndique refertum corpus eſt, foras reſudet. Vel prærerea venæ idem conſequuntur, quadam veluti ſucceſſiua humorum remigratione, vt cum ex vna in aliam ſibi continuitate ſuccedentem venam humor deponitur, vſque quo tandē ad cauam, magnamque venam hepati quamproximè iunctam tranſeat, ex qua deinde, per hepatis eiuſdem vaſa, in portam, indeque in meſeraicas, ad inteſtina, longo licet itinere, vnde peruenerat, reuertatur; Aut quoque etiam ex caua ad renes, medijs emulgentibus, & hinc poſtmodum per vrinam in veſica colligatur, penis ductu deinde foras expurgaturus; Vel tandem ex venis idem fit, reſeratione orificiorum quorundam ipſarum met, vt dum menſtrua in mulieribus fluunt, ac item per hemoroidas impuritas ſanguinis pellitur, & alias item per nares, vt manifeſtum eſt. Sed quamquam ductus hi omnes euacuationi venarum appoſitè congruunt, quod per omnes hos paſſim humores ex venis vacuari nos obſeruemus; nihilominus tamen vna humorum remigratione, vt dictum eſt, adamuſſim quod peccat, foras tuto expellitur; Et ſi non ob id negandum, alijs enarratis vijs, è venis eiſdem humores etiam tales vtiliter expurgari; Licet enim difficilius, & imperfectius, quadantenus attamen expurgantur; quippè per vniuerſi corporis poros, non niſi tenues redundantis humoris partes, craſſis omnino relictis eijciantur, (quod item euenit ſi per vrinas expurgatio fiat) magna futuri recurſus morbi ſuſpicione; per ipſam autem, venarum reſerationem, qua cum malo boni plurimum foras erumpit, non leui ægrotantis detrimento, copioſa nimis vacuatio contingit. Appoſitè itaque, & fæliciter, humores in venis ſedem habentes, per vias è venis ad ſeceſſum vergentes, euacuantur; Sed ſi extra venas ſtent, puta in meſenterio, vaſiſque annexis, vt dictum eſt, dubio procul veriſſimum eſt, per ſeceſſum eundem, vnà cum vomitu, fæliciſſimè opus deſideratum haberi poſſe; eo namque patenter terminentur ductus, per quos regio hæc perpetuo, & propriè expurgatur; Quamuis ex quo dum viuimus, patentiſſimum corpus humanum eſt, & omni ſui parte in vnum conſentiens, idcirco minime impoſſibile videatur, per cæcas, occultasque vias, hanc quoque regionem, aptè, & vtiliter poſſe purgari. Vt autem vacuationis humorum, in venis, vel extra venas peccantium, idonea quantitas habeatur, neceſſe eſt illam certis proportionis terminis præfiniri, quoniam & debitam mediocritatem illa excedere, & infra ſubſiſtere ita aliquando poſſit, vt parum, aut nihil neceſſitati ſatisfaciat, immo etiam lædat. Sed proportio hæc penes humoris peccantis copiā attendenda, vt ſcilicet quātitati illius æquè reſpondeat; Et ſi modus etiam quo vacuatio ipſa certis ductibus fit, ad euidentiorem cognitionem eius, minime negligendus videatur. Copia autem humoris quanta ſit, ex proprijs aliàs indicatis notis, ſufficienter conijci poteſt; Quod verò vacuatio illi proportione reſpondeat, leuamen etiam ipſum, poſt tollerantiam, apertè docet, proportionata quandoquidem ſemper tolleretur, & leuamen ægrotanti afferat, improportionata non item, ſed potius lædat, aut nihil proſit, lædat

inquam,

inquam, ſi exuberet, nihil autē proſit, ſi valdè manca ſit. Verum prætera modus, quo vacuatio hæc foras erumpit, accuratè eſt conſiderandus, quoniam ille quantitati in multis, vt plurimum, faueat; Nam vel euacuatio fit vehementi, validoque impetu, quò generosè contenta expelluntur, vel placidè fit, ſenſim vè, vt niſi partitè redundantia exeant; idque aut breui, aut longo temporis tractu; Inſuper aut per euidentes vias ſedi humoris quomodolibet directè commodas, aut per latentes alias ſedi eidem ex obliquo ſolum, & minus conuenientes, celebratur. Quippe tum externa euacuatione foras erumpenti, expurgationem humoris fieri, tum interna ſaltem deportatione, qua per decubitum in partē ad recipiendum accommodatam humor aliquando transfertur, eandem paſſim euacuationem contingere obſeruemus. Ergo poſtquam vacuationis magnitudo, ſeu quantitas humori peccanti proportionata cenſetur, quæ & illi pellendo ſufficit, & toleratur à viribus; adhuc ſi modo valenti, & generoſo, perque vias patentes, & ſedi humoris commodas fiat, omnino ea magis ſecundum naturam æſtimanda erit, per illam quoniam appoſitè quod peccabat, demoliatur; non item ſi lentè, ac ſenſim facta, & quidem per vias obliquas, longinquas, & anguſtas, ſedi humoris minus accommodatas; Et inſuper etiam quando illa ſuo impetu vrgeat, nec eam vires commodè ferant, noxia valde eſſe poteſt; Tunc quoniam vt ſignū, & vt cauſa, certum ſit debilitatis argumentum, vt ſignum ſanè quoniam deficiens, tardaque, aut item obliqua exiſtens euacuatio, ſemper virium impotentiam indicat; vt cauſa verò, quia vrgens eadem, eaque omnem modum prætergrediens, & impetu nimio adorta, & diuturno tempore durans, ſemper vltro quam par ſit, ſpiritus exoluit, & vires ſubinde infringit. Cæterum quod non ſemper humor certis vijs è ſua ſede foras extra corpus expellatur, ſed & interdum per deportationem, translationē vè, indirectis, occultiſque ductibus, vt dictum eſt, ab vna in aliam corporis partem perducatur: quando videlicet humor aut in venis, aut extra venas collocatus, ſuaque vel qualitate, vel quantitate nimium vrgens, & naturæ moleſtus exiſtens, violenti impetu, & præter omnem ordinem, ab eadem natura aggreſſus, è ſua deturbatur ſede, & in partem demum ad recipiendum aptiorem deportatur, vbi forſam morbum nouum, priori ſæpe ſublato, producat; Propterea ſanè cum deportatio hæc, interdum vtilis, & quaſi ſalubris expulſio æſtimanda ſit, at plerumque etiam pernicioſa cenſenda, illius idcirco contemplatio quando opus ſit, non negligenda; Deportatio enim hæc, vel ad partem nobilem eſt, vel ad ignobilem (nobiles partes dico, quæ præcæteris aut vitæ ſeruandæ deſeruiunt, aut alijs nobilioribus operibus adminiſtrandis fabricatæ ſunt) ſi ad nobilem, ſiue vt per eam expurgetur, ſiue vt in ea ipſa detineatur humor, maximum ſemper aduenit ægro detrimentum, quare ſemper etiam perperam fit, & quidem magis ſi in ea conſiſtat; at ſi ad ignobilem, tunc licet exacta ſequatur humoris aliàs morbum facientis demolitio, quod per hāc ille totus è ſuo loco dimoueatur, vt morbus ideo ceſſet, attamē nuſquam tutum opus, & prorſus vtile eſt; tum quod adhuc aliquid per ipſum relinqui poſſibile eſt, ex quo recidiua contingat; tum quia nunquam id optimum eſſe cenſetur, quo melius reperitur eiuſdē generis, longè enim melius eſt, à malo omnino liberari, quam nouo adhuc morbo, licet leuiori, implicari, quem vtique humores ad partem translati, & non prorſus foras eiecti inducunt. Quod ex aperta, externaq; vacuatione raro euenit, præſertim ſi generoſa illa per vias patētes celebretur; aliàs, vt dicebamus,

 ſi ſen-

Digitized by Google

ſi ſenſim, lentèque fiat (niſi talis merito tolerantiæ facta æſtimetur) quia diminuta cenſeatur, & quatitati peccanti minimè opportunè ſatisfactura; Quare tunc vt in deportatione ipſa humorum, de robore virium, non niſi prudenter iudicandum eſt; ita contra audacter, in expreſſa, eaque per tolerantiam generoſa euacuatione, ſententiam ferre licet. Sed addenda his omnibus eſt conueniens opportunitatis contemplatio, per quam ſanè proprius conſtat, vtrum quæ præſentis vacuationis quantitas obſeruatur, ea ſemper, per omne morbi tempus, certum robur virium arguat nec nè. Duobus quidē temporibus peccantium humorum vacuationes in ægris ſponte fieri certum eſt; Vel poſtquam naturæ beneficio ſufficienter concoctus, tum iuſtum fuerit excrementitiæ conditionis iudicium conſequutus, tum itē optimam ad expellendum diſpoſitionē adeptus ſit, vnde poſt viarum promptitudinē, ille expulſioni, tuto, & iucundè ſubijciat ſe; Vel deinde cum licet adhuc ille nondum plenè confectus, elaboratus vè, atque diſpoſitus, interea nihilominus, tum ob vnam ſui exuberantē quātitatem, tum ob impreſſam prauam, & naturæ valdè moleſtam qualitatē, ſit, vt intempeſtiuè illum natura irritata nimis foras cogatur expellere, aut mauis cum ipſum vltro retinere non valeat, cogatur ſinere vt per ſe foras erumpat. Attamen dum quouis modorum horum expurgentur ea, quæ morbum nutriunt, & quidem vijs idoneis, ac cum tollerantia, nō dubitandum quin expulſio quandocunque contingat, cum vtiliter fiat, ideo etiam facta cenſeatur opportunè; Cur enim inutile, per morborum initia, augmentum vè, humores morbificos euacuari? cum tunc potiſſimum conſtet naturam inde facilè ſubleuaturam, maxima nempe cauſæ morbi portione euidenter euacuata; Vtique melior, tutiorque, & ferè ſemper iucundior ea futura vacuatio eſt, quæ tempeſtiuè, poſt omnē abſolutam coctionē fit, qualis inquam eſt, quæ poſt morbi ſtatum, & per declinationem fit; At non idcirco alia, quia ſolum intempeſtiua, & ante omnem coctionē facta, inutilis erit, & mala, dum tamen per eam materiei morboſæ copia, per vias idoneas, & cum bona tolerantia, vt ſuppoſuimus, celebretur. Neque dicendum hac ratione quidē minui morbi cauſam, ægrum tamen proficere nihil, quod multo plus tunc langueſcat virtus, quam ſubleuetur; Quoniam ſublata maiori morbificæ cauſæ parte, ſi vires vacuationem huiuſmodi tolerauerint, ſemper æger proficit; Etenim tunc, ſiue expellenti aucta vi, ſiue retinenti diminuta, ſi qui peccat humor foras erumpat, magna ſemper vtilitas ægrotanti contingit; cum deinceps natura minori onere preſſa, potentius ſibi vacatura ſit, & quod noxij reliquum fuerit, commodius ſuperatura; Quod ſi tolerantia nulla fuerit, certum eſt noxam vtilitate maiorem ægro futuram; quoniā cum ex vacuatione quauis labor aliquis ſemper expectetur; per eam quia ſpiritus exoluantur, diſſipenturque vires, merito ſi vacuatio intempeſtiua ſit, & præter tolerantiam facta, vt maior ex ea ſpirituum demolitio, ita maior labefactatio, minorque vtilitas præſto erit, quam ſi vacuatio omnibus numeris laudabilis, & exacta contigerit; quamquam & hæc, ſi citra tolerantiam eueniat (tantum enim tolerantia facit) aliquando, inſimul cum ſimptomatibus ſæuiſſimis, ægro necem importet, vt potè quā vires non ſint totam ſimul toleraturæ. Quodcunque ergo morbi tempus fuerit, quo generoſa compareat euacuatio, dum per eam talia vacuentur, qualia iam ante peccare certum erat, fiatque ea per vias idoneas, & fit cū ægrotantis tolerantia, vtique illa quomodocunque facta, ſemper cenſebitur opportuna, & valde quidem magis, ſi vlterius ægro leuamen acceſ-

ſerit;

ſerit: poſteaquam per ſolam tolerantiam, pateat diminutam, aut etiam ablatam eſſe cauſam morbi antecedentem, ex qua fouebatur coniuncta; per leuamen verò certi ſimus, ipſam met eiuſdem morbi ſublatam eſſe coniunctam, per quam immediatè morbus conſeruabatur. Itaque vt vacuatio huiuſmodi, quandocunque fiat, ea tum opportuna, tum per viriū robur facta cenſenda eſt, ita ſanè ſi nulla compareat (quandocunque præſertim illa vtiliter expectari poſſit) vires impotentes eſſe argumētum præbet; Quamquam adhuc illas ſimpliciter tales, vbique & ſemper minimè pronunciandum ſit; quoniam imprimis vacuatio, quæ poſt omnē coctionem regulariter, & ſecundum naturam ſuccedit, non ſemper manifeſta eſt, ſed eius loco, interdum fit reſolutio, quæ inſenſibilis eſt, quæ inquā fit, ſi humor peccans, craſſus, & in ſede à patentibus vijs longè diſtanti poſitus extiterit; veluti aliàs manifeſta euacuatio ſequitur, cum humor fluidus, & vijs patentibus commodus collocetur; qui inſuper nec paucus nimis, ſed qui quantitate ſua virtutem ad generoſè pellendum quodammodo inuitet; Vnde niſi iam hæc adeſſe omnia euidens coniectura præceſſerit, ſanè deficiente vacuatione, quam manifeſtam expectabamus, de robore virium non dubitandum. Præterea etiam vacuatio, quæ per vim, citra exactam coctionem aliquando contingit, quamuis ſæpe vtilis, & proficua ægrotanti ſit futura, quia per illam, ferentibus viribus, ſæpe generoſè minuatur, quod peccat; quod tamen ex ſe neceſſaria non eſt, vt pote quæ præter naturæ ordinem ſit, ideo ſi quando deficiat, minime virium defectum arguet, ſed humorem potius, virium ipſarum beneficio, intra modum ita ſe continere docebit, vt omni feritate repræſſa, debitam coctionem expectet; Et ſi quandocunque quælibet ex his vacuationibus etiam diminuta compareat, licet humoris peccantis ſemper copiam præmentem, malitiam vè irritantem arguat, virium nihilominus potentiam aliquam, debilem tamen, monſtrat euidentem.

Sed vtcunque ſit, cum vniuerſim hæc virium debilitas in morbis, vel ex oppreſſione, vel ex diſſolutione oriatur, merito hic, & alibi etiam vnde ſit præmeditabitur; quoniam ſi talis ab oppreſſione ſit, minor ſemper erit, quam ſi à diſſolutione fuerit, in hac quoniam virtus apertè deficiat, in illa verò duntaxat impedita reperiatur.

QVAE.

QVAE OPERA PER NATVRAM *in habitu corporis fiunt, vt quomodolibet ille conſeruetur, & priſtinæ ſanitati reſtituatur, vltimo loco examinantur, & robur ab eis indicatum exprimitur.*

CAPVT OCTAVVM.

RESTAT vt de robore virium, ex operibus etiam conſeruantibus, quatenus in ipſo corporis habitu, tam inter inſtaurãdum, quam intercurandum exercentur, iuditium fiat. Porrò in vẽtriculo, & hepate, paſtu confecto, ad nutritionemque patato, & ibidem quod inutile erat omniquaque deuicto, expurgatoque tandem ægri corporis vniuerſi habitus, attrahendo, retinendo, concoquendo, expellendoque, reficitur; Attrahendo inquam pabulũ, illudque tandiu retinendo, quandiu perfectè concoctum aſſimiletur, & inutilibus interea quibusque, ſenſibiliter, vel inſenſibiliter expulſis, ex eo habitus reficiatur; Id enim vltimum naturæ conſeruationi vitæ incũbentis eſt opus, per quod etiam ſanitas, & præſeruatur, & recuperatur; & ex quo demum, vt ab effectu, licet de robore virium facere coniecturã; Namque ſi pro viribus per ſanitatem conſuetis, ipſe ægri corporis habitus conſeruetur, foueaturque, certum eſt, robur innatum integrum eſſe; nõ item ſi contra, & eo ſanè magis, minus vè id verum, quo magis minus vè opus recedet à conſueto. Eſt enim habitus hic, ipſa ſubſtantiæ vniuerſi corporis moles, qua corpus belle conſiſtens, viuificanti animæ ſubeſt; vtcunque ergo illa ſe habuerit, omnino ex conditione propria, quales naturæ vires, interreficiendum, ſanandum vè habitum, cenſendæ ſint, aptè ſatis colligi poteſt; Etenim conditio eius & ſenſibus quidem per ſe eſt conſpicua, & item mente ex ſenſilibus præuijs facilè concipitur, obſeruata nempè molis proportione, & conſiſtentia, licet adhuc color non leue præbeat veritatis argumentum; Proportio verò hæc attenditur penes cõformationem, magnitudinem, numerumque, & ſitum ipſum, penes quę, cum iuſta, & ſanitati congrua fuerit, penes eadem habitus etiam melior, & deterior erit: Vnde poſito omnia hæc, aliàs naturæ inſtaurationem molientis beneficio, congrua extitiſſe, iam verò per ægritudinẽ, eiuſdem naturæ operantis defectu, incongrua euaſiſſe, neceſſarium eſt, attractionis opera, retentionisque, vnà cum alimenti coctione, excretorumque purgatione, in totius, vel partis habitu, ex quaſi certa cauſa, intercepta, diminutè, ſeu perperam celebrari; contra, ſi aliàs res ſe habuerit; robur enim tunc virium, ab eo quod per ſanitatem inerat, parum diuerſum adeſſe, operaque inſimul omnia conſeruantia ſufficienter exerceri, iudicandum eſt. Sed proportionem hanc ea ratione expendere opus eſt, qua illa reſpondet ætati: vt enim non omnibus eadem à natura ineſt quadrata proportio, ita nec per ætatem quilibet à teneris annis eandem inditam conſeruat, ſemper ſimilem, ſed euidenter immutat. Proportionem ſequitur ſubſtantiæ conſiſtentia, mollities putà, & durities, cum raritate, ac denſitate, per quæ item, quaſi per effectus, robur virium obſer-

uandum

uandum eſt ; atque ſi mollities, & raritas præſto fuerit, nulli dubium quin opera conſeruantia imbecillius exequantur, validius autem, ſi durities (mediocris ea tamen , quia excedens vitium eſt) cum denſitate aderit ; hæc enim ſolidiorem nutritionem indicat, illa tenuiorem. Sed quod de totius habitu dicitur, de habitu etiam partis intelligendum eſt, illudque meritò, vel vno ſenſu recognoſcendum, quando præſertim pars ſenſu percipiatur, quia dum cute obtecta lateat, & per ea ſolum, quæ tanquam effectus ex cauſa, bonam illius, aut malam coditionem ſequuntur, innoteſcat, mente tunc qualis fuerit perſcrutandum. Verum enim verò ad meliorem boni habitus euidentiam facit color, ſi ille quaſi roſeus, floridusque, nec defluus, ſed ſtabilis ſit, qui inquam veræ ſanitati congruit. Color quandoquidem prædominantem, vigentemque imprimis humorem ſequatur neceſſario, at ſanguis purior, ex quo hic laudabilis color oritur, non niſi in verè ſanis, nec non & in conſtantes, ac firmas vires habentibus. prædominatur, ac viget, quanto igitur color viuidior fuerit, tanto habitus melior æſtimabitur, at quanto flacidior, feruidior vè, vel demum inconſtantior, tanto deterior. At hæc ipſa omnia quamquam extrinſecus ſe ſe in ſingulis quibuſque corporis partibus offerant, quibus maximè conſentiunt internæ, potiſſimum nihilominus ſemper in facie elucent. Facies etenim præcipuæ corporis noſtri parti, cerebro nempe hæreſcens, in quod nutritionis ergo, ob ſibi inditum munus, non melior ſolū, ſed & copioſior, ex toto corpore, influit ſanguis; cuius dein faciei cutis à ſubiecta carne parum diuerſa exiſtens, quaſi aliud non ſit, quam ſumma, & extima carnis faciei portio exſiccata, ideo quicunque, ac quāticunque in corporis molem induntur ſucci, conſpectius hi, & dilucidius in facie, quam in reliqua corporis cute efflореſcunt, vt facies ipſa, quaſi interiorum corporis affectuum index, & ſermo quidam tacitus cenſeatur; Facies itaque, quæ primum mediocriter carnoſa ſit. & ſibi ſecundum molem, per ſanum ſtatum, ſimilis ſatis, quæ inſuper colore floreſcens, viuidaque ſit, vt boni ſemper ſanguinis copiam arguit, cerebro nempe, cuius illa magna pars eſt. eodem vndique referto, atque ita vires vbique robuſtas ad ritè ſangui ficandum accommodatas adeſſe oſtendit; ita contra, ſi facies, vel de recenti pertumida, vel mauis extenuara nimis, ſiue ſecundum partes contracta, & exſiccata, quæ & viuiditatem amiſerit, palloreque, aut etiam liuore afficiatur, bonum ſuccum deſſicere, bonamque nutritionem, vnà cum viribus omnibus, diminutam eſſe, manifeſtum eſt argomentum; Ex facie ergo ad cerebrum, & ab illo ad vniuerſum corporis habitum, ob ea quæ dicta ſunt, naturalis omnis virtutis robur meritò deducitur, nec in ſanis ſolum, ſed etiam in ægris; cum præſertim indè coctionis, & expulſionis validitas in eodem habitu coniiciatur, quippè ita bonam, vel malam in ipſo nutritionem celebrari, & ſufficienter quod noxium, & inutile eſt, in illo ſuperari, foraſque pelli conſtet. Cæterum qamquam hæc vera ſunt omnia, vt inquam vniuerſim habitus ipſe corporis totius, vel item partis, ex proportione, conſiſtentia, atque colore, integer, & ſecundum naturam cenſeatur, vel contra, deprauatus, & præternaturam ſit, atque ideo validas, vel inualidas naturales operationes in eo exerceri, ſubindeque vires robuſtas, aut imbecillas in ipſomet eſſe, rationabili coniectura conſtet; Attamen vt hoc ipſum de habitu partis cuiusque proprio preſſius intelligatur, quem ſanè frequentiſſimè in ægris particulatim nouiſſe operæ pretium eſt, perfectò præter proportionem, conſiſtentiam, atque colorem, ex quibus generatim conijcitur, quod

queritur,

queritur, adhuc alia negligenda nõ ſunt, ex quibus res propius eluceſcit; & inter hæc humoris in parte conſiſtentis, morbumque facientis ratio habenda eſt; tum quatenus recipitur, congeriturque in ea; tum quatenus ibidem partis viribus ille regatur, tum demum quatenus inde earundem ope ipſe pellatur hinc ſiquidempartis cuiuſque robur ſecundum naturã, quale, quantum vè ſit, euidentius conſtet. Namque humor in parte, vel fluxione, vel congeſtione coaceruatur, & attractione etiam interdũ; Congeſtio autem ſemper deteriorem partis conditionem arguit, ea quandoquidem ex diminuta tum coctione, tum expulſione fieri conſueſcat; Huic ſuccedit affluxus, qui debilitatem quidem recipientis partis oſtendit, ex quo ea præceteris fluxioni minus reſiſtere videatur; quamquam ex ſitu id ſępiſſimè etiam illi contingat; verumtamen interdum partis afflictio, præſertim doloroſa, cauſa eſt attractionis humorum ad eam, atque pro afflictione maiori, maior etiam partis langor æſtimandus eſt; Receptus in parte humor neceſſario conſiſtit, nec inde ob viarum anguſtiam, niſi difficilè exit; dum verò conſiſtit, vel coquitur, vel corrumpitur, Atque dum coquitur, vel in partes diſſoluitur, & inſenſibiliter euaneſcit, vel in pus ſaltem, doloris teſtimonio, conuertitur; vt autem ſuppuratio defectum ex parte humoris ſolum oſtendit; ita diſſolutio, & inſenſibilis digeſtio ſemper robur virium arguit; Quod ſi corrumpatur, virium tunc euidentem langorem, per apertum caloris innati defectum, & partis denique mortificationem, monſtrat, & humoris quoque certam perniciem docet. Ad hæc niſi humor per coctionem ſufficienter diſſipatus, partis ſanitati iuſtè ceſſerit, (id enim in humore etiam peccanti ex robuſto naturæ opere obſeruatur, ſi tamẽ ſecundũ partes omnes æquè factum ſit, nec relictis craſſis, ſolæ tenuiores effundantur) ſed facto per ſuppurationem abſceſſu,, ſolutoque continuo, foras erumpat, vtique tunc licet noua partis afflictio præſto videatur, vigente nihilominus virium robore, nec eo, ex affatim effuſo pure. plus nimis infracto, illa facilè priſtinæ integritati redditur; Et ſi difficile etiam id interdum, ob iampridem parti ex humore prauo communicatam diſcraſſiam, obſeruetur. Cæterum cum aliquando etiam eueniat, vt dum adhuc ſub coctione humor ſtat, ille ex afflicta parte, per tranſportationem, aperta præſentis morbi ſanatione, vel diminutione, decedat; vtique tunc licet afflictæ partis robur adeſſe conſtet, attamen quoniam, dum in partem aliam humor traducitur, ſæpe id maiori ægrotantis malo contingat, ideo non ſemper vt bonum deſiderandum. Itaque diligenter cognitis hiſce, illiſque prudẽter inuicem comparatis, quid de virium robore in habitu totius, & partiũ corporis fuerit cenſendum, hac ſemper arte patebit, tandemque quantũ, & quouſque ibidem ipſa natura valeat, ex ipſis conſeruantibus naturæ operibus, ita colligendum. Reſtaret vt ex operibus eiuſdem naturæ perfectiuis, de ipſius met naturæ potentia in ægris, vniuerſim ſaltem, iuditium fieret, verum tamẽ cum opera hæc ipſis viribus fouendis, reſtaurandis vè nequaquam ita faueant, (excipiuntur aliquot, ſine quibus conſeruantia opera nunquam integrè exercentur) vt merito directè, vel tanquã effectus, vel tanquam cauſæ, ſufficientem prebeant de naturæ robore coniecturam; Sed eatenus ſolum indirectè vt cauſæ, vires vniuerſim valere oſtendant, quatenus ſanè eſt verum quod hiſce operibus validis prodeuntibus, & ſecundum rationem exercitis, vires omnes ad vegeta conſueta munia quodammodo excitantur; vt effectus verò, ſed indirectè etiam, quod eiſdem perfectiuis operibus afflictis prodeuntibus, neceſſe eſt vires

Digitized by Google

vniuerſim languidas eſſe, quoniam ſcilicet ſpiritus ad robur earum deſiderati minimè ſufficientes, vt potè iam ex aucto morbo, atque ſimptomate, exoluti, ſubministrentur. Sed vt perfectæ hæ tunc operationes ſunt, quæ conſueto naturæ conſentiunt, ita imperfecta earum eſt ablata, deinde corrupta, & tertio diminuta, augmentum enim perfectionem arguit, niſi ex violenta cauſa ſit; At inſuper cum earundem perfectiuarum operationum triplex ſit differentia, eo quod cognitiuarum vna, & loco motiuarum altera, ac genitiuarum tertia videatur; vtique hoc ordine, ex his, de virium robore æſtimatio facienda eſt; Quod nempe genitiuarum differentia cæterarum differentiam longè præcedat, vt puta quia conſeruantium differentiæ conſentiat magis, illique proximius accedat; Verum loco motiuarum differentia ſuum poſtea locum habet, quoniam poſt multa, vel vno motu, ipſa conſeruatio foueatur, & vigeat; Tertio & vltimo loco cognitiuarum differentia ponitur, quæ vt longè à vitæ conſeruatione diſtat, ita longè multum à ſignificatione aliarum diſtat. Ergo de virium naturæ potentia hactenus ſatis, quę profectò in ægro quouis nunquã ſimpliciter æſtimanda eſt, ſed diligẽti facta comparatione ipſius met præſentis cum præterita, quoniam per morbum ſemper illa debilior, quam per ſanitatem eſſe conſueuerit; vnde, ſi illa per ſanitatem fortis ſit, per ægritudinem minus debilis cenſenda, quam ſi per ſanitatem debilis, & languens apparuerit; vt autem quanti ad futurum ægri exitum præſagiendum illa æſtimanda ſit, percipiatur, omnia quæ hucuſque diximus, ſub vtroque ſtatu, examinanda, recognoſcendaque erunt.

QVANTVM VTILITATIS, & auxilij in expugnando morbo, ſeruandiſque viribus, ars cooperanti naturæ ſit allatura declaratur.

CAPVT NONVM.

SEQVITVR ars, cuius ope, natura frequenter manca, ſopita vè, aduerſus morbos, atque ſimptomata, appoſitè excitatur; ſi modo morbi ſint, quos ipſa per ſe ſe natura ſuperare non poſſit, attamen artis accedente miniſterio commodè poſſit; Quando morbi, quibus paſſim corpus humanum affici ſolet, tum maiores, ſeuioteſque ſint, tum minores, benignioreſque; atque vt hos facilè natura per ſe vincere apta eſt, ita eadem ab alijs ſuperari, vincique ſolet; & adhuc alios inter morbos eſſe medios, qui vt per ſe naturã vincere minimè valent, ita nec à natura ſola vinci aliquãdo poſſint, veriſſimũ ſit. Dari inſuper medicamẽta, vel intrinſecus vel extrinſecus adhibita, quibus humanũ corpus præternaturã alteratum morbiſque afflictũ in melius permutetur, ſenſus ipſe doceat. Poſſe idcirco naturam, morbos, quos per ſe ſola non ſuperat, hiſce ſufficienter ſuppeditatis, generoſè vincere, & hominem iam afflictum malis priſtinæ ſanitati teddere, nemo negabit vnquam; Suppeditat autem hæc medicina artium omnium præſtantiſſima; quare poſt naturæ vires, huiuſce quoque artis auxilium, ad morborum exitum præſagiendum, præmeditare eſt operæ prætium, vt

porrò eo naturæ viribus ſuperaddito, & cum morborum, atque ſimptomatum malitia comparato, euidens fiat quid tandẽ ex mutuo eorum conflictu expectetur. Ars itque hæc medica quamquam hominis ingenio, ex experimentis, quibus quotidiana neceſſitas, ad proprias ſcilicet calamitates arcendas, præbuit occaſionem, inuenta, propagataque eſt, non ideo tamen ea experimentorum duntaxat quidam veluti cumulus, ſeu farrago, longo nempe horum vſu probata collectio, æſtimanda eſt; quandoquidem nec temerè nec ad arbitrium illis vtatur, quæ communis vulgarium hominum opinio fortaſſe eſt, ſed methodo recta; ac neceſſario, ſapientique conſilio, firmis, atque ſenſatis prænotionibus, optimè inſtituto, in finem ea ita omnia dirigens, vbique miniſtret, ſeruata nempè omnium qualitate, quantitate, & vbique opportunitate, vt merito, & iure, dum diligenti naturæ imitatione, ſuum illa ſtudium, & opus omne proſequitur, vt vita inquam hominis, ex his, ſalua, & incolumis, quamfieri longiſſimè poſſit, perducatur, quoddam idcirco quaſi naturæ agentis ſimulachrum eadem videatur, & ſit. Cæterum cum pro poſſe ſolum, ſuũ hoc munus ipſa contendat, & proſequatur, fit, vt naturæ quidem adiutrix, aduerſus hominum morbos, cenſeatur, & vt interdum etiam quaſi opifex primarius ſit, non nunquam autem, vt ipſa nullius eſt vſus, ita plerunque tum fruſtra, tum perperam deſideretur; Inter præſagiendum ergo, ne multum, parum, aut nihil, illa ſit aliquando curationi morborum profutura, & ne per ſe ſola, vel vnà cum naturæ potentia, ſanitati ſit opem latura, neceſſario examinandum. Itaque vt omnibus bene inſtitutis artibus, quarum finis & ſi non ſemper certus, ille tamen experimento, rationeque duce, vt plurimum præſto eſt, hoc vnum commune cenſetur, vt videlicet cum artifex propriam meditaturus potentiam fuerit, de neceſſitate primo quoque operis ingreſſu, totius eiuſdem operis ideam ante oculos habeat, hoc eſt, fine ſibi operis conſtituto, omnem deinde artificioſi operis progreſſum futurum, à principio, per mediũ, vſque ad finẽ, præmeditetur. Præterea verò vt cuncta ad conſequendum finem requiſita, iamque reperta, pro ratione diſponat, atque ita ne eadem ſibi inuicem directè ſuccedant, in finem tandem ex voto terminatura, diligenti præmeditatione prænoſcat; In hoc quandoquidem omnes artium vires hactenus collocentur, quatenus inquam finis per artificem intentus, ex deſideratis omnibus bellè ſuppoſitis, inuicemque aptè ſe habentibus, potenter, & validè conſequatur, atque ſanè magis, minus vè, quo meliora, deteriora vè fuerint omnia. Ita proculdubio etiam Medicina, quæ artium omnium præclariſſima ſemper eſt habita, Medicus inquam, intercurandum, propriæ artis potentiam, & ad aſſequendum finem, hoc eſt ægri ſalutem, præcogniturus, præ omnibus operum ad medẽdos morbos deſideratorum ordinẽ ſibi ſeruaturum proponens, poſtmodum verò requiſita ad ea inſtrumenta omnia accuratè perquiret, rectèque eadẽ ſua mente diſponens, demumque prudenter in finem omnia dirigens; profectò quid ſibi per artem de fine ſperare liceat, ſatis apertè præuidet; Id autem eo euidentius, certiuſque eventurum intelliget, quo omnia requiſita appoſitius intento fini reſponſura ſecũdum rationem inueniet. Quamobrem ille inter præſagiendum, duo ſibi ante oculos ponet; primum erit conceptum medicinæ opificium, hoc eſt, operum proſequendorum methodus ad faciendam certo morbo medicinam præmeditata; Secundum erit, inſtrumentorum deſideratorum, & inuentorum potẽtia, ſiue facultas, qua opus ipſum, recto eorum vſu, in ſingulis nempè apta qualitate, ſufficienti

ſufficienti quantitate, & idonea opportunitate ſuppoſita, proſequi, abſoluique poſſe, ex ratione deducitur; ex his quippe præuiſis præſagium facile euadat. Verum enim verò medentis opificium, operum vè omniũ perficiendorum methodus, ſiue ad conſeruanda, quæ ſecundum naturam ſunt, ſiuè ad pellenda, quæ præter naturam vigent, à medico fuerint mẽte concepta, ex his ea potiſſimum deducenda eſt, ex quibus operum proſequendorum neceſſitas indicatur. Indicatur autem ex viribus imprimis, dein ex morbo, vnà cum cauſis, & ſimptomatibus conſequentibus; Vires namque omnimodam ſui conſeruationem indicant, hæc verò ex ſalute eorum pendet, quæ ſecundum naturam ſunt; Quatenus ergo medicus opera ſibi peragenda proponet, quibus res naturales omnes Seruari commodè poſſint, eatenus quoque ille, vires ipſas, quibus potiſſimum intentus finis præſto eſt, conſeruabit; Morbus contra, vnà cum cauſis, & ſimptomatibus, demolitionem neceſſariam indicat; Quapropter vbi viribus fuerit conſultum, ſi dein medicus pellendis omnibus præter naturam præſentibus ſibi ſufficientem operum methodum propoſuerit, quæ adamuſſim quadret intento, vtique ſemper, & neceſſario, illud cõſequetur; ſufficiens autem operum methodus ſemper eſt, illaque tam ad ſeruandas vires, quam ad pellendum morbum, apprimè congrua, & ſubinde quadrat intento, dum qualitatem operum conuenientem, appoſitam quantitatem, & opportunitatem denique intento debitam, vbique ſeruauerit medicus: alias ſiquidem contrarium ſit neceſſario euenturum. Ergo ſi qui doctus prudenſque fuerit, qui recta ratione, hanc exactam operum omnium ad curationem requiſitorum methodicam ideam iam mente conceptam præmeditauerit, ſanè ſuæ medicinæ potentiam præcognoſcet; an videlicet ea huiuſmodi fuerit, quæ multum, parum, vel nihil naturæ languenti ſit opem latura, vel adhuc per ſe ſola intentum aſſequutura ſit, idque eo magis, minus vè quo magis, minus vè euidenter operum omnium methodos in finem dirigatur; Quandoquidem ſæpe opera omnia, quæ congrua curationi ſunt, ac indicantur, ritè deſignare liceat, proſequi autem illa non liceat, quod ex illis modo vnum, & alterum modo, contraindicantium occaſione vrgenti, minime permittatur; & ſanè pro certo morbo, vel ſimptomate, in determinato ſubiecto, ex determinatiſque cauſis, præcisè propoſito; Quod inquam ſæpe fiat, vt corpus affectum, affectio, & cauſæ afficientes eius rationis ſint, vt artem magis, quam naturam fauentem habeant, ſæpe verò contrà, naturam potius, quam artẽ, & ſæpe demum vtrumque ſimul, nempe artem, naturamque; atque ſecundum has ſe habendi differentias permiſſio methodicorum operum in artis finem clarè elucet. Accedit operibus medicis præcognoſcendis inſtrumentorum vtiliter adminiſtrandorum delectus. Inſtrumenta autem hæc ad conficienda medicinæ opera requiſita, multorum generum, vel ſpecierum ſunt, quorum vniuerſim conditio debita, in eo poſita eſt, quod primum talia ſint, qualia indicantur; ſecundo quod tanta præſcribantur, quanta deſiderantur & tertio quod opportuna temporis occaſione adhibeantur. Talia vtique ſunt, ſi facultate ea donentur, atque virtute, qua operi artis commodè ſeruiant; Veniunt facultatis nomine; tum qualitates actuales, virtuales vè omnes, quæ adhibitis ad curandum inſtrumentis, naturaliter inſunt, tum poteſtates, ſeu vires quæuis illis met arte impreſſæ, quando & illis, & iſtis, medica ipſa inſtrumenta donari, vt plurimum, ſit operæ pretium; Illis porrò, vt ſecundum naturam agant puta refrigerent, humectent, & ſimilia præſtent; Iſtis verò, vel vt ſecundum

Digitized by Google

naturam operantibus, illis auxilio ſint, vel vt propriè ſecundū artē agant, putà è loco mota reſtituant, diſiuncta coniungant, & talia penè plurima operentur, quæ aſſequendo curationis fini aptè deſeruiant, quæ ſcilicet, vel ijs quæ ſecundum naturam ſunt, appoſitè faueant, vel quæ præter naturam ſunt, quomodolibet aduerſentur, & quidem in determinato, ac certo ægrotanti, in quo vt ſimilia ſimilibus ſemper conſeruantur, ita contraria contrarijs deſtruuntur. Atqui adhuc inſtrumenta poſt vnam qualitatem, iuſtam quoque menſuram habeant neceſſe eſt; Menſura etenim eorum, ſeu quantitas, operi proſequendo, aſſequendoque fini, ſufficiens eſſe debet; quoniam ſi illa intra modum fuerit, nè vel nihil præſtet, vel morbi reliquum derelinquat, periculum eſt; Si verò modum ſuperet, ne contrà, nouum morbi genus priori aduerſum perperam inducat, timendum eſt. Vnde quo magis, minus vè proportionatè mediocritati illa appropinquabit; ſiue id Geometricè fiat, ſiue Arithmeticè; eo magis, minus vè ſatisfactura eſt; At opportuno demum operi ea reſpondent; quādo præſertim ars ſecundum naturam habet, vnde merito opportuna erūt inſtrumenta, quæ dum expetantur, vſus eorum etiam toleretur. Expetuntur quidem modo prius, modo poſterius, pro vt eorum vnum prius quam alterum indicatur, quod vel ex vrgentia prouenit; vel quia vnum alteri aditum patet, aut ſaltem ſine quo illud non permittatur; Tolerantur verò, ſi dum expetuntur, æquè ferantur à viribus, quippè ſæpe quæ aliquando ex ſe priora, quoniam ferantur minus, ideo ex arte poſteriora ſunt. Cum itaque inſtrumenta hæc, quæ ad opera in ægris peragenda indicantur, & expetuntur, vt operibus eiſdem maximè congruant, qualitatem, quantitatē, & opportunitati conuenientiam requirant, exequendis illis verè idoneam, ne quando his illa defecerint, non tantum vana, ſed etiam perniti oſa euadant, quod eis magis, minus vè ſemper contingere conſueuit, quo magis, aut minus eadem operi indicato per virium tolerantiam ſatisfactura ſint; Vtique dum quis potentiam artis ad aſſequēdum finem præcognoſcere intendat, vt præſagium inde certius de morbi exitu faciat, inſtrumentorum deſideratorum idoneam tum quantitatem, tum qualitatem, tum demum opportunitati conuenientiam hanc ita expendet, vt ſibi ſubindè fęlicitas futuri operis quaſi præſens repræſentetur; cum ex his maximè, nè multum, aut paucum, in proſequendis morborum curationibus, artis auxilium pateat; quando ſæpè qualitas inſtrumentorum indicata admittatur quidem, ſed non quando oportet; præterea & eorum quantitas aliquando conueniat, cum tamen non toleretur, & aliquando toleretur, non tamen ſit conceſſa. Vnde non niſi omnibus accuratè perpenſis, de re propoſita pronuntiandum erit.

MORBO-

MORBORVM SIMPTOMATVMQVE *ſæuities, quanta iam fuerit, futura vè maior, aut minor, aduerſus virium robur, æſtimanda ſit, ex proprijs notis indicatur.*

CAPVT DECIMVM.

ITAQVE poſt naturæ, & artis vim, ſeu potentiam, quam hoc ipſo morbi, & naturæ ſingulari certamine dum futurus ægrotantis exitus præueſtigatur, primo loco expendere neceſſariũ fuit; Sequitur ſæuitiei morbi magnitudo, quam etiam, occaſione eadem, vt aliàs diximus, ſecundo loco nouiſſe operę pretium eſt. Sęuities vtique morbi, ea illius malitia eſt, qua ſanitati inſidiatur, qua inquam nos à recta conſtitutione decedentes tendimus ad interitum; Siquidem vt ſanitas, ea indita nobis conſtitutio eſt, qua inter viuos incolumem vitam degimus, atque illud, quo, ex propria ſeruata conſtitutione, id ipſum conſequimur, fauor, inquam beneficiumque, ſanitas eſt; Ita cum morbus, præternaturalis ſit adueniens conſtitutio, qua nos à recto decedentes morimur, dubio procul id quo iam labefactamur, morbi, ſimptomatiſque malitia, vel ſæuities cenſebitur; Qualis ergo hæc in morbis habenda ſit, primum explicandum eſt nobis, vt poſtmodum quanta illa æſtimanda ſit, dilucidum fiat. Itaque morbus, cum ſimptomate, ex quacunque cauſa ducat originem, aut appreſſione, aut diſſolutione, vitæ noſtræ inſidiatur, pernitioſuſque nobis ægrotantibus eſt; quippè quod vita tandiu conſiſtat, quandiu vires naturæ eam conſeruantes proprium munus obeunt, & conſeruationi ipſi ſufficienter incumbunt; atqui dum illæ oppreſſæ fuerint, vel diſſolutæ, vt neceſſario à conſueto illæ munere auerruntur, ita certum eſt tunc vitam in nobis periclitari; Ex morbis autem cum periclitemur, ideo ne oppreſſione, vel diſſolutione ex his id nobis eueniat, & qua ratione eueniat, colligendum eſt; & ſanè ex cauſis, & effectis, vnde nos de re latenti. & ſenſus effugiẽti coniecturam facere ſemper decet. Effectus quidem tam oppreſſionis, quam diſſolutionis, langor eſt, ſeu virium naturæ debilitas, ſed vndecunque ille proueniat, nullam vnquam differentiam habet, per quam proprij principij diſſimilitudo pateat; quin immo ſimilis vbique eſt, ſolumque differt, ſecundum magis, atque minus; & quamquam oppreſſio repentim lædit, reſolutio autem ſenſim, attamen ob multiplicem vtriusvis complicationem, differentia hæc minimè conſtans eſt; Adeo quod non niſi ex prægreſſis, & præſentibus cauſis langorem ipſum procreantibus, an oppreſſione, vel diſſolutione langor fiat, colligi poteſt. Siue autem cauſas haſce in vnam morbi ſpeciem, ſiue certam ſimptomatis annexi vim, ſiue demum in alterutrum cauſas, tam coniunctas, quam antecedentes referas (placeat item addere procatarticas) neque enim alia oppreſſionis, diſſolutionis vè virium cauſa in ægris eſſe poteſt, vnde langor ducat originem; profectò examine earum præuio, quid ex illis coniectandum ſit, non eſt difficile aſſequi; ſi prius tamen quid per vires oppreſſas, aut diſſolutas cenſendum ſit, ſatis intelligamus. Porrò oppreſſæ vires longè diſtant

ſtant à diſſolutis, atque modo omnino diſtincto vitæ ruinam intendunt; Namque diſſolutæ vires ſunt, quæ vndecunque iam ita deficientes ſunt, & quo ad earum ſubſtantiam (vt ita dixerim) diminutæ, vt muneri etiam proprio minime reſpondeant, immo deinceps perpetuò minus, ac minus illi ſatisfaciant; Oppreſſæ verò vires ſunt quæ quamquam adhuc quodammodo integræ ſunt, ſepultæ tamen, & ab externo impeditæ, opus ſuum ita diminutè peragunt, vt iam deficientes appareant; Idque cum ita ſe habeat, vtique ipſa morbi ſpecies, quam langoris cauſam primam eſſe ſuppoſuimus, tum vires opprimit, tum diſſipat, ſubindeque modo vario langoris cauſa eſt; Etenim morbus, vel ſimilaris, vel diſſimilaris eſt, ſi ſimilaris, ſanè naturalis temperamenti turbatione vim naturæ infert euidentem, præſertim verò ſi caliditas nimia, ſiccitaſque ſit, quoniam cum hæc ſolidas etiam corporis partes facilè colliquet, facilius ſine dubio tenuem ſpirituum ſubſtantiam digeret, & abſumet, ſubindeque vitæ per diſſolutionem inſidiabitur; per oppreſſionem autem potius, quando nimia refrigeratio, humectatioque afficiat. etenim frigoris illius fortaſſe maioris tanta potentia eſt, vt calorem innatum, ſpiritibus impræſſum aliquando reprimat, ſupprimatque, in manifeſtam vitæ pernitiem, cui ſi vltro annectatur humiditas, forſam id oppreſſione maiori ſuccedet. At æquidem magis ac magis vtrunque, diſſolutionē inquam, & oppreſſionem præſtabit qualitas à toto temperamēto vitæ inimica, quæ morbo acceſſerit. Verum ſi morbus diſſimilaris exiſtat, quamquam per ſe vitæ minimè inſidiatur, quod nec forma, nec numerus, nec ſitus, nec demum magnitudo deprauata vitæ ipſi per ſe plurimum officiat, ſed compoſitionis duntaxat fabricam euidenter turbet, vt manifeſtum eſt, cum qua adhuc vita ſtare poteſt; Nihilominus ex accidenti vitæ adeo plerunque eſt infenſus, quod nihil magis; Siquidem morbum diſſimilarem, actio læſa, quam aliàs ſimptoma diximus, potiſſimum ſequitur, actio autem læſa quantum ad vitæ conſeruationem faciat, neminem latet; Actio enim triplex eſt, vitalis naturalis, & animalis; at quæ vitalis dicitur, quatenus ſaltem vni ventilationi caloris innati, ſiue per liberum pororum vniuerſi tranſitum, ſiue per ſpiritalium vocatarum partium, & inſuper cordis. ac arteriarum ſiſtolem, diaſtolemque, perpetuo vacat, ſanè tantopere ad vitam eſt neceſſaria, vt ſi morbus illam, vel obſtructione pororū, vel partium ſpiritualium impedimento, quomodolibet intercipiat, oppreſſis, ſuffocatiſque ſpiritibus, ſubindeque calore quaſi iugulato, impoſſibile ſit vitam conſeruari. Actio dein naturalis ſequitur, quæ vni reperationi, ſeu inſtaurationi incumbens, quadantenus licet afflicta, adhuc nihilominus viuere hominem permittat, difficilè tamen eſt, ea vltro deficiente, longius vitam ſtare, quando per ipſam, & ſolidarum partium ſubſtantia, & quæ item ſpirituum eſt, perpetuo reparetur, ſine qua reparatione, diſſolutio euidens præſto eſt; Inſuper cum hac eadem naturali actione, excrementa quæque pabuli confecti foras expellantur, vtique dum id perperam fiat, facilè obſtructionibus, ac impedimentis plurimis, vnde oppreſſio virium multifariam euenit, occaſio adeſt, veluti quoque ſi interpellendum ea vehementior, quam feratur à viribus, agat, ſemper diſſolutionem ſpirituum, ac denique virium inſerat. Vltimum locum obtinent actiones animales, quæ per ſe licet parum conſeruationi virium, & vitæ deſeruiant, vnus attamen motus adeo cōmunis eſt, tū naturalibus, tum vitalibus, quod eius defectu, vix vitales ipſæ, nedum naturales integrè adminiſtrentur, quare & vires inde cum ſpiritibus,

atque

atque calore opprimi neceſſe ſit ; Sed vniuerſim tam motus, quã ſenſus,
& mentis opera, quę ad animales actiones ſpectant, vt congruo exerci-
tio, eoque moderato, ſummopere ſpiritus, & calorem fouent, ad pro-
priamque inſtaurationem excitant, pro viriũ robore; ita ſanè dum vehe-
mentius, & longius vigent, vt corpus vniuersũ palam abſumitur, diſtra-
ctis ſcilicet ſpiritibus ab opere inſtaurationis opportuno, & neceſſario, ita
ſpiritus, cum innato calore, manifeſta agitatione, vaneſcunt, & diſſol-
uuntur magno viriũ diſpendio; Contra verò deficientibus, & per otiũ
ceſſantibus illis, ſpiritus cum calido opprimuntur, & vnà cũ viribus palã
marceſcunt. Tales perfectò à morbo, & ſimptomatibus, vitæ, & viri-
bus parantur inſidiæ, at præterea ex cauſis vtrorũque non minus eadẽ vita
cum viribus periclitatur; Sunt autẽ cauſæ tum procatarticæ, tum ante-
cedentes, tum coniunctæ, quæ proculdubio omnes dũ vel ad morbũ, vel
ſimptoma faciendum, fouendũ vè concurrunt, aut opprimendo, aut diſ-
ſoluendo ſemper agunt, & officiunt; Et quidẽ procatarticæ, quæ ſiue
ad ea, quæ nos ambiunt, ſiue ad ea, quę aſſumuntur, ſiue demũ ad ea quę
in nobis à nobiſmet fiunt, pertineant; vtique dum in nos prætermodum
agunt, perindeque morbis occaſionẽ præbent, modo opprimendo, mo-
do diſſoluendo officiunr; idque apertè conſtat, ſi quæ alibi de modo agẽ-
di earum enarrata ſunt ſingulariter examinentur. Verum præterea cum
humores, qui morborũ, vt plurimũ, antecedentes, & coniunctæ cauſæ
ſunt, ſua tum qualitate, tum quantitate peccantes, morbos iam facere,
fouereque planum fuerit, ſimilares inquã, & diſſimilares, ſanè vel op-
preſſionis, vel diſſolutionis via, vitæ, & viribus obſunt, poſteaquã præ-
ternaturali qualitate qua donati ſunt, tum ſæpè ſubſtantiã totius, & illam
ſpirituum magis, abſumunt, tũ calorẽ innatum reprimunt, penèque iu-
gulant, at quantitate præternaturali ſua, quidquid roboris ineſt corpori,
illud obruunt, occupantque, & inſitum illi calorẽ penè ſtrangulant; mul-
tifariã tamen pro modo, quo præter naturam ſe habentes, morbos ipſos
pariunt, atque conſeruant. Nouiſſe igitur, & morbi ſpeciẽ, & ſimpto-
matum vim, & cauſarum denique omniũ vtrunque cauſandi modum, vt
qualis ſæuities morbi vitæ aduerſa ſit, palam eluceat; Et equidẽ ex eiſdẽ
fontibus ſemper, vnde morbũ, ſimptomata, & cauſas præcognoſcere iam
aliàs conceſſum eſſe docuimus; Namque inde nõ tantũ ſæuities ipſa cõ-
ſpicua eſt, verum præterea etiam modus, quo illa vrgeat, & vitæ inſidie-
tur, euidens fit. Sed vt quantitas, hoc eſt magnitudo, vel paruitas ſæui-
tiei conſtet, profecto hæc eadẽ ſingula, quæ ſęuitiei cauſę ſunt, preſſius
recognoſcenda, earũque vis, & aduerſus naturam potentia, accuratius
æſtimanda: Interea licet effectus eorundẽ omnium, qui langor ipſe eſt,
qui inquã eſt ægrotantiũ ſenſibus perſpicuus, non omnino negligendus;
vt potè qui ſaltẽ à poſteriori, vt dicitur, ſęuitiei magnitudinẽ, tum mor-
borum, tum ſimptomatũ, atque cauſarum, ſatis eſpreſsè indicat. Ergo
ab ipſis ſęuitiei cauſis ſumpto principio, ſupponendũ primo, eas ex ſe ea-
tenus vitæ maiorẽ, minorem vè inferre vim, quatenus magis, aut minus,
à mediocri decedunt; Etenim conſtat magnũ, & paruũ dici comparatio-
ne ad mediocre, atque in vnoquoque genere, in quo exceſſus, & defe-
ctus annotatur, media quędam ſtatuuntur, ad quæ exceſſus, & defectum
nos referentes, ſimpliciter tale iudicamus eſſe. quod in ſuo genere, parũ,
vel multũ excedit; Maiora ex his igitur erunt ea, quæ, inter reliqua, na-
turam propriã maximè retinebunt, & in ſuo genere præpolentes fuerint,
contra verò, minora; Vnde quia ſpecies, vel morbi eſſentia, eſt ipſe met

noſtrę

noſtrę conſtitutionis à ſtatu naturali receſſus; hic ideo receſſus à mediocri ſimpliciter in ſuo genere per exceſſum valdè diſtans, morbus magnus eſt, paruus autem, ſi parum receſſerit. Ad hæc ſit ſimptoma actio læſa, læſionis ſanè exceſſus à mediocri, ſimptoma reddit maius. Præterea cauſa morbi, atque ſimptomatis, quæ poſt procatarticas cauſas, peccans, vt plurimũ, humor eſt, qui ſcilicet qualitate, & quantitate peccat, quanto maius tale peccatũ habet, tanto cauſa maior, deterior vè erit: Sed mediocritas vndè hic exceſſus habetur, modo maior, modo minor eatenus ſupponenda ſemper, quatenus illa ad ſtatum naturalem ægrotantis comparata, ab eo non niſi per terminos mediocritatis diſtet; Status ergo per ſanitatẽ, & qui naturalis eſt ægri, ille principio recognoſcendus eſt, vt per cõparationem ad illum, tum mediocritas deceſſus ab ipſo, tum magnitudo, vel paruitas eiuſdem, reſpectu ad mediocritatẽ iam ante ſuppoſitam, recognoſcatur. Itaque ſæuitiei in morbis magnitudinẽ, ex cauſarum eiuſdẽ potentia, ſeu vi nos indagaturi, non tantum modũ cauſandi earum recognoſcemus, & morẽ, ſeu ritum, propriam cauſarũ earundeẽ differentiã conſequentẽ, ſed præterea inter cauſandũ vim illarum, ſeu excellentiam, vel depræſſionem meditabimur; Excellentia autem hæc, vt dictũ eſt, ad diſſolutionẽ, & oppreſſionẽ deducitur, & vt ex cauſis per diſſolutionẽ operantibus, langor ſemper maior, ita vitæ grauiores parantur inſidiæ; at ex oppreſſione, vt minor langor prouenit, ita inſidię, cæteris paribus, minores præſto ſunt; Langoris euidentiam habes ex operũ ſecũdum naturã in nobis factorum diminutione, perturbatione vè; Verum ne ex oppreſſione, diſſolutione vè contingat, atque ideo tantæ parentur vitæ inſidiæ, ex eo vtique colligitur, quod ſi nulla ex cauſis anteceſſerit, nec adhuc vlla præſens ſit, quæ diripere, diſſoluereque virium ſubſtantiã apta nata ſit, tunc ex oppreſſione langorem eſſe cenſendum eſt, & magis ſi alicuius opprimentis cauſæ inditia adeſſe videantur; Si verò contra, diſſoluentem, diſſipantemque præſtò fuiſſe cauſam, iam certi facti ſimus, omnino tunc langorem, non ex oppreſſione, ſed ex diſſolutione eſſe ſtatuendum eſt; Quod facile confirmatur, ſi diſſoluentibus ipſis omnino ceſſantibus, adhuc langor ipſe ſtet; ſublatis autẽ opprimẽtibus, protinus langor eſſe diſinat, viresque mox recreentur, & ad ſe ſe redeant; niſi tamen oppreſſionis diuturnitate illæ ita iam proſtratę ſint, vt diſſolutis merito æquiparandæ ſint, vel quia etiam opprimenti cauſæ diſſoluens principium connectatur, vt ſubinde langor iam nimius nequeat emendari. Cæterum oppreſſio, vel diſſolutio quanta ſit, aut quam valida cenſeri debeat vt ſæuitiei ipſius magnitudo clarius eluceat, adhuc præueſtigandũ; Si equidem omne iuditium in ſenſu poſitum fuerit, omnes magnitudinis differentiæ ſub ſenſum cadent, & conſpicua tunc erit ipſa magnitudo vel paruitas oppreſſionis, vel diſſolutionis; Si verò hæc ſenſum lateant, ex ſignis tunc ea perquirere neceſſarium eſt, & porrò ex cauſis, & effectis. Cauſa magnitudinis, vel paruitatis, oppreſſionis, vel diſſolutionis; eſt, vt diximus, aut morbus, aut ſimptoma, aut vtriuſque cauſa; Quare per morbum factã oppræſſionẽ, diſſolutionem vè, magnitudo, vel paruitas receſſus morbi eiuſdem à ſtatu ęgri naturali, docebit; atque ſi ex ſola morbi ſpecie, eiuſque more præcognito nondum ſufficienter pateat, patebit ſaltem per morbi eiuſdem met iam afficientis magnos, aut paruos effectus, quales vtique, poſt alios, ſunt ſimptomata morbũ conſequentia, quãdo tamen illa ſequantur morbum, non cauſam, vt ſæpe euenit. Magnitudo autem, vel paruitas oppreſſionis, vel diſſolutionis, ex ſimptomatibus

factæ,

facta, niſi ex ipſorummet ſimptomatum, hoc eſt læſarum actionum, dignitate, ſiue neceſſitate pateat, patebit ſaltem ex receſſu læſionis earum ab eo quod ſecundum naturã erat. Sed magnitudo oppreſſionis, diſſolutioniſque, à cauſis morbi, aut ſimptomatis effectæ, à magnitudine cauſarum earundẽ conſtabit; Quoniam verò cauſæ hæ, poſt procatarticas, quarum vis, atque impetus eſt conſpicuus, ferè ſemper, vt ſuppoſuimus, humores ſunt, qui tum qualitate, tum quantitate peccantes officiunt, ideo quanto magis hi, vel à quantitatis, vel qualitatis mediocritate deceſſerint, omnino tanti æſtimabuntur. Vnde quod ad morbum ſpectat, ille ſua natura magnus, aut paruus eſt, vel qui immediatè, & per ſe, magis, aut minus vitæ inſidiatur, veluti ſi partẽ magis, minus vè vitę inſeruientem infeſtet; & calorẽ item innatum, parum ſeu multum inficiat; aut aliàs ipſi vitę ruinam moliatur; vel ſi inſuper magis, minus vè praui moris fuerit, ex quo aut non admittat artis auxilia, aut ita per vim lædat, vt difficile natura illi ſat ſit; aut ſi demum ad veneni inſtar, latenter, aliàs vè præter regulam, iugulet omnẽ vim, vt à nullo vinci, ſuperari vè poſſit. Sed quod ad ſimptomata pertinet, quę actiones à recto decedentes ſunt, quarum deceſſus quadruplex eſt, ablatus, diminutus, auctus, & deprauatus, ſanè quamuis deterior ſit ablatus diminuto, & aucto, corruptus tamen, vt plurimũ, poſt ablatũ collocatur, eo quia corruptus à recto prorſus ſit alienus, diminutus verò, & auctus non itẽ; Verum cum præter receſſum dignitas etiam actionis magnũ quid eſt, ea idcirco ex neceſſitate perpendenda eſt, ne inquam eouſque prꝗſtans ſit, quouſque eadem fuerit ad vitam conſeruandam neceſſaria. Inter alias autem principẽ locum obtinet ſpirituum ventilatio, quæ pectoris, pulmonum, & arteriarum ſiſtole ac diaſtole, in vniuerſo corpore fit, per quã inſitus calor, vitæ noſtrę ſalus, vbique corporis refocillatur; Demum ſequitur ipſa nutritio, quę ventriculi, hepatis, ſingularumque partium vniuerſi opere, celebratur, vt ſubinde aſſimilatio ſubſequatur. Tertio & vltimo loco, eſt ſenſuum, motus, & mentis exercitatio, quę actio noſtri corporis perfectiua eſt, cuius vſus ad vitam iam alibi fuit expreſſus. Sequuntur cauſę, humores nempe, ſua qualitate, & quantitate peccantes, quos ſanè primũ propriam, eamque ſanam mediocritatẽ, per gradus modo maiores, modo minores prętergreſſos, & magis ideo, aut minus officere, quando ſenſum lateat, oportet mente, ex cauſis, & effectis inquirere; ex cauſis puta quibus vis, vnde, vt alibi demonſtrauimus, humores ducunt originem; quippè quanto illę maiores, potentioreſque pręceſſerint, tanto plures, copioſioreſque producuntur, & congeruntur humores, in ægri perniciẽ; Ex effectis verò, humores quantitate peccantes conſequentibus, quoniã quanto ipſi validiores, & plures, ac diuturniores, extiterint, tanto maiorem copiam humoris, à quo fiunt, adeſſe oſtendunt, quanto verò remiſſiores, pauciores, & breuiores, tanto minorem; Ad hæc qualitatis mediocritatem humores excedunt, cum illi iam propriam ſymmetriam amiſſerint, & corpori cui, inſunt moleſti fuerint; excedunt autem magis, atque minus, per gradus; ſed exceſſus iſte quoniam ſenſus latet, ex cauſis ideo, & effectis indagandus eſt; ex cauſis inquam illis, vnde etiam quantitatis error habetur; quippe cauſa vnde maior, minor vè quantitas pendet, melioris etiam, vel deteeioris qualitatis origo eſt, Si de qualitatibus præſertim primis, illiſque directè, ac per ſe genitis, ſermo ſit; quoniam earum quæ ſecundæ ſunt, vel indirectam, accidentalemque originem habere poſſunt, exceſſus cauſa aliunde petenda eſt; petenda inquam

ex ijs omnibus diligenter obſeruatis, vnde ægrotanti qualitas ipſa quomodolibet impertitur; Ex effectis autem, ſi illi aut magis, aur minus præter naturam fuerint; aut adhuc ſi prauo more donati, ſçuiores referant imp tus, quam pro ratione conditionis humoris conueniat, aut contra, ſi mos in eis conſuetus obſeruetur. Etenim ex his ſæuitiei morbi magnitudo quanta ſit, medico curanti fit conſpicua.

EX NATVRAE, ET ARTIS ROBORE, *hactenus expreſſo, cum morbi, ſimptomatumque ſæuitie, iam demonſtrata, comparato, qua methodo, præſagium de futuro ægri exitu, prudenti iuditio, fiat, per compendium exprimitur.*

CAPVT VNDECIMVM.

EX his autem, quæ hactenus de natuæ viribus, & artis medicæ inter curandum poteſtate, deque morbi, ſimptomatum, atque cauſarum ſæuitie recognoſcenda, traddita ſunt, dum ſingula iuxta præcepta iam etiam commemorata, inuicem comparentur; & quatenus in ipſo ſanationis certamine, proprias vires expromant, ad trutinam expendantur, non obſcura omnium, quæ in morbis præſagienda, ab initio propoſita fuere, oritur, coniectura. Propoſitũ autem eſt, an æger qui curãdus eſt, ſit aliquando ſanaturus, aut ex morbo, quo præmitur ſit tãdẽ moriturus· an perpetuo ægrotaturus; Quod ſi ſanaturus vel moriturus, an ne id breui interuallo tẽporis expectandũ, an potius longo; Inſuper ſi perpetuo ægrotaturus, vel in eodẽ ille ſtatu, permanſurus eſt, vel viciſſim permutaturus, aut potius inde irreparabili detrimento accepto, ad mortem aliundè illatam ſit denique peruenturus; Omnibus quippè ægrotantibus, vnus, vel alter exitus, ex his neceſſario immineat, ſanèque ille ex iam præmiſſis, optimèque præcognitis, euidẽter ſatis pateat. Et quamquam, vt ſuppoſitum eſt, ſæpè per quorundam morborum initia, longa experientia ſit compertum, tempeſtatibus quibuſdam anni, certos, certorumque locorum ægros, ex more quodã proprio, vel mori, vel item ſeruari ſolitos eſſe, vt ſanè inde, de exitu ægrotantis bono, aut malo futuro, ſententiam à vero non alienam proferre, quanto citius conceſſum videatur; Attamen re vera, vt plurimum, non niſi morbi, & ægri progreſſu, à primordijs, ad ipſum vſque iam vrgentẽ ſtatum, obſeruato, quo dimicantem, reſiſtentemque naturam, cum artis auxilijs, ex vna, atqui ex altera, morbum cum ſimptomatibus, & cauſis, inſultantem inſidiantem vè & inſtitutum horum ad inuicem bellum ſufficienter contemplari conceſſum eſt, ne æger ipſe moriturus, vel ſeruaturus, aut alium quemuis finem habiturus fuerit, tuto & certò conijcitur. Siquidem vt ſignorum ſignificantium conſtantia habeatur, qua cõſtanter futurus ægri exitus conijciatur, neceſſe eſt couſque hæc accuratè perpendiſſe; quoniam quæ per initia ſæpe ſigna lætalia, ſeu peſſima ſe offerunt,

offerunt, eadem poſtea permutata, ſalubria, & optima decernuntur; rurſum, quæ tum primum ſalubria, deinceps euidenter inſalubria ſunt, atque ita certa quadam viciſſitudine ipſo plerunque morbi progreſſu fit, vt ob ſignorum inconſtantiam, ſignificatio itidem varia, & inconſtans habeatur; Quare primum, (vt quod hucuſque longius dicta, dilucidioris cognitionis ergo, per compendium repetamus) morbi, vel ægrotantis tempus ad ſignificandum opportunum nouiſſe illum oportet, qui de exitu tutò eſt, iudicaturus; tempus inquam quo ſignorum conſtantia certa ſit; Et quoniam tempus hoc eſt morbi ſtatus, vtique, ne decipiatur, attendat an ne tunc pridem ſtatus ipſe verus immineat; nam raro eo ita ordine morborum tempora ſibi inuicem ſuccedunt, vt palam certò talia cōfiteri ſemper liceat, vt porrò cum morbus inceperit, paulatim æger affiiciatur, dein vero ſenſim, vel aliàs, ſeruato ordine, auctus, eouſque deterius habeat, vſque quo tandem ſtatus præſto ſit, quo extremi labores poſſibiles adeſſe conſueuere; Et ſanè eam ob cauſam, quod plerunque non parum peccantis humoris morbum facientis, tum forſam ſpontanea, tum potius arte tentata euacuatione, ſubtrahatur, vt ſubinde antequam ſtatus morbi, ſecundum coctionem futurus, accedat, tam morbus ipſe, quam ſimptomata morbum ſequentia miriora ſint reddita, vel adhuc etiā, quoniā morbus, ob cauſæ translationem, ab vna ſede in aliam, ſic permutetur, quod nouam aliquando naturam, & faciem adipiſcatur. Quamobrem vt ſtatus, vel quod illi tempus propè fuerit, proprius innoteſcat, attendendi omnino quidem labores morbi maiores, extremique ſunt, verum qui reſpectiuè ad cauſam iam diminutam, aut alias permutatam, illius ſunt proprij. qui inquam cauſa aliàs ſe habenti, alij item, atque alij facti ſint, attamen quatenus tales perpetuò aucti cum fuerint, deteriores euaſere. Atque ita ſtatu ægrotantis iam cognito, quid de exitu præſagiendum ſit, certius conijcitur. Etenim quando ex ſignorum conſtātia, naturam per ſe, vel arte adiutam, morbum longè ſuperare pateat, ſalubris exitus futurus expectabitur; Quando autem morbus, vel per ſe, vel ex cauſa, vel ex ſimptomate, longè ſupra naturam ſtet, tunc contra letalis exitus certò adueniet; Sed omnibus vtrinque paribus ſe habentibus, in eodem ſtatu ægrum preſeruaturum forè cenſendum, vſque quo alterum ipſorum vincat, aut quadantenus ſuccumbat alteri, quoniam tunc ægri ſtatus, modo in melius, modo in deterius eſt permutaturus. Sed naturæ potentiam, aut vim, ex duobus potiſſimum mēti elucere dictum eſt, ex cauſis videlicet, & effectis; ex illis quidem confuſè, at ex his diſtinctè ſatis; Nam cauſas, parentes diximus, patriam, & educationem, eaſque ſecundum ætatem, quod ex his naturalis cuiuſque conſtitutio oriatur. Effectus verò naturæ ſunt opera, vitalia, naturalia, & animalia, quæ robur ipſum imprimis oſtendunt; Quare ægri natura vt viribus ab origine debilis, & deficiens eſt; Primum ſi parentes habuerit debiles, & delicatos, vel parum ſanos; Secundo ſi propriæ originis locus robori parum fauerit; Et tertio ſi educatio inordinata, & omniquaque ſanitati incongrua præceſſerit; Ita hoc eodē ordine, ex cauſis, de eius poteſtate in morbum, coniectandum erit, magis tamen, atque minus audacter, pro ætatis ſtatu. Ex effectis vero ordine alio, Nam primum debilitas vrget, deficientibus operibus vitæ, & conſeruationi caloris innati coſecratis; Secūdo ſi manca ſint opera, quibus natura, quæ ſibi ſunt propria, perpetuo inſtaurat; Et quæ ſibi ſunt contraria generoſæ impugnat; Et denique tertio, quod omnium minus eſt, natura viribus deficit, vbi opera anima-

Digitized by Google

lia, quæ perfectiua dicuntur, iam diminui conſtat, & porrò ſic gradatim de viribus naturæ indicabitur. Sed omnibus his ad vnam duntaxat naturam ſpectantibus, ſuperaddendum quoque eſt artis auxilium, quod per ipſum ſæpiſſimè natura, quamquam oppreſſa commodè tamen reſurgat, & ab omni langore liberetur; Si illud ergò appoſitum, ideo proficuum tum fuerit, tum quoque futurum ſit, vt inquam tale ſit, quale indicatur, ſit quoque tantum, quantum expetitur; & opportuno inſuper tempore adminiſtretur, quia profectò inſtrumentis prę ſto ſit tempeſtiuè idoneis, & ad aſſequendum finem multum accommodatis, iam vtique tunc virium robur in morbum, & reliqua præter naturam omnia maius æſtimabitur; Contra, ſi nec auxilium tale, nec tantum, nec opportuno tempore conceſſum, vel quod inſtrumentum illi accommodatum nullum, ſeu mancum, aut perperam adminiſtratum ſit, proculdubio iudicabitur. Sequitur ſæuitiei morbi examen, vt illius quoque pateat magnitudo, quæ robori virium comparata, iuditium futuri exitus ægrotantis rationabile reddat; Porrò autem illa, tum ex ipſa morbi ſpecie, tum ex illi annexo ſimptomate, tum demum ex vtriuſque cauſa prouenit, quippè ex eorũ vno, aut altero, virium labefectatio præſto ſit, vnde plerunque mors. Seiunctim verò ſingula hæc expendenda ſunt, cum nunquam ordine certo, ex illis vnum, aut alterum vitæ moliatur inſidias; Atque ſingulorum imprimis labefactandi modus ante oculos habendus eſt, qui vel diſſoluens, vel opprimens eſt; Diſſolutio enim penè ſemper deterior, oppreſſione eſt, niſi oppreſſioni ex accidenti ſuperueniat diſſolutio. Morbus etenim, tã ſimilaris, quam diſſimilaris, opprimit plerunque vires, eaſque plerunque diſſoluit, quod idem ſimptoma facit, ſed alia, atque omnino via alia; ſicuti vtriuſuis cauſa, non vno, ſed multiplici modo idem peragit, vt iam ſupra abunde docuimus. Et hæc vera cum ſint, gradatim merito colligēda, comparandaque ſunt omnia, quæ rem ſignificant, eiuſque magnitudinem arguunt; quandoquidem ſępè primo vrgeat morbus, dein ſimptoma, & poſtmodum cauſa; plerunque autem ordine præpoſtero res ipſa ſe habeat, vel item non rarò intercepto ordine ea negotium faceſſat. Sed vtcunque, ex his ægrotantis exitus futurus ſufficienter conijcitur; Verũ quando, an ne poſt breue, aut longum temporis interuallum, ille ſit expectandus deinceps examinandum. Expectati equidem exitus ęgrotantis tarditas, celeritas vè, ex eiſdem prorſus principijs oritur, ex quibus exitus ipſe cauſaturus eſt, quippè effectus ſequatur cauſam, atque ille tardus, vel celer appareat. quoniam cauſæ, principia vè eius ad productionem prompta, vel impedita exiſtunt; Eſt autem ęgri exitus ſuorum principiorum effectus, eorum igitur promptitudinem, vel tardiratem ipſe ſequetur. Diximus iam ex natura ac arte reſiſtenti, & morbo, ſimptomate, ac cauſa inſidianti, per certam quaſi monomachiam, alium atque aliũ inſtare ægris exitum; Quamobrem ſi morbus, cum ſimptomate, & cauſa, valenter, vehementerque, & promptè inſidiabitur; at ſi natura, vnà cum arte, contra ad reſiſtendum debilis, ignaua, & lenta ſit, exitialis proculdubio exitus breui tempore expectandus, & breui item tempore, qui ſalutaris eſt, ſi natura cum arte potenter, generosè, ac promptè reſiſtat; Sed ſi morbo, cum annexis, placidè inſidianti; leniter etiam ipſa natura, cum arte, reſiſtat; aut item ſi inuicem hæc, & ſi valenter, attamen ex æquo, contendant, longiori tunc temporis ſpatio, qualis qualis futurus ſit ægri exitus ſuccedet. Cæterum promptitudo hæc, aut ſegnities, vt tum in reſiſtendo, tum in inſiſtendo pateat, altius de ea, ex effe-

ctis,

Digitized by Google

ctis, & cauſis proprijs perquirendum eſt; Ex effectis porrò promptitudo hæc, aut ſegnities innoteſcit, dum quæ inſidiæ ab his, quæ præternaturam ſunt, moliuntur, eas celeri, aut tardo temporeoris tractu, ijs quæ ſecundum naturam ſunt impertiri conſtat, quoniam dum principium, augmentum & tandem ſtatum breui tempore attingunt, ea prompta cenſenda ſunt, tarda verò, & lenta, quæ longo tempore eo perueniunt. Inſuper ſi quæ ad reſiſtendum ægro ſecundum naturam inſunt, & quæ adhuc debellandis præternaturalibus omnibus deſiderantur, generosè, & conſpicuè reſiſtant, vt palā præualentibus ipſis, præternaturalia quæque breui ſuccumbant, vt perindè præternaturalia eadem vigere potius æſtimentur, apertè ſatis ex effectis breuitas, aut longitudo exitus conijcitur. Ex cauſis verò, vt ſi quæ inprimis afficiunt, qualia ſunt morbus, ſimptoma, & vtriuſuis efficiens cauſa, eadem in agendo concitatiora extiterint; ſemper enim talia celeritatem inducunt; Concitatiora autem agnoſces, vel ex ſpecie, & more, vel ex magnitudine, & excellentia; Vt dein ſegniora intelliges ex ijſdem contrario modo ſe habentibus, quæ ſemper tardò incedunt. Ex cauſis rurſum, vt ſi quę ad reſiſtendum ſecundum naturam inſunt, ea palam morboſis agentibus ſymbola, vel diſſymbola fuerint, hoc eſt multum, vel parum diuerſa; Et item quæ ſecundum artem ad curationem deſiderantur, ea magis, aut minus commoda eſſe potuerint; Proculdubio enim omnibus ex his, celeritas maior, minor vè præſto eſt. In hoc autem breuitatis, aut longitudinis temporis iuditio, difficile eſt certum dierum numerum velle præſcribere; quamquam ſeptenarij dies ſemper fatales, & in omni opere medico ſemper admirabiles, ad hoc plurimum facere clarum eſt; illis quoniam morborum durationem metiri nobis ferè perpetuo conceſſum videatur; ab eo præſertim die ſumpto principio, quo æger ipſe præter naturam ita ſe habet, vt actiones euidenter afflictas ex morbo habere iam æſtimetur. Quare morbis primum diſtributis, in vehementes, quos accutos appellamus, & lentos, quos dicimus cronicos. atque demum in alios inter hos medios, quos ex decidētia, accutos, quaſi, ob tenuiores humores diſſipatos, craſſosque relictos, degeneres appellare reſolemus; aut item alios, qui ob eorum placiditatem benigni, & ſua natura ſalubres eſſe conſueuere; Vtique deinceps, & meritò, accutos ipſos decima quarta die, hoc eſt ſecundo ſeptenario deſinere, vt plurimum obſeruamus; & ſi qui ex his accutiores fuerint, longè celeriorem habere terminum, circa primum videlicet ſeptenarium, conſtet; præterea autem cronicos, ſeu longos, à vigeſſima prima die, vltra, hoc eſt poſt tertium ſeptenarium; Sed inter hos, medios, à decima quarta die, ad vigeſſimam primam vſque, vel paulo longius, protrahi obſeruamus; quamquam qui placidi, atque benigni ſunt morbi, medijque ideo verius cenſentur, hi non ita certum, vt qui grauiores ſunt, dierum numerum, ſuæ durationis habent. Verum poſt næc omnia, vt accutorum morborum, vel ob vnam eorum vehementiam, cui facilè incōſtantia annexa eſt, non admodum tutum, de exitu, iuditium eſt; atque adhuc cronicorum, diuturnorumque morborum, ob ea que ægrotanti paſſim, longo progreſſu, euenire ſæpe conſueuere, raro certum medicis conceſſum præſagium eſt; Ita profectò de longitune, ſeu breuitate exitus eorundem, nunquam tempus præciſè diffinitum habere licet, præſertim quod ea, quæ in vtrouis morborum extremorum genere imminet, (addas etiam medios) multa ſint, per quæ exitus eorum facilè retardatur, vel ſolicitatur. Sed non propterea ab omni præſagio in morbis abſtinere

oportet

oportet; Solum non niſi præuio eorum omnium, quæ ad rationabile iuditium deſiderantur, diligenti examine, de ægrotantis exitu iuditium faciendum. Iam autem præſagiendorum morborum ratio vniuerſim hucuſque traddita ſit, ad reliqua modo, quæ eorundem curationem continent, explicanda, deſcendamus.

DE

Digitized by Google

DE ARTIFICIOSA,

Methodicaque cuiuſque morbi, ſeu præternaturalis affectus generica curatione.

PARS TERTIA:

DVOS MEDICO CVRANTI ANTE OCVLOS habendos eſſe ſcopos, conſeruationem inquam virium naturæ, & morbi, ſimptomatiſque, ac cauſarum vtriuſque deſtructionem, præmiſſo, qualibus deinde vniuerſim operibus, ac inſtrumenmentis, hi ſcopi attingantur, inquiritur.

CAPVT PRIMVM.

LAPSAM, & morbis afflictam noſtri corporis valetudinem in integrum reſtituere, vt vita ſalua, & incolumis, quam fieri poteſt, longiſſimè perducatur, vnicum eſt, illudque potiſſimum, in ægro corpore, naturæ conſilium. Verum enim verò cum vel ipſiuſmet naturæ multipliciter languentis impedimento, ſæpe, ſæpius deſideratum opus ſponte aggredi, aut aggreſſum abſolui minimè poſſe contingat: Medica ars merito hinc ſummam adepta neceſſitatem eſt, ea quippè naturæ imitatrix exiſtens, inter profligandos morbos, illi potenter adeo faueat, quod interim, pro poſſe nihil ſanitati profuturum derelinquat, quin imo ita proprium opus, & ſtudium dirigat, abſoluatque, vt ſæpe manca, inchoataque naturæ munera vbique expleat, atque perficiat, &

inter-

interdum præſtantiora etiam gerat, quam natura ipſa queat efficere. Et porrò id verum cum ſit, dubio procul, ægris ſolo naturæ fauore nequaquam ſeruaturis, præcipuum tunc Medici offitium eſt. artis præcepto, eorum curationem aggredi; Eſt aut curatio, recta, atque conueniens, ad ſeruandos ægros omnes, pellendosque morbos, artificioſa remediorum vſurpatio, qua certè Medicus frequentiſſimè vt naturæ adiutor, verum tamen etiam ſæpe vt primarius artifex, ad ſanitatem adipiſcendam opem fert; Hac ipſa ergo curatione, vt Medicus ſemper in ſuum naturalem ſtatum ægrum tuto perducat, violatam inquam ſanitatem, illi, nequeunte per ſe natura, artificioſè reſtituat, operæ certè pretium conſultum, factumque eſt, vt ante oculos ſemper duos præcæteris ſcopos habeat, in quos, vt ſagittarius, totis viribus intendens perpetuo intueatur; Quorū quidem vnus, morbus eſt, & quidquid præternaturam moleſtum ineſt, quatenus ſanitatem auertit, vt deſtruatur; Alter autem virium robur eſt, & quidquid ſecundum naturam ſanum corpus habet, expetitque vt conſeruetur; Vt inquam Medicus duplici huic ſcopo incumbens, appoſito opere ſatisfaciat; pellat nempe, & deſtruat morbum, vnà cum his quæ præter naturam ad ſunt; Vires autem, & quæ ſecundum naturam inſunt omnia, foueat, atque conſeruet, tandemque amiſſam ſanitatem omnino reſtituat. In hæc itaque duo aſſequenda, cum Medici curantis munia neceſſario dirigantur omnia, ex eiſdem meritò, quæcunque rite molienda proponuntur, rationabiliter indicabuntur, & quaſi digito demonſtrabuntur inditijs. Plura autem ſunt ea, quæ ad morbum, reliquaque præternaturalia eradicanda neceſſario peragenda ſunt; & plura ea inſuper ſunt, quæ ad conſeruandas vires, & ſecundum naturam reliqua neceſſariò requirſitur. Sed quæcunque hæc ipſa ſint, iure ſingula ad proprios aſſequendos ſcopos accommodata, indicataque, qua ratione indicantur, eadem etiam, vt curatio rectè, & tuto abſoluatur, proſequenda. Quæ indicantur opera ſunt, & inſtrumenta, quoniam hæc ad curationem requirantur; Vt enim aſſequamur quod cupimus, opere appoſito vti neceſſe eſt; opus verò ipſum vt proſequatur, idoneis eget inſtrumentis. Cæterum quæcunque opera ſint hæc, & inſtrumenta, ea non niſi determinata qualitate, & quantitate prædita indicari certum eſt, dum tamen adhuc omnia opportunè, ac tempeſtiuè præſto ſint. Principio quidem opera talia ſunt, quatenus ad aſſequendos curationis ſcopos illa fuerint accommodata; Inſtrumenta autem talia æſtimantur, viribus ſuis, quia videlicet poteſtate, vel actu operari deſiderato ſatisfacere apta nata ſunt; Actu ſanè ſi promptas ita. & expeditas vires habuerint vt primo quoque contactu, per ſe, & directè, nullius externi ſubſidij ope, vel irritamento, in nos operentur; Poteſtate verò, ſi eorum vis, ſiue facultas intus condita, & quaſi ſopita, nondum ita exeratur, depromatur vè, vt primo quoque contactu agat, ſed omnino alterius agentis opè egeat, nec aliàs operetur. Verum tam operum, quam inſtrumentorum vires omnes eo tendant oportet, quo vel ſua ſimilitudine, ipſi naturæ, ac naturalibus omnibus faueant, quod putà naturali inditæ conſtitutioni, in qua ſanitas eſt, verè conſentiant, vel diſſimilitudine, morbo, & reliquis præternaturam omnibus aduerſentur, quod affectum videlicet corpus aliud reddere apta nata ſint. Exprimento enim, & ratione comprobatum eſt, morbum omnem, omniaque, quæ præter naturam ad ſunt, contrarijs profligari, quippè illa contra naturam cum ſint, & perinde remouenda, non niſi alio à quo immutentur, quoniā ſit ipſis aduerſum, remoueri aliquando poſſunt

do poſſunt; Contraria autem ſolum mutuo ſe ſe perimunt, quatenus illorum quoduis, toto poſſe, more agentium naturalium omnium, quod ſibi ſimile eſt ſemper efficiat; vnde quoties idipſum alteri, quod ſibi contrarium fuerit, adhæreat, vt in idem cum victoria ſufficienter agat, vtique illud ſibi ſimile reddet, & in contrariam naturam permutans neceſſario deſtruet. Atque id cum ita ſit, ſanè vt deſtructionis morbi, & præter naturalium rerum omnium ſcopus aſſequatur, hæc operum, & inſtrumẽtorum contrarietas curanti indicabitur; Qualis autem ea cenſenda ſit, vniuerſim non facilè decerni poteſt, ea quandoquidẽ multiplex ſit, quod in aliquouis genere varia reperiatur, eaque tum per ſe, & directa, tum per accidens, & indirecta, quia vel morbo, vel fomiti eius, vel demum alteri, quod præter naturam ſit, vnde morbus, & fomes oriatur, aduerſetur; quare ſiue impugnetur morbus ſiue cauſa, vel origo, cui primum adhæret, ſat eſt, vt contrarijs, morbum, cum præternaturalibus annexis, deſtrui affirmemus. At hæc intercurandum, ad conſeruandas naturæ vires, ægrotantisque conſtitutionem omnem inditam reſtituendam, ſimilibus neceſſario vti oportere, ratione ſimiliter, & experimẽto, certum eſt; quippè ſuppoſito, vnumquodque ad naturam ſuam illud cõuertat, quod vi ſua attingens ſuperauerit; quare vt à contrario ſemper immutatur, & diſſipatur, ita à ſimili ſemper conſeruatur, atque fouetur; Similibus itaque cum naturalis conſtitutio, viresque manuteneantur, & ſimilia ob id ſemper ad conſeruandum neceſſario indicentur, æquum eſſet ſimilitudinis ſpeciem determinare, verum impoſſibile eſt, quia vt cõtraria ad deſtruendum varia ſunt, ita ſimilia ad conſeruandum diuerſa, quod ſæpe per ſe, ſępe per accidens, interdum directè, indirectè interdũ, talia cenſeantur, ac ſint; Adeo vt non niſi præuio, eoque diligenti adhibito ſtudio, poſt vnum operum delectum, propria inſtrumentorum requiſitorum qualitas, aſſequendis ſcopis, ſatisfaciens, ſeligi poterit; Per qualitatem autem intelligo, non ſolum naturalem, ſed adhuc artificialem; ad ſcopum quoniam (quicunque ille fuerit) aſſequendum, poſt ipſam requiſitam operis, & inſtrumenti vim, à natura inditam, vltro certa artificioſa conformatio, quam etiam qualitatem appellare libet, vſui adamuſſim congrua, deſideratur. Cum enim verum ſit, artem medicam, vt cæteræ artes, non niſi more naturæ, per contactum mediorũ operi aſſequendo inſeruientium opus moliri ſuum, atqui contactũ hunc, nõ omnem inſtrumenti, & operis artificioſi formam, ſeu diſpoſitionem admittere, præſertim quod intermedendum, tum extra corpus, tum intra, medicatio attendatur, quo neutiquam operis, & inſtrumenti virtus, ex artis inſtituto requiſita, ſub quacunque eiuſdem operis, & inſtrumenti forma, perducitur; Neceſſe ideo ſemper eſt, poſt naturalem, artificialem quoque qualitatem, operibus, & inſtrumentis ineſſe, qua naturalis ipſa qualitas, per ſe quaſi inepta iam ita exeratur, in affectamque ſedem perducta, depromatur, vt iuſto contactu agat. Inſuper & neceſſaria quoque eſt, artificialis hæc, tum operum, tum inſtrumentorum qualitas, vt præſertim naturalis ipſa talis, qualis expetitur, & abſque ægri damno, magis propria adſit; Quando ea ſæpe ſimul, ſemelque, dictis præmiſſis ſcopis, vel ſimilis, vel contraria, magis, aut minus requiratur; atque talis licet ſeorſim, cum tum rebus naturalibus, tum præternaturalibus conſulatur, ſingulis ſingillatim per ſe, vel per accidens, haberi forſam poſſit; attamẽ dum in complicatis illis, ſimul, & ſemel talis non habeatur, ob id, communi ſaltem præcepto, curandum, vt ex arte qualitas ita componatur, vt

L ea inquam

ea inquam ſenſim vtrisque ſatisfaciat; & ſi dum eorum alterum præcęteris vrgeat, illi primum proſpiciendum videatur, ne tamen dum vni attendentes, alterum quod minus forſam viget, in ægrotantis detrimentum, negligamus. Atque id verum cum ſit, merito ſit vt in medicamentis arte parandis, vnum, illudque primũ, & ſemper adeſſe debeat, quod veluti baſis, & columen ſit profligando affectui accommodatiſſimum; & quidẽ affectui ſimplici ſimplex; complicato verò, ex multiplicata baſi, compoſitum; Quæ inquam baſis, ſimilibus, ſimili qualitate proſpiciat, diſſimilibus autem diſſimili, & etiam oppoſita, vel eorum vni, poſt alterum, vt puta vrgentiori, vel omnibus ſimul, mediocritate præſcripta, aſſequuturo tandem ſcopo, ſi non ſimul, & integrè, reſractè ſaltem, ac ſenſim, ſatisfaciat; Atqui ſecundo, dum baſis hæc iam licet ex arte conſtituta, ea tamen ex ſe ignaua nimis, aut debilis fuerit, vt mox indicationi neutiquã ſat videatur, vtique neceſſario illi vel artificioſa præparatione, velocitas, & robur acquiretur, vel aliorum permixtione, iuuabitur, quibus ſcilicet, ipſius opus citò & tutò promoueatur; Et ſi dum hæc effectum ipſum fælicitant, vi omnino minori ſemper donari oporteat, ne forte vim baſis ſuperantia, ita eam peruertant, vt aliud quam per ipſam expectamus, perperam moliantur; Ad hæc tertio ſi baſis ex ſe, vel adiuuantis occaſione, aliquid habuerit incommodi, malitiæ vè, vnde inter operandum ſit noxa quępiam, vel ad operãdum difficultas ſubſequutura, profecto adhuc, vel præparatione artificioſa, vel item corrigentibus ſuperadditis malitia omnis, & incommodum omne, ſi fieri poſſibile eſt, funditus ab ea auferendum, Ita porrò ad opus rectè, citò, ac tutò aſſequendum, inſtrumentũ quod quætitur ex arte paratum adminiſtrabitur, cui ſcilicet adamuſſim omnis inſit qualitas, quæ à Medico curanti, ad vnam aſſequendi ægri ſalutem, primo omnium obſeruanda eſt.

QVA QVANTITATE, ET opportunitate, tum opera, tum inſtrumenta adminiſtranda ſint, generatim explicatur.

CAPVT SECVNDVM.

QVANTITAS autem ſemper talis, tantaque expetitur, qualis, quantaque ſcopis aſſequendis ſatis eſſe poſſit; Atque eadem met, licet vnum eorum ſit, quæ Medicam Artem maximè coniecturalem reddunt; vt certius attamen, ac firmius de ea coniecturam faciamus, illud vnum præmittendum, quod veluti duplex, tum operum, tum inſtrumentorum finis eſt, cuius occaſione, operum eorundem, ac inſtrumentorum quantitas certa perquiritur, putà quæ ſecundum naturam ſunt, pro poſſe conſeruare, quæ verò præter naturam ſunt, omnimodè pellere; Ita duplex quoque eſt, tum operum, tum inſtrumentorum, augendi, minuendi vè quantitatem, occaſio: quoniam vt expugnetur, pellaturque, quod contra naturam eſt, interim verò ſeruetur quod ſecundum naturam, ſemper, ex ſuppoſito, tanta operis, inſtrumentique quantitas ſtatuenda eſt, quanta ſufficiat; Si namque intra modum fuerit, ne illius quod pellendum ſit, reliquum quidpiam reſtet, contra, alterius quod ſeruandum, diminutè conſeruetur, foueatur vè,

tur vè, periculum eſt; Si modum autem excedat, ne potius nouum quid contra naturam, priori contrarium, importunè indueatur, aut quod ſecundum naturam eſt, affectata nimis diligentia prætergrediatur, timendum eſt. Ipſa itaque horum omnium magnitudine, ac neceſſitudine, ex proprijs vniuſcuiusque notis, vt alibi dictum, bellè præcognita, quæ illi ad vnguem reſpondet, operum, & inſtrumentorum menſura, decernetur; Quamquam vt tutò, atque iucundè adminiſtretur, ea adhuc cum tolerantia ægrotantis, qui curatur, conferenda eſt; Etenim in vnum omnibus conſpirantibus, quanta, & quammagna agendorum ex arte quantitas indicatur, tanta, tanque magna vtiliter permittitur. Eſt porrò tolerantia hæc, ægrotantis ad ferendum, operum, & inſtrumētorum requiſitorum impetum, & vim, habilitas, & robur, & ſane tum corporis vniuerſi, tum partium eius; Vniuerſi inquam, cum vniuerſum afficiatur, vel cum ſaltem parte quapiam affiicta, illud prmum attingendum eſt; Verum partium eius, cum pars ea ipſa fuerit, cui opem ferre neceſſe ſit, vel per quam parti alteri, vel etiā toto prodeſſe ſit opus. Sed tolerantiam hanc potiſſimū exponent, quæ, iuxta alias tradita præcepta, tum agentium, tum patientium conditionem aperiunt, comparatis adinuicem ſingulis, vt artis eſt. Et ſi præterea vt limitatius quantitas vſui ſatisfaciens decernatur, Sedis affectæ ſitus, & in ipſam viæ omnes obſeruandæ ſint; An puta ſedes ea in ſummo ſit corpore conſtituta, an in alto demerſa, quam longè demum; & ne patentibus, ac breuibus, vel mauis arctis, & longis vijs, à loco cui remedium imponitur, abſit; Namque affectus in corporis ſummo poſitus, in quod tum patens, tum breuis remediorum via eſt, pari quodammodo remedio facilè pellitur; Qui verò in alto corporis demerſus latet, in quod aut longa, aut ſaltem arcta via eſt, valentius illud petit. Itaque dato, illud quod præter naturam eſt, eſſe maximum, vt ideo opus, & inſtrumentum, quo id ipſum pellere neceſſe eſt, magnum, ac vehementer validum expetatur, tunc per potētem tolerantiam, citra iacturam, poteſt illud integrum, ſimul, & ſemel, adminiſtrari, nec progreſſu quodam à debiliori tunc longius procraſtinare vtilè eſt, ne eo forſam æger perducatur, quo nullo dein medicamento leuari poſſit; Sed per mediocrem tolerantiam, quoniam ſimul ſemelque, requiſitum remedium integrum, eidem magno malo congruū non toleratur; tunc ideo ſenſim, lentèque, ac blandè incedere tutius eſt, ne ex repentino impetu facto, viribus detrimentum præſto ſit. Et quamuis opus, ac inſtrumentū tunc ſit par infirmius vè, vincendum ideo potius, & penè ſuperandum ſuſpicetur, repetito nihilominus, & quaſi continuato certamine, vel ob connaturalem illius ſimilitudinem, & non naturalē morbi diſſimilitudinem, fit vt tum ſibi parem, tum aliquando maiorem contrarij portionem auferat, tandemque, ſine detrimento, totum, vt experimur: Atqui tolerantia prorſus repugnante, quamquam mortis prognoſtico ſolum vti iam prudentis officium eſt, plerunque tamen, cum læſio morte præſtantior iudicetur, extremè ideo omnibus ſe habentibus, extremè, & validè operandum eſt; Cæterum ijs, quæ præter naturā ſunt, mediocribus exiſtentibus, vt nec præcipitantia ſint, nec periculum vitæ minentur, plurimum autem tolerantia vigeat, tunc pari remedio, ſemel, totum, quod cupimus, præſtare licet; & ſi adhuc ne ex repentino impetu forſam detrimenti quidpiam ſubſequatur, partitè potius incedere vtile videatur; Quod & tolerantia exiſtente mediocri, ſummopere decet; At in ſumma tolerantiæ debilitate, idem magis, magisque congruum iudicatur,

L 2 dicatur,

dicatur, niſi tunc etiam ad extrema deuenire oporteat. Denique rebus præter naturam debilibus exiſtentibus, tolerantia autem quomodolibet ſe habenti, vt nullum, vel minimum deſideratur auxilium, quod vt plurimum tunc per ſe natura ſufficiat, ita ſi auxilium aliquod adminiſtretur, tunc tuto illud ſemel, & vniuerſim, citra iacturam, admittitur. Verum poſt hæc quantum ad conſeruationem eorum pertinet, quæ ſecundũ naturam ſunt, ſi adhuc ipſa quodammodo integra ſint, ſatiſque valeant, nemini dubium, quod dum magnitudo eorum, quæ præter naturam ſunt, id bellè permiſſerit, ſemper, & vbique, validè operandum eſt; Impedit tamen ſæpe, quia dum quæ ſecundum naturam ſunt, in conflictu plurimum afflicta ſunt, & ſi adhuc ea ex ſe quodammodo valida ſint omnia; nequeunt tamen vlterius, nouo opere, præſertim nutritionis, inſtaurationis, vè, exerceri, ſed illud moderatè ſolum, atque partitè admittunt; At ſi quod præter naturam eſt, tunc mediocrè occurrat, vt minus inde afflicto omnia naturalia ſunt, ita liberè magis tunc conſeruationi per inſtaurationẽ vacant; In imbecillis autẽ præternaturalibus, quæ, valentibus, naturalibus, parũ, vel nihil officiant, ſola neceſſitudinis ratione præmiſſa, quantum illi conuenit, tantum iure donandum eſt; Vlterius quoties naturalia ipſa appareant ad tolerandum mediocria; ſint verò præternaturalia magna valdè, neceſſario vt imminens naturalium euitetur afflictio, infra mediocritatem, atque partitè, ipſa etiam inſtauratio tentanda eſt; Generosè autem magis, dum, ſimilem mediocritatem cuncta obtineant; & vltro generoſius, ſi præternaturalia debilia ſint; quoniam tunc naturalia gradatim validiora cum ſint, validiorem ſimiliter actionem admittunt; Verum vltimo naturalibus penitus collabentibus, præternaturalibus contra ſeuioribus exiſtentibus, vt nequaquam ſalus expectatur, ita neque nutritio, inſtauratio vè, ex arte, præſcribi poteſt, quamquam aliqua ſaltem mediocritas, tunc, eaque partita, vtiliter tentatur, vt, ſi fieri poſſit, meliora inde naturalia euadant omnia. Sequitur opportunitas, qua naturæ languenti Medicus, operibus, & inſtrumentis, potiſſimum fauet, per eam ſiquidem ille, dum munus ſuum ex arte aggreditur, ſecundum omnino naturam habeat, & ſcopos inde omnes facile aſſequatur; Opportunitas autem hæc, tempeſtiua agendi occaſio eſt, qua aliquid neceſſario prius, aliquid verò poſterius, intercurandum deſideratur, & ita demum toleratur, vt conſequenter Medicum ad agendum impellat; Et ſanè occaſio hæc per varia morbi tempora offert ſe ſe, ſunt enim illa, vt dictum alibi eſt, quatuor, principium, augmentum, ſtatus, & decrementum, quibus tam naturalia, quam præternaturalia, multiplicem patiuntur varietatem, adeo quod vt ex requiſitis vnum prius, quam aliud tuto admittatur, vt inquam fęlix medicatio ſit, quoniam illi natura ſecunda ſit, illudque libentiſſimè toleretur, iurè toto morbi curandi progreſſu, tempora eadem diligenter attendenda, & quod per illa deſideratur, & toleratur, idem prorſus, ordine rectò, procurandum eſt. Sed occaſionem intercurandum præbet imprimis labefactata, afflictaque natura, ſeu quæ ſecundum naturam ſunt omnia, quæ ſui tum conſeruationem, tũ inſtaurationem exoptant; demum quoque id, quod præter naturam eſt, quod quam fieri poteſt citius diſſipandum eſt. Quatenus ideo ex his alterum valentius vrget, & maiori neceſſitate ad agendũ impellit, eatenus prius, vel poſterius, opportunè aggreditur; Vrget autem aliquid (quantum ad præſens negotium ſpectat) bifariam, aut quoniam illud, ex ſua natura, interagendum, ordinis prioritatem, vel poſterioritatem habet, reſpectu

alterius,

alterius, ita vt ab eo, tanquam à quo reliqua pendent, ordine recto inchoare operæ pretium ſit; aut quoniã illud vi ſua, vltro quam par eſt, grauius præmit, vt quãquã ordine recto poſtremũ quid eſſe conſueſcit, quia tamen præcæteris negotiũ faceſcit, ob id priori loco, intercurandum aggredi debet; Quamobrẽ licet ſemper natura, ſeu quæ ſecundũ naturam ſunt, ita priori loco, ſui conſeruationẽ expetant, vt illius, quod præternaturam eſt, extirpationẽ omnino poſtponere videantur; attamen quoniam interdum quod præter naturã eſt, tanto impetu ſæuit, vt ad grauius impedimentũ euitandum, illi mauis primũ, deinde naturæ conſulendum videatur, ob id præpoſtero ſæpe ordine incedere neceſſarium eſt, agendique opportunitas aliter ſtatuenda, ab eo ſcilicet auſpicato opere, quod imprimis vrgere planũ fuerit. Atqui cum plura, tũ ad naturalia reparanda, ſeruanda vè, tum ad præternaturalia profliganda, præſtanda ſunt; adhuc ideo particulatim, circa vnumquodque horũ deligendum eſt, quod prius, & quod poſterius aggrediendũ, proſequendũque ſit; Etenim vno eodemque tempore, nequaquã ſemper conuenit ſingulis operã dare, ſed modo vni prius, poſterius autẽ alteri. præſertim quod ſæpe hæc non ſibi inuicẽ tantũ impedimento ſint, verũ etiam ſæpe ſibi aduerſentur, ex quo dum ſimul proſequantur, ægro non parũ officiant; contra ſi ſeparatim, ſuoque tempore, à medico aggrediantur, ægrum ſummopere iuuenr. Ergo ſi naturalium conſeruandorũ gratia, agendorũ prioritas, & poſterioritas æſtimanda fuerit, quoniam duabus potiſſimum vijs, ſcilicet nutritione, & fotu (vt ſuo loco longius demonſtrabitur) ea conſeruentur, & multiplex eiſdẽ occaſio accidat, vnde nutritio, aut fotus cẽſeatur prius, vel poſterius opportunus, rationabiliter tunc vrgens neceſſitas occaſionis fotus, vel nutritionis, putà ne ordinaria illa, aut extraordinaria ſit, accuratè obſeruanda eſt; Ordinaria enim nutritionẽ indicat, extraordinaria verò fotum; cum fotus tantummodo naturam, & quæ ſecundũ naturam ſunt, recreet atqui nutritio propriè inſtauret; Porrò dum natura afflicta inſtaurationi difficilè vacat, non vltro primum pabulo opprimenda, ſed fotu potius primũ recreanda eſt, dein paſtu inſtaurari tuto poteſt. Sed ſi rei præternaturalis pellendæ gratia, eadẽ in agendis prioritas, & poſterioritas decernenda ſit; cum certum ſit præternaturalia omnia ita à ſua cauſa pendere, vt ea perſiſtente, ipſa maneant, nec penitus expelli poſſint, ita vt ſi adnitaris, quantum horũ demas, tantundẽ aſſidua, & perſiſtens cauſa proferat; vtique cauſa imprimis, effectus dein præter naturã ſummouendus eſt, ita enim opportuna curatione radicitus extirpabitur, nihil vt eius deinceps repullulet; At cum longior quædam continuatio, ſeriesque cauſarum fuerit in qua ita alia ex alia naſci pateat, vt omnes inter ſe connexę ſint, ſanè ſuo quæque ordine demenda erit, ab ea curationis ducto eordio, quæ ortu prima, inueſtigatione verò poſtrema fuerit inuenta, ab hac ſenſim, ordinatimque ad cæteras, poſtremoque ad effectum progreſſus fiet, ſuo cuique obiecto conrrario. Et quamquã plerunque fit, vt cauſæ plures inuicem & ſi conſequentes, vno nihilominus opere contrario demoliantur omnes ſimul, quod nempè ſingulis illud multipliciter, ac differenter aduerſetur, proptereaque eodẽ ferè tempore omnes, vel earũ pars maior depopuletur, vt nec opus ſit prioritatẽ, & poſteritatem operis obſeruare, vt plurimum tamen, ordo ipſe, methodo recta, ſeruandus, ante oculos habendus eſt, quo quis priori loco, vel poſteriori iudicatus, opportuna temporis ſucceſſione, ſuo loco proſequatur. Hæc etenim vera eſt, & exquiſita curandi opportunitas, ex cauſarum, affe-

ctuumque

ctuumque ſimpliciũ ſerie obſeruanda; licet eadẽ quoque in multiplicatis affectibus præternaturalibus (prudenter tamen) ſeruanda videatur, vt ſi tunc fortè peruertatur, non modo nihil ad curationem proficiat, ſed & plerunque affectum conduplicet. Diuerſis namque, diſtinctiſque præternaturalibus affectibus exiſtentibus, ſuam quiſque ſeorſum medicinam expoſtulat, quod ita hi ſedibus longè diſtent, vt vnicuique ſua poſſint remedia, alijs intactis, adhiberi, atque ideo tunc ſingillatim, & pariter omnes curari queant, minimũque referat cui primum propria remedia adminiſtrentur; Impliciti attamen, atque compoſiti ſi fuerint, minimèque propriam curationem ſeorſum admittant, quod hi aut vicinis partibus inſidentes, inuicẽ ſibi impedimento ſint, aut quia vni, eidẽque parti inhærentes, in vnũque quaſi conflati coeuntes, valdè magis propriã ſibi inuicem medicinã impediant; profectò vt probè vno eodẽque tempore eorum curatio adminiſtrari nequit, ita methodus adhibenda eſt, quę ſuũ cuique ordinem præſtituat, hoc eſt quid primo, quid ſecundo, quid denique tertio, ſit agendum, decernat. Porrò autem variè concurrentibus illis, accidit interdum vt omnino conſentiant, vt in quã vnius curatio alteri ſanando conducat, aut nihil ſaltẽ obſit; Interdum vt diſſentiant, vt in quam curatio vtriuſuis alteri incommodet, moramque afferat; Nõnunquã uero partim conſentiant, partim diſſentiant, atque eatenus vnius curatio, alteri & proſit, & obſit. Implicitos ſanè, atque compoſitos, qui aut conueniunt, aut minimè diſſentiunt, & ſimul, & ſeorſum ſanare licet, vnde ab vtrouis incipere conceditur, cum ijsdẽ ferè operibus, & inſtrumentis, commodè diſſipentur; Quod ſi impliciti, atque compoſiti omnino diſſentiant, vtique non prorſus huic, aut illi, ſed vtrique, eodẽ tempore, mediocritate quadã, ex contrariorum permixtione confecta, ſuccurrendum, adhibita tamen ratione illius, quod magis vrget; Quod ſi vterque incremento iam vires acceperit, vt ob contraria valdè poſtulata præſidia difficilè ſaneſcat, quia præſertim dum vni vacamus, reliquum deteriorem fieri neceſſe ſit, & horum dein aut difficilior, aut certè lõgior futura ſit methodica curatio, tunc (niſi in re extrema deſperandũ nobis ſit) noxi potius quidpiam contingere permittendũ eſt, hoc ſcilicet optabilius videatur, quam vrgentioris ferocia, & effrenatione, affligi, & proſterni ægrotos ad mortẽ, quoniã certè læſio morte tolerabilior eſt; Quod vtique minus eſt dubitandum, ſi partim conſentiant, partimque diſſentiant, ab eo quippè tunc auſpicari vtiliter poſſe credibile eſt, cuius curatio alteri haudquamquam officiat, vel ab eo ſine quo alterius curatio nequeat compleri; quoniam ſi interea obeſſe quadantenus videantur, nihilominus magis prodeſſe patebit. Hæc enim omnis videri poteſt legitima præternaturalium affectuum curandi ratio, & opportunitas, quam ſeruare ſemper oportet, dum nihil vrgentius interueniat, quod eam neceſſitate quadam interpellet; Interpellat autem ſæpiſſimè tolerantia ipſa, quia & ſi dum per effectus præternaturalis tempus iure optimo fidimus, ſeruanda à priori, ad poſterius, vt dictũ eſt, methodus ſit, nec contra artis præſcriptum peruertendus curationis ordo videatur; attamen ſi iam tolerantia ex poſterioris ſæuitie palam ſuccũbat, ne inde æger crudelius torqueatur, protinus ordine mutato, ab eo auſpicanda curatio, à quo maxime illi periculum impendat, in eumque primum medentis conſilium dirigi debet, reliquis tantis per omiſſis, vel ſaltem minimè neglectis.

SPECIATIM MAGIS, QVA RATIONE *ſcopis medicis intercurandum ſatisfiat, & conſeruationi virium imprimis per inſtaurationem, nutritionem vè, examinatur.*

CAPVT TERTIVM.

ATQVE hucuſque ſumma artis medicæ præcepta, quibus vnicuique iam pridem cognito ægrotanti, mox ad ſalutem remedia requiſita congruè præſcribantur ſtabilienda, præmittendaque duximus; Sequitur modo, vt quæ generatim fuere probata, deinceps ſpeciatim expendamus. Vt igitur duos intercurandum ſcopos prudens medicus perpetuo intuetur, vt in eos potiſſimum intentus, cuncta ſeruando ægro neceſſaria, ex arte, inſtituat; Vnus quorum eſt, vt alias diximus, eorum omnium, quæ ſecundum naturam ſunt, viriumque præſertim conſeruatio; Alter verò, morbi, rerumque præter naturam omnium exacta depulſio; Ita ſanè opera, & inſtrumenta, ad hoſce attingendos ſcopos requiſita, iuxta tradita præcepta, delectu videlicet qualitatis, quantitatis, & opportunitatis, Medicus diligenter inquiret, apparabitque. Sed à virium, & naturalium rerum omnium conſeruatione, tanquam ab vrgẽtiori ſcopo, ſumpto exordio, quale primum opus ad hanc aſſequendam deſideretur, & quibus demũ inſtrumentis, quaque illis quantitate, ac opportunitate vti neceſſe ſit, iam explicemus. Porrò vt operantium facultatum animæ noſtræ ſunt vires, ita ipſarum viriũ robur, ex corporis conſtitutione, qua anima exercendis facultatibus, tanquam organo vtitur, habet originem; Verum quamquam bona, tam, ſimilaris, quã diſſimilaris corporis conſtitutio, ea ipſa eſt, quæ robori maximè fauet, ea quippè aptè ſeruata, vires robuſtæ promantur; indita attamen ſpirituum copia, qua calor innatus, præcipuus virium fomes, proprio quaſi ſubiecto ſuſtentatur, vt ea inquam ille quacunque diffuſus, exercendis vbique viribus, plenè ſatisfaciat, ea certè eſt, cuius florida, adoleſcenti vè conſiſtentia, etiam ſi alia quæuis corporis diſpoſitio morbis labefactetur, robur nihilominus virium in primis ſuſtentatur, & viget; deducto ſanè ab experientia argumento, quod ipſo naturæ, & morbi certamine, vna ſpirituum abundantia, defectus vè, facilem vitæ, vel morti, occaſionem præbeant; Quod quoniam verum, dum ideo virium conſeruationem expetimus, quærendum nobis eſt primum, quatenus quod ſpirituum ſubſtantiæ ſenſim, vel affatim diſſipatur, illud inſtaurationem habeat, & reparetur; demum verò, tum quatenus idem, ne eius vltrò diſſipatio creſcat, appoſitè foueatur, tum adhuc vbi opprimatur, præfocetur vè, qua nam ratione excitetur, atque reſurgat; Præcipuis etenim modis hiſce, nec aliàs, ſpiritus ad virium ſuſtentationem ſtent, vigeantque. Sed de inſtauratione primum ſermo ſit, hæc autem cum non aliundè fiat, quam ex nutritione, cuius beneficio pabulum ſuppeditatur, vt indè ſanguis optimus generetur, ex quo dein ſpirituum ſubſtantia multiplicetur, inſtauretur vè, hinc merito pabuli huius conditio in primis ſeligenda, demum quantitas eius, opportunitaſque

taſque procuranda eſt. Appoſita mehercle pabuli conditio, huic, aſſequendo idonea, ea omnino cenſenda eſt, qua facile non ſolum vniuerſi corporis moles, & conſtitutio ſeruatur, ſed qua præterea ſpirituum ſubſtantia abundè reparatur; Ea autem propriè, & vere cenſenda eſt, quæ ægrotanti ſymbola fuerit; Symboleitatem agnoſcimus ex conſuetudine tantum, vt potè quod æger per ſanitatem tali nec alio inſtaurari paſtu cõſueuerit; Etenim cum cõſuetudo adſititius quidam habitus ſit, ex crebris vnius cuius piam rei actionibus comparatus, quem vbi ſemel nactus quis fuerit, ita illi congruus, conueniensque fit, vt connatum quid, ac quaſi natura illius euadat, ſaneque perinde quod ex vſu longo iam conſuetum factum eſt, illud ita amanter expetatur, vt ſine moleſtia, promptè, & facilè apprehendatur; Ita dubio procul pabulum ſimile illi, quod cuipiam per ſanitatem amicum, familiare, & conſuetum fuerat, ægrotanti eidem ſymbolum, ſeu ſimile, ſua conditione æſtimandum erit, atque per ipſum merito cuiuſuis deperditæ ſubſtantiæ inſtauratio futura expectabitur. Verum enim verò, & ſi, per ſanitatem, æger, non vnius ſpeciei tantum, vel qualitatis, vti paſtu conſueſcat, ſed multiplicis, atque diuerſæ, qua vt, ſibi ſimili, aptè reficiatur, vt etiam dum ille præter naturam ſe habet, vel ſolius inſtaurationis gratia, eadem varia vti commodè poſſet; nihilominus intercurandum, vltro delectus illius habendus eſt, nempè vt quo ad poſſibile eſt, omni morboſo aduerſetur; ex temerè quoniam, ac ſine diſcrimine, in ægris, pabulo adminiſtrato, quodcunque præternaturale, morboſum vè, creſcat, vigeatque, inde quia illi multiplicatur fames; Sed cum plura in morbo reperiantur, quorum intercurandum præcipua habenda ratio eſt, vt potè quibus particulatim demoliendis, propriũ contrarium decernere, adhibereque neceſſarium videatur; Veluti eſt morbi certa ſpecies, tum ſimplex, tum complicata; Simptomatũ morbum comitantium (ſi quæ fuerint) certa conditio; Et quæ morbum, vel ſimptoma efficit, conſeruatque cauſa. Cum inquam tot hæc ipſa ſint, quorum occaſione paſtus diſſimilitudo decernenda eſt, ne illius forſam ſimilitudo his fomitem præbeat, profectò incumbendum diligenter, vt talis omnino paſtus adminiſtretur, qualis non inſtaurationi ſolum faueat, cuius gratia primum inſtituendus eſt, verum vt vndique etiam morbifico cuique aduerſarius ſit. Atqui cum rarò ea omnia in vnum conſpirent, vt perinde ſingula vnius rationis contrarietatem admittant, ſed vt plurimum multifariam varia, diuerſaque ſint, ob id ex his, quod magis vrget perquirẽdum, & illius occaſione, qualitas paſtus determinanda eſt, quamuis alterius quoque minus vrgentis præſenta non contemnenda videatur; Etenim frequenter aduenit, quod præcæteris morbus vrgeat; Interdum verò quod ſimptoma; Et quod ſæpe cauſa magis negotium faciat, atque tunc quod ex his, intercurandum, maioris eſt conſiderationis (reliquis neutiquam omnino poſtpoſitis) paſtus conditionem, ſeu qualitatem indicabit. Quod ſi omnia ſibi inuicem apertè conſenſerint, vt vna omnibus contrarietas ſatisfaciat, dubio procul tunc vnius rationis paſtus plenè ſufficiet. Cæterum quoniam per qualitatem, non ſolum naturalem, ſed & artificialem intelligere opus eſt, hic ideo deſideratus paſtus, præter naturalem qualitatem nutritioni idoneam, & morboſo cuique aduerſam, vt dictum eſt, ita ex arte parandus eſt, vt commodius præſtet quod cupimus; Etenim vt Pharmacopeę, & Chirurgiæ, intercurandos ægros, ſuus omnino locus eſt, ita certè arti, quam à coquendo, parandoque paſtu, Coquinariam appellamus, non denegandus eſt ſuus; hæc quoniam dum artis

Digitized by Google

artis medicæ præceptis coerceatur, paſtum miſeris ægrotantibus ita affa-brè paret, vt hi quidem illum iucundè admittant, auidiuſque amplectantur, ex eo autem facilius nutriantur, citra laborem; Præbet enim ars hæc ei certam formã, ſeu conſiſtentiã per quam ille citius tranſmutatur in ſanguinẽ; & inſuper eidem ſaporem præbet, ac condimentũ vtile, quo proſtratus appetitus bellè reſurgit; Tandemque paſtum ita cõponit, vt ille delectet, ſimulatque iuuet; Sed quæ demũ cuique ægro paſtus confectio congrua ſit, & propria, ſanè vt rarò paſtus vnus ſufficit omnibus, nec illis vſquam omniquaque ſymbolus eſt, ita rarò eiuſdem artificiũ omnibus vnũ conuenit, ſed medici curantis prudentia cuique ſuũ præſcribẽdũ eſt. His itaque qualitatibus donari debet paſtus, qui intercurandum ægris adminiſtrandus eſt; Quamquã adhuc in eo certa quædam quantitas, ſine menſura deſiderabilis eſt, quoniam vel conuenienter ea ſola præſcripta, ægros à morbis ſponte liberatos ſæpiſſimè animaduertamus, quod inquã vires tunc ſufficienti nutritione refectæ ideoque promptè ſuo incumbentes muneri, ſolæ ſæpè humores congeſtos, vndè morbus, abſumentes, morbũ eundem facilè pellant; Contra eadẽ perperã adminiſtrata, ægrũ difficilè ſanitatẽ adipiſci planũ ſit, quod eius ſcilicet vires ſatis iam morbo afflictæ, vlterius vel quantitate paſtus nimia opprimantur, vel parua deficiant, atque ita dein nequeant ſuo muneri ſufficienter incũbere. Sed vt conueniens pabuli quantitas decernatur, duo potiſſimum æſtimanda ſunt, quorum vnũ, virium deſideratarũ inſtauratio eſt, alterũ verò morboſæ pernitiei impedimentũ, eiuſque vehementia; Quippe & ſi interdum vires inſtaurationẽ, ex conſueta nutritione, multam exoptent, morbus tamen tunc ſæpe impedimento eſt, adeo enim vires in ægris à ſuis muneribus aliquando, morbi malitia, retardantur, quod niſi tum illæ, tum morbus, perpendantur, inuicemque conferantur; illæ nempè quouſque pabuli inſtaurantis adminiſtrationem expetant; hic verò qua ratione ipſam inſtaurationem permittat, ſanè impoſſibile eſt, iuſtã paſtus quantitatem determinare. Itaque vires præſertim vitales, ac naturales, certis operibus, & inſtrumentis, vitæ fauentes magis, & conſeruationem potiſſimum illi per nutritionem procurantes; aut in ægris proprium adhuc inditum robur obtinent; aut iam ab eo longè recedunt; vtique ſi primum, in eo duntaxat ſe ſe manuteneri indicant; Si verò ſecundum, inſtaurari adeo illæ deſiderant, quod tandẽ ſuam integritatem attingant; Sanè vbi vires manutenendæ ſint, illæ conſuetã ferè paſtus quantitatem admittunt; Verum quoties iam à ſibi indito robore illæ deceſſerint, aut tunc oppreſſione, aut reſolutione id illis euenit; Si primum, licet inſtaurari, reficique vniuerſim ipſæ cupiant, non niſi tamen paruam paſtus copiam admittunt, tum quia debiles cũ ſint, pabulo multo conficiendo ſufficere minimè valent, tũ quia oppreſſæ illæ cum fuerint, non vltro paſtu opprimi, ſed mauis ab oppreſſione ſubleuari tantummodo optant; Attamen ſi ſecundum, hoc eſt, ſi ob reſolutionẽ antecedentẽ vires infractæ, & debiles obſeruentur, neceſſario quidem multũ ſibi paſtum, vt integrè reficiantur, forè opportunum oſtendunt, atqui ob ſui langorem, tanto labori, quem interconficiendũ eum eſſent paſſuræ, minime ſufficiunt; quare parcè tunc ille exhibendus, & ſi ſæpius ipſum miniſtrare neceſſariũ videatur; parcitas enim reſpondet debilitati, frequentia verò ſatisfacit neceſſitati. Quamquã interim animaduerſione dignũ eſt, ſemper & vbique conſuetudinẽ obſeruandã eſſe, ſecundum quã, interdum multum, interdũ verò parum æger nutriri conſueuit, quando conſuetudo ferè na-

M tura

tura ſit; Qui namque multo paſtu per ſanitatem benè valent, his omnino in morbis maior paſtus ad inſtaurationē eſt neceſſarius; qui verò pauco ſani viuunt, illis in morbo, ad inſtaurationem, minor rationabiliter conuenit. Iuſtam attamen quantitatis menſuram impedit ſæpè turbatque morbus, qui ob variā ſui pernitiem, vehementiam vè, interdum minorem, interdum verò maiorem illam permittit; Siquidem morbus vehemens valdè, atque potens extiterit, quoniā tunc ille vires adeo impetu afficit ſuo, quod confectioni deſiderari paſtus incumbere neuriquam valeant, merito iuſto minorem paſtum decernere opus eſt; Si autē morbus mediocriter vigeat, tunc ferè quantum nutritionis ergo paſtus experitur, tantum iurè permittitur; Multoque magis ſi morbus ipſe mitis, blādusque fuerit, quoniam tunc ille parum vires infringens, eas ab opere nutritionis minimè retrahit. Comparatis itaque morbo, ac viribus, quantum vtiliter ad nutriendum paſtus adminiſtrare neceſſe fuerit, notū apertumque ſit; quoniā ſi vires hunc multum optauerint, at morbus tantum non admittat, tunc in medio ſemper conſiſtendum, vel partitè ſaltē incedendum eſt, quamuis ſemper copioſius, quam parcius nutrire operæ prætium videatur, ex quo in tenui facilè ægri delinquant; morbo verò permittente, ſiue multum, ſiue parum vires nutriri velint, ſemper quod expetitur, integrè ſuccedit. Sequitur vt tempus conſtituamus, quo ægrotanti, nutritionis ergo, paſtum ad vires manutenendas, reficiendas vè, adminiſtrare, vt dictum eſt, nos debeamus; Et ſi imprimis ex conſuetudine illud ſtatuendum ſit, tanquam tempus verè opportunum; certū enim eſt vnumquemque per ſanitatem, vt plurimum, bis ſaltem in die (& ſi etiam alijs ſæpius) nutriri conſueſcere, à quo iam conſueto nefas eſt ægrū recedere; quod omnis repentina mutatio mala. & tempore præſertim lāgoris peſſima ſit. Quare & per ægritudinē æger bis etiam in die opportunè nutritur, licet interdum ſæpius quando præſertim partita nutritione vti ſit neceſſarium; vbi quidem à conſueto receſſus ſit, attamen maiori vtilitate quam damno; In hoc ſolo æger à ſano differt, quod non eodem diei momento ſemper paſtus ſibi permiſſus eſt, ſed quando ipſe ſolū minus à malo afficiatur, minuſque perinde concoctio in ipſo intercipiatur, id vero ſæpè tardius, & ſæpe citius euenit, ſed quod proprium ſit, curantis medici eſto iudicium. Cæterum præterea ad opportunā magis ægri nutritionem deliberandam tolerantia virium expendenda eſt, quæ ſanè temporibus morbi varijs, eiuſdem præſertim morbi impetus, ac impedimenti occaſione, neceſſario multiplex eſt; perindeque tunc ſi non omnino abſtinendum à paſtu indicat, ſaltem qua quantitate, & modo paſtus ipſe adminiſtrandus ſit palam oſtendit. Sunt namque morbi tempora quatuor, principium ſcilicet, incrementum, ſtatus, & decrementū; hiſque vt morbus inceptus paulatim creſcens, tandem ſtat, quouſque declinet, ita vires per horū initia quamquā validæ, hoc ipſo tamen ordine permutantur, infringuntur, vel intercipiuntur, vt pabulo conficiendo modo magis, modo minus aptæ ſint, Porrò morbo adhuc in principio exiſtente, vt nō dum vires aliquo pacto ceſſerint, ſed vigeant ſatis, & parum à ſtatu naturali diſtent, quelibet paſtus menſura, quam vires licet afflictæ, expoſtulant, iure permittitur; Sed creſcente iam morbo, quoniam inſimul vires magis afficiantur, paſtus ideo quantitas minor ſemper conuenit; Atque certè minor, cum iam morbus in ſtatu conſiſtat, vbi quia ille extremos iā labores faciat, vireſque, ſi vel vnquam, magis afficiat, ideo nec ipſæ, vt potè nimis defatigatæ, multū paſtus admittunt, nec itē morbus tunc eiuſ-

dem

dem multum adminiſtrari vtiliter ſinit; Verum decreſcente morbo, vt ſenſim virtus ipſa validior, quia nempe liberior, ita ſenſim paſtus maior, vel ſaltem frequentior turo adminiſtratur. Et quidem hæc vera ſunt omnia, dum adamuſſim vires morbi temboribus reſpondere videantur, attamen quoniam ſæpe ipſo quoque principio illæ debiles, ſaltem ex oppreſſione ſunt, propterea tunc parcior paſtus conuenit, quam ipſo augmento, quo ſponte, vel arte ſublato impedimento, vires iam liberiores, per indeque fortiores factæ conſpiciuntur, ideoque nutritionem, & paſtum copioſiorem admittunt atque ita de temporibus reliquis. Sed coronidis loco notandum, hactenus ſolum hæc expreſſa fuiſſe, comparato morbo cum viribus vniuerſim, quoniam præterea, ventriculi, hepatis, & partiũ denique omnium confectioni paſtus inſeruientium vires (ob ea præſertim, quibus paſſim per morbum obnoxiæ ſunt, & vel ob cauſæ ſaltẽ morbificæ magnitudinem, ſua aliquando præſentia illas imprimis officientẽ) particulatim perpendendæ ſunt, quod plerunque hæ indicatã paſtus menſuram, eamque iam pridem vniuerſim decretam, non admittant, ob vnã ſcilicet imbecillitatem, ex oppreſſione, vel ex reſolutione in eis natam. Ad hæc quoque non nocebit partium reliquarum noſtri corporis tunc eodem modo afflictarum examinare vires; inſuperque earundẽ partium cũ vniuerſo conſenſum, quatenus inquam maiorẽ, aut minorem totius nutritionem, per morbi tempus, ferant, quia multifariam vniuerſo illæ cõſentientes, ex multitudine ſola, vel paucitate paſtus adhibiti, plurimum afficiuntur, interdũ contra, inſtaurantur, & gaudent. Sed aliàs breuius, aliàs longius, decretus paſtus conuenit, pro temporum nempè morborũ longitudine, breuitateque, quia ſæpe morbi principium inſenſibile eſt, ex quo ſtatim augmentum accedat, quod ſucceſſiuè etiam adeo breue eſt, vt iam morbus extremos labores efficiens, ad ſuum ſtatum citiſſimè perueniat, vnde poſtmodum variè ad declinationem perducatur, quo ſanè caſu, quamprimum tenuem adhibere paſtum neceſſe eſt; Contra ſi longa fuerint morbi tempora, longius etiam, vt vires ipſæ ſtent, in indicata paſtus copia conſiſtendum; quamquam tutius ſemper eſt, ad paulo pleniorem, quam tenuiorem inclinare, in tenui quia ægri facile cadant, nec niſi difficile ſubleuentur.

QVA RATIONE EARVNDEM virium conſeruationi, citra inſtaurationem, vel puta fotu, opem feramus, perquiritur.

CAPVT QVARTVM.

Et de virium inſtauratione ſatis, nunc qua ratione eędem, citra nutrimentũ, tueri, ac protegi valeant oſtendẽdum; Sanè virium languor, tum oppreſſione, tum diſſolutione, vt aliàs ſæpè diximus, præſto eſt, ergo vt earundem robur tueatur, occaſio quæuis, vel cauſa langoris, ex arte amouenda, auertendaque eſt, quando ea, quæcunque fuerit, omnino ſublata, vt vigent, ita etiam fouentur vires; Vt ſingulis autem occaſionibus, vel cauſis, cer-

ta, qua arceantur, vel corrigantur, regula præſcribatur, iure primum eas
in ordinem ponere operæ pretium eſſet; quod ex his tamen aliquæ contin
gentes ſint; neceſſariæ verò aliquæ, putà quod aliç in his facile cõtingãt;
quæ perpetuè, neceſſarioque ferẽda ſunt, quia ſine his viuere non liceat,
aliæ autem in his, quæ non neceſſario, quæ & ſi declinare liceat, earum
tamen impetus, nec arte præuideri, nec euitari poteſt, vt aliarum poteſt,
quia in illarum obſeruatione ſemper ars ipſa verſetur; Idcirco neceſſaria-
rum ſaltem regula hic præſcribetur, contingentibus aliquot præcipuis
duntaxat, vt puta à neceſſarijs intercurandum non longè diſtantibus, cõ-
memoratis; Ex neceſſarijs itaque, quibus vires, citra nutritionem, in
ægris, ſaniſque, foueri, vel deprimi conſueuere, ea primas tenent, quæ
nobis extrinſecus aduentantia, ambitu ſuo, inditum calidum, vel calore,
& per ſe, vel alijs qualitatibus, & per accidens, fouent, vel deſtruũt; aut
ne per apertos nimis vniuerſi poros, ſpiritus cum calido diſſipentur, mo-
deſto frigore, alia vè qualitate, reprimunt, vnitoſque conſeruant, vel
contra diſperdunt, aut iugulant; Inter quæ vnus eſt ambiens aer, qui
inſpiratu, reſpiratuque ſuo; & corporis contactu, hæc omnia, proprio
tum calore, tum frigore, ſiue ex regione ei, vel ſitu, ſiue ex anni tempo-
re, vel ex cæli ſtatu contingenti, belliſſimè præſtat; Etenim ille dũ plu-
rimum calidus, vniuerſi ſemper corporis poros reſerans, patefaciens vè
nimis, & corpus ipſum laxat, ac extenuat, & quod magis eſt, ſpirituum
ſubſtantiam adeo diſſipat, quod ſi perſeueret, ſenium acceleret; Inſu-
per & frigidus nimis, gelidusque extans, poros eouſque occludit, den-
ſatque corpus, vt tum ſummoperè deſideratam totius perſpirationem,
euidenti penè caloris præfocatione, intercipiat, tum ſpiritibus ipſis quo-
dammodo conſopitis, calidum eiſdem inſitũ extinguat, & iugulet; At-
tamen quando ille temperatus, & ad frigidum potius, quam ad calidum
inclinans eſt, tunc euidenter, non ſolum perpetua, inſpiratus, & reſpi-
ratus ventilatione, ſpiritus cum inſito illis calido recreantur, & ab omni
præfocatione immunes fiunt; verum præterea ita citra oppreſſionem con-
denſantur, ſimulque firmatur corpus, vt ipſi cum calore à nimia diſſolu-
tione præſeruentur; demumque omnia conſeruantia corporis noſtri mu-
nia foueantur adeo, augeanturque, quod & vita conſequẽter lõgius pro-
trahatur. Atque ſanè omnino talis, ſeruandarum virium gratia, aer pro-
curandus eſt, quia potiſſimum ex vſu, per integram roboris ſanitatem,
talis eſſe conſueuit; Quamquã intercurandum, ob præternaturalem cor-
poris conſtitutionem, attendenda ea ſemper aeris conditio videatur, quç
præſenti infirmæ conſtitutioni, quo ad permiſſum fuerit, aduerſetur; Id
autem proculdubio euenit, ſi, vt aer, qui morborum eatenus eſt opifex,
& virium ſubinde labefactator, quatenus vel qualitatum intemperie, vel
ſubſtantiæ vitio peccat; ita ſubſtantiæ puritate, & qualitatum congrua
proportione, morbis prorſus aduerſetur; hac etenim ratione, ille ægro
conueniet, & ſanitatis aſſequendç principium erit; Porrò quod ad qua-
litatem ſpectat, cum per hanc multifariam morbo ſit contrarius, nulli du-
bium quin conuenientis qualitatis aſſequendæ cauſæ, morbi præomnibus
ratio ſupponenda ſit, ex qua ſcilicet ſtatim, quæ per ſe, vel per accidens
contraria fuerit, decernatur; Sed quod ad ſubſtantiæ puritatem pertinet,
certum eſt eã fouendis ſpiritibus ſummopere deſiderari. quando aer exha-
lationibus coinquinatus operi huic non benè inſeruiat, ſed craſſitie ma-
uis ſua tunc ſpiritus opprimat, & ſæpe etiã malefica qualitate ſibi impreſ-
ſa, iugulet, manifeſto virium, & vitæ detrimento; Quamobrem meritò

Digitized by Google

virium ſeruandarum occaſione factum videri debet, vt dum qui præſens aer eſt, nec ægris ex ſe, nec ex arte, ſuffitibus, vel alijs ingenijs, alteratus, idoneus habeatur, vt inquam vna loci mutatione, ſed prudenter facta, ille qualis expetitur; perquirendus ſit; præſertim quod aeri neſcio quid prorſus admirabile, inſitum ſit, à quo vt ſæpe ægrotamus, ita ſæpius, vel ob ſolam eius mutationem, ſubleuamur; Dum hanc tamen mutationem vires ferant, morbusque ipſe concedat inducias; Ferunt autem vires, vbi non repentim, ad longè diuerſum, mutatio fiat, quippè ſic, nec ſtatim, nec difficile ei ſit aſſueſcere, ſed ſenſim per parum differentem, ad maximè idoneum, veniendum eſt, quod ſic ſemper minor affectio inde ſequutura videatur. Morbus prӕterea dat inducias, dum ex eorũ ille genere non ſit, qui leui motione ſtatim irritantur; vel ſaltem occaſione tẽporis eius, quale vt plurimum eſt propè ſtatum, nullum ſit futurum ægro detrimentum. Seligetur autem aer aptus ab inepto, ab his qui loca propria longius, & pro ratione præſertim temporis anni, diligenter fuerint peruagati, perluſtratique; cum vel vna contagione ſoli, vel alterius loci conſenſu, aer alius, ac alius ſit, & quidem certis anni temporibus magis; in hoc verò expertis ſtandum erit; Ambientem aerem, interſeruandas vires, imitari videntur veſtes, medicamenta cuiuſuis generis, & alia quęuis extrinſecus contingentia, quibus tum ſpiritus, cum inſito calido, à nimia diſſolutione tuentur, dum ſcilicet ipſi intra ſubſtantiæ totius ſepta, horum contingentium beneficio, fouẽtur, manutenẽturque, tum demũ ſi illi forſam oppreſſi, vt vnà calor ſuppreſſus videatur, leuato quaſi onere, liberantur, reſpirantque, & inſimul calor ipſis impreſſus exurgit, ſeque foras validiorem profert; Hæc illa ergo quæcunque fuerint, quamquam pro ægrotantis, & morbi, cui congrua ſunt, contingenti conditione, contingentia nuncupantur, neceſſario attamén quoniam per ea tempora indicantur, iure illa, ex arte per ſummam diligentiam adminiſtranda ſunt; Verum qua ratione, & forma, & qua dein quantitate, ac opportunitate conueniant, ſuo loco dicemus. Extrinſecus autem aduentantia hæc, nosque ambitu ſuo alterantia, ea ſequuntur, quæ perpetuo in nobis met, à nobis ipſis perpetrantur, interquæ ſunt, perfectiuarum actionum noſtrarum exercitationes, & otia (conſeruantia etenim opera ad nutritionem referuntur, eaque quanto firmiora, validioraque, tanto meliora, roburque virium fouentia ſunt) omnis generis; nec non & quæ occaſione curationis, ægrotanti contingenter acceſſa, his finitima eſſe conſpiciuntur, Siquidem vt exuberans, immodicuſque exercitationis operationum harum labor, ſpiritus exhauriens, virium ſubſtantiam diſſipat, ita earum ſubinde robur infringens, præſentes morbos difficiles, grauesque reddit. Otium verò, modũ, & terminum prætergrediens, calorem inertem, ſpiritus ignauos, & ad agendum ineptos, efficit, vnde merito morbus, virium oppreſſo robore, augeatur. Ita ex mediocri harum, tum otio, tum exercitio, contrarium fit; Namq; mediocre exercitùm, conuenienter, & opportunè factum, ſpiritus facile lèuat, vireſq; atque calorem, partibus intimis quaſi ſopitum, & tepeſcentem, excitat, exacuit, diffundit, foraſq; veluti ventilatio flammam, euocat, & ſic naturę opera omnra appoſitè adiuuat, vt demum morbus, quo ęger prędmitur, facilius diſſipetur; Inſuper conueniens, & rationi conſentanea quies, adeo vtilis, & proficua eſt, vt nihil magis; fatigatę enim afflictęque vires, per illam commodè reficiuntur, ac reſtaurantur, vt ijs ſubinde pellendis, quę pręter naturam inſunt, ac reliquis peragendis omnibus belle ſufficiãt.

Verum

Digitized by Google

Verum quod ægrotantium, & ægritudinis varia conditio eſt, ob quam iure vni exercitium, alteri autem otium, tum intra, tum extra mediocritatem, eſt vtile, ne ideo ex his alterutrum propriè conueniat. & quale, dein quantum, & quando ſit profuturum, præ omnibus decernendum eſt. Vt autem triplex exercitationum genus eſt, quo æger quilibet ſuis operibus multifariam exercetur; Ita & otium triplex eſt, quo æger omnis ab opere quieſcit; Exercetur porrò æger primum corporis motu, à quo calor innatus excitatur, vt obeundis naturæ munijs promptius inſeruiat; Secundo exercetur operibus ſenſus, mētisque, quibus & calor reuiuiſcit, & ad proſequenda etiam opera ſpiritus aduocantur; Demum vigilijs exercetur æger, per quas vnum, vel alterum ex dictis exercitationum generibus magis viget; Contra quieſcit æger, dum ab ipſo motu corporis abſtinet, quieſcit inſuper, ſedatis prorſus, ſenſus, & mentis agitationibus, veluti magis, atque magis id illi per ſomnum euenit. Verum tamen vtrum exercitatio, aut otium, ægro curando conueniat, virium quidem ſeruandarum ratio habenda eſt, tamen vltro etiam pellendi morbi, ſimptomatis, & cauſæ ratio non poſthabenda; quoniam & ſi excitandarum, fouendarumque virium cauſa, exercitium, vel otium vtile aliquando cēſeatur, noxium attamen illud tunc morbo, ſimptomati, atque cauſæ amborum eſſe poteſt; Dum ideo vni illud vtile percipitur, alteri quoque vtile futurum ſupponendum erit; Quare non niſi quatenus, tum otium, tum exercitium ſit ſimul, atque ſemel omnibus conueniens, aut ſaltem innoxium, ægro præcipietur. Virium autem hactenus habebitur ratio, quatenus illæ oppreſſæ, diſſolutæ vè iam videantur; quoniam dato illas eſſe oppreſſas, tunc vtile potius, quam noxium exercitium futurum eſt; Dato verò eas iam diſſipari, tunc ſine dubio vtile magis otium eſt. Præterea verò tum morbi, tum ſimptomatis, tum denique amborum cauſæ ratio etiam habebitur, ne tunc exercitium, vel otium illis faueat, ne dum ſcilicet illud prodeſt viribus, morbum validiorem, deterioremque reddat, Simptomatis ſæuitiem augeat, & cauſam, quod magis eſt, & quo ad ſubſtantiam, & quo ad agendi vim, omniquaque multiplicet. Cæterum non ſolum ſi exercitium, vel otium ægrotanti ad vires fouendas ſit profuturum ex his ſufficienter conſtabit, verum adhuc quale, ex multiplici, ac vario ociandi, exercendique modo, illud ægrotanti intercurandum conueniat, euidenter indicabitur. Sed quantum, & quouſque, vel otium, vel exercitium ſit permittendum, occaſionis ipſa magnitudo, propter quam ſcilicet vtrumuis indicatur, facilè ex ponet. Eſt enim exercitium quod validum, quod mediocre, & quod lene, aut pro ratione modi, ſeu formę, aut pro ratione durationis; Inſuper eſt otium, quod magnum, quod paruum, & quod iiſdem modis medium eſt; Quamobrem habita ratione rerum naturalium, & preæternaturalium ſimul, illud deligetur ex his, quod magis congruum, & intercurandum appoſitum fuerit. Triplex autem cum ſit communis omnibus exercitandi, ociandique modus nempè motu, quieteque corporis; ſenſus & mentis opere; & qui vtrique accomodatur, ſomno ſcilicet, atque vigilia, vt dictum eſt; In his ſpeciatim igitur quomodo æger ſe habendus ſit, vt vires foueantur, vel excitentur, recognoſcere eſt neceſſarium; Nam quod ad corporis exercitiū, otium vè ſpectat, vel illud ab intrinſeco, vel extrinſeco eſt; ab intrinſeco eſt, quilibet voluntarius membrorum motus, ab extrinſeco autem eſt, quæuis. ab externo aduentanti, corporis exagitatio, quibus ſanè ſingulis propria opponitur quies; Et ſi quia vtrumque multiplex eſt, ideo vel robuſtè,

Digitized by Google

buſtè, aut imbecilliter, vel vehementer, aut leniter, vel demum velociter, aut tardè ab eo corpus exercetur; Quare vt ſçpe in morbis curandis deſideratur exercitatio, ita vel interna, vel externa ea etiam permittitur, licet, ſi externa ſufficiat, ad internam non tranſeundum, quod ſi adhuc interna deſideretur, eius tunc differentiæ, quatenus magis, minus ve futuræ propitiç, recognoſcendæ ſint, vt pro neceſſitate exercitatio deſignetur, quæ ſcilicet ſpiritus, & vires, tum foueat, tum excitet, minimè autē opprimat, aut diſſipet, aut morbum, ſimptoma, vel cauſam augeat, ſiue amplificet. Animi exercitatio ſequitur, quæ ex varijs eiuſdem affectionibus, ob iraſcibilis, & concupiſcibilis paſſionis impetum, ſæpiſſimè cōtingens, non paruiſacienda eſt; Affectionum quippè procellis, & fluctibus ſani, & ægrotantes ita ſæpe iactamur immodicè, vt vel inde ſpiritus facilè præfocentur, vel ſaltem diſgregati celerrime diſſipentur, atque viribus conſequenter deficientibus, omnis naturæ fauor aduerſus morbum requiſitus penitus intercipiatur; Imo adhuc morbus, vel ſimptoma, per cauſæ exagitationem, creſcat, & ſæuior euadat. Quamquam eiſdem quoque affectionibus, aliquando penè ſopiti ſpiritus ita appoſitè excitentur, vt reuiuiſcentes, viribus ipſis ad obeunda munia apprime faueant; vt illi met etiam ſæpe agitati, ac mox perinde reſolubiles, commodè adeo reprimantur, reducanturque in modum, quod ſubinde robori fauor præſto ſit. Igitur vt in ægris, per ſummam animi conſtantiam, nimij affectionum impetus procul arceantur, atque ipſi quandocunque vtiles futuri ſint, in modum quo ad fieri poſſibile eſt, redigantur, ſtabili, firmaque lege, ita ſtatuendum eſt; Omnem animi impetum, qui repentim, ac valide ſpiritus commoueat, vt eos ideo vel ſic opprimat, diſſipet vè, vt naturæ munia proſequenda turbentur, infirmis, atque ſanis omnino vitato; Quod ſi remedij loco, ille ea ratione præſertim veniat permittēdus, quinimo ex arte, poetico, vel muſico ingenio procurandus, qua iam certi facti ſimus eum mediatè, vel immediatè, ſpiritus, aliud ve, in gratiam curationis, excitaturum, aut mauis impedimentum aliquod eius intercepturum, iam tu illum libenter, nihil obſiſtente, admittito. Sed tam animi, quam corporis exercitio, quieti vè, vt ferè viribus, ita quaſi ordine, connexi, & affines ſunt, ſomnus, atque vigilia; Non enim ſolum motus, verum & ſenſus, omniſque perfectiuæ actionis, ſomnus ceſſatio quædam eſt, in qua non modo, vt in corporis quiete, partes omnes à motu ceſſant, & vt per ſummam animi tranquillitatem, affectus omnes conſopiri ſolēt, ita merito ſomnus, laborum omnium corporis, animique, quaſi perfugium æſtimatur; Vigilia autem ſimilia ferè, ac exercitium præſtat, quod ſpiritus ad motum, & functiones omnes proſequendas vniuerſim excitet; Quapropter ſomni etiam, vigiliæque regula quædam neceſſaria eſt; In ægris quoniam ſomnus, vnà cum vigilijs, quamquam naturalis eſt, ſæpe tamen etiam præter naturam fit; Naturalis porrò ſomnus eſt, qui ſponte viciſſim poſt vigilias conſueto tempore fit; Præternaturalis verò eſt, qui viciſſim licet per vigilias accidat, violenter tamen, & intempeſtiuè fit; Similiter & vigilia; Dignoſcitur verò vtriuſuis differentia, ab effectis primum, ex quo nempe æger ſemper ex præternaturali ſomno, vigilia vè, deterius ſe habet, & vires ipſæ euidentius infractç manent; quod has ſomnus opprimat; vigilia autem diſſipet; Ex cauſis deinde, quia præternaturale aliquid iam pridem anteceſſerit, ſiue illud morbus, eius vè cauſa, ſiue demum ſimptoma ſit, vnde ſomnus hic, atque vigilia ortum habeāt; Atqui per ſomnum, vigiliam vè naturalem, contrarium obſeruatur; qua-

re cum

re eum non aliundè quam ab inſtinctu naturæ oriantur, perindeque ex ſe nihil vnquam mali agant, inter inter ægrotandum, illa vigilia, illeque ſomnus, ad vires fouendas vtilis cenſebitur, quem à narurali, & conſueto parum, aut minimum deceſſiſſe planum fuerit; quippè præter naturalis, vt potè à cauſa præternaturali proueniens, ſemper afficiat, & lædat. Interdum licet remedij opportunè deſiderati cauſa, & ſomnus, atque vigilia, medicamentis vtiliter, & ſi violenter, excitentur; quo caſu, dãno vtilitas ſemper præferenda eſt. Quandiu autẽ, vel quantum dormire, vigilare vè, ægris proficuum ſit, præſcribendũ eſt ſemper, quando ſi modum ſomnus quamuis naturalis exceſſerit, poſt multa in ægri detrimentũ pernitioſa mala, hoc vnum præcæteris agit, quod ſpiritus offundat, & obſcuret, functionesque inde omnes, torpore, & ignauia infringat, vt morbo demũ, & præter naturalibus omnibus fomes ſuppeditetur; Vigilia verò nimia, tum è directo ſæpè curationi aduerſetur, tum, quod magis eſt, ſpiritus exhaurit, & fatigatione diſſoluit, vt functiones pedetentim naturæ omnes, malo maiori, cadant, & infringantur. Itaque vt modus tam ſomno, quã vigiliæ intercurandũ imponatur, duo ſemper ante oculos habenda ſunt; Quorum vnũ eſt, virium ſeruandarũ robur, cuius neceſſitate magis, vel minus dormiendũ, vigilandum vè eſt; Alterum eſt, Indicatorũ omnium, tam occaſione morbi, quã cauſæ, ſeu ſimptomatis, intercurandũ repugnantia, conuenientia vè, nè porro his multum, aut minimũ, ſomnus, vigilia vè repugnet, ſiue potius illis maximè cõueniat; poſtquã aliquos rum ſomnus, tũ vigilia iuuet, aliquibus aurem omnino aduerſetur; Duobus enim his adamuſſim obſeruaris, inuicẽque comparatis, pro vincentis neceſſitate, rationabilis vigilandi, & dormiendi proportio decerni poteſt. Quod autem ad opportunitatẽ ſpectat, & ſi cuiquam non dubitandũ, quin vbique ſemper conſuetudo obſeruanda ſit, ita vt, cum ſtatis horis, per ſanitatẽ æger exerceatur, ſiue quieſcat, neceſſario quoque, per ægritudinẽ, nefas ſit ab his velle decedere; attamen quod ad aboſenda, quæ præter naturam, & conſeruanda quæ ſecundum naturam ſunt, neceſſario multa, etiam quadantenus labefactantia, atqui mox iuuatura plurimũ moliri coacti ſumus, iure in hoc conſuetudo ſæpe poſt habenda erit, cum in hoc illa negotij faceſſar parum, & ſi quoad licet, minus ab ea decedere valde ſemper proficuũ æſtimetur. Itaque ea intercurandos ægros erit exercitarionis, & otij debita opportunitas, quã non virium ſolũ tolerantia indicabit, ſed & morbus, & quæ præter naturam acceſſerinr, reliquã, per eorum varia tempora concedent, & adhuc etiã, quam opera, & inſtrumenta ex arte præſcripta, citra impedimentũ admittent. Atque de virium conſeruatione per ſotum, ſat dictum ſit. Quod adhuc tamen eueniat vt vires opprimantur, ac penè ſoffocentur, vnde non ſolum opus ſit illas per nutritionem ſufficientẽ, ac debiram reficere, & inſtaurare, ijs nempe prudenrer, & ex arte adminiſtratis, quæ ad nutritionem debitã deſiderantur, vt iam ſupra eſt indicatum; Immo etiã ne vltrò deficiant, ne vè perperam nimis diſſoluantur, alijs itidem ad vitam neceſſarijs appoſitè præſcriptis, fouere, & conſeruare valde multum oportet; Verum inſuper opræpretium ſit eaſdẽ penè oppreſſas, atque ſemiſepultas excitare, foraſque ad opus inuitare, ſeu in operis actum deducere; Hinc ideo vt reſtituendarum virium optima abſolutaque ratio ſit medico ægrum curanti conſpicua, merito alterum proponitur auxilium, quo ſanè præcereris, maximo ægrotantis beneficio, vires, quando oppreſſæ ſint, ſummoperè aduerſus morbos excitantur, & quãquã langueãt,

coguntur

eoguntur nihilominus opus ſibi debitum ſufficienter in ægri ſalutem perficere, vt ſibi ipſis deinceps ſatis conſultum eſſe videatur; Atqui certè hoc illud vnum aptiſſimè præſtat, quod intrinſecus ex arte ægro adhibitū, ſpiritus in eo generosè exſuſcitat; Hoc autem facit medicamentū, quod tum gratū cordi, & maximè ſymbolū ſit, tum calidum, vt vitali calori cōgruat, tum demū tenuis ſubſtantiæ adeo ſit, quod promptæ admodū actiuitatis exiſtat; Etenim medicamentū, quod tale fuerit, neceſſario, & euidenter ſpiritus inſitos, innatumque ſubinde calorē, & vires demū omnes vitales præſertim ac naturales exſuſcitabit; Sed quale præcisè medicamentum tale ſit, ſanè pro vrgenti neceſſitate ſolū licet decernere, quādoquidē illud multiplex eſſe poſſit, non quodlibet tamen cuilibet congruum eſt; delectus ergo illius penes medici prudentiā reſtabit ſemper; Veluti & eiuſdem quantitatis menſura, quæ pro ægrotantis tollerantia inprimis metienda eſt, & ſi inſimul etiam medicamenti iampridem obſeruata vis, & actiuitas diligenter præcognoſcenda, & ne inſuper ea integrè, vel partitè ſuppeditanda ſit, æſtimanda videatur; Verum opportunitas adminiſtrationis illius præcæteris attendenda eſt, ſi quidem intempeſtiuè adhibeatur, detrimentum peſſimū ſit allaturum; Quamobrē non in omni morbo vtilè illud futurum eſt, quia non in vehementer calido, & in quo iam diſſipatæ nimis vires ſunt (niſi cum eo venefica vis annexa fuerit, vrget enim neceſſitas tunc) quandoquidem ex mdicamento hoc tunc inflammatis, diſſolutiſque perperā ſpiritibus, vires facilè vltro deffecerent; Sed ſi dandum medicamentū hoc, maximè vtique dandum in frigido, vel minus calido ac nondum viribus diſſipatis, & magis quidem vbi venefica qualitas permixta cenſeatur; Namque in morbis his certum eſt vires oppreſſas à præſcripto medicamento ſufficienter, & vtiliter excitari poſſe, ſi præſertim illud quanto citius adminiſtretur, diebus inquā & horis, quibus natura aliquid vtile molitura æſtimetur; Quod tamen ſingula hæc, non, niſi accuratis habitis coniecturis decerni poſſunt, merito ad opus ſine prudenti conſilio non deſcendendum.

DESTRVCTIONI EORVM OMNIVM, *quæ præter naturam inſunt, morborum inquam, atque ſimptomatum, & eorum potiſſimum cauſæ, qua ratione primum natura ſponte incumbat, an nempe vtiliter, vel inutiliter, vt perinde vel ſolicitanda, vel potius intercipienda ſit, demonſtratur.*

CAPVT QVINTVM.

POSTEAQVAM autem viribus vndequaque conſultum, prouiſumque fuerit, operæpretium erit, id quod præter naturam ægrum labefactarit, funditus extirpare; Id ergo quatenus cærtis præceptis conſequi valeat demonſtrandum. Porrò quę præter naturam ægrum afficiunt, duo ſunt; Morbus nempe, & Simptoma, quod morbū eiuſuè cauſam ſequitur; Hunc ipſum itaquę

N morbū,

morbũ, vnà cum ſimptomate, ex arte, pellere doceamus; Pellitur autẽ morbus per ſe à ſuo contrario, atqui primum eius ſummota cauſa, quoniam cauſa perſiſtente, morbus ipſe manet, nec penitus euelli poteſt, quod ſi adnitaris, quantum huius demes, tantumdẽ aſſidua cauſa proferet, nunquã enim, naturalis illa cum ſit, otioſa manet, atque licet morbus, perſiſtente cauſa, interdum leuior fiat, minime tamen ſuccedit eius perfecta curatio; Cauſa igitur primum demolienda eſt, atque ita quod præter naturam inerit, radicitus extirpabitur, nihil vt eius deinceps repullulet; tum ſcilicet morbus, quo imprimis corpus afficitur, tum deinde ſimptoma, quod vt ex morbo, vel cauſa eius ducit originẽ, ita ad morbi eiuſque cauſæ deſtructionem, funditus euaneſcit, Verum enim verò quoniã morbi cuiuſuis cauſæ, aliæ remotæ ſunt, quæ præincipientes appellantur, & demum aliæ proximæ, quæ in coniunctas, & antecedentes ſubdiuidũtur: quatenus propterea vnaquæque harum, ad morbi, ſimptomatis vẽ facturam concurrit, eatenus earundẽ vnaqueque, ordine congruo, demolienda; Ex proximis quidẽ cauſis, hoc eſt coniuncta, & antecedenti, morbus, ac ſimptoma, primariam ducunt originẽ, quod ex his tamen primum coniuncta ab antecedenti ferè ſemper proueniat, ea nẽpe ratione, qua id quod illius iam antecedit, vi ſua, & poteſtate. proximam morbo hærentem cauſam, quæ coniuncta dicitur, ad morbũ faciendum, factumque vltro magis, magiſque augendum inducit; Et ſecundo antecedens ex præincipienti, tanquam ex potiſſima eius occaſione, procedat; Cauſis idcirco omnibus, quomodolibet morbum, vel illi annexum ſimptoma facientibus, ordine recto, ad ſanitatem vſque, diſſipaturis, rationi maximè conſentaneum eſt, vt ex his, hæc præincipiens (ſi aderit) priori loco pellatur; Secundo autem loco proxima, quæ antecedens; Et vltimo quæ coniuncta, immediataque eſt; Quandoquidẽ vt intercurandũ, prius diligenter incumbendũ ne factum malum creſcat, poſterius autem vt iam factum omnino eſſe deſinat, niſi quidẽ ſimul, atque ſemel vtrique conſulere conceſſum videatur, ita rationabilis artis eſt, vt cauſa morbi, quæ alterius eſt cauſa, à qua ſcilicet alia cauſa fit, & tandem morbus, ea primum ſufficienter diſſipetur, quod hac via, recta curatio bellè ſuccedat. Ergo à remotis, & præincipientibus cauſis ſumpto principio, vnde potiſſimum morbi occaſio præeſt, animaduertendum, vt aliàs diximus, eas quamplures eſſe potuiſſe; vtcunque autem ipſæ fuerint, vniuerſim de illis ſic habeto. Vbi iam fortè ipſæ receſſerint, vt iam earum nulla ſua præſentia adſit, nulla ſimiliter earum, intercurandum, habenda ratio eſt; quippe non entis nulla operatio videatur; Sed vbi adhuc ex his aliquæ maneant, ſi cognoſcantur, hæ, quoad fieri poſſit, euitandæ, abolendæque ſunt; quod equidẽ facilè futurum eſt, ex quo etiam belluæ ea promptè declinent, à quibus ſentiunt ſe offendi; Quod ſi prorſus aboleri illæ nequierint, in modum redigi ſaltem quo ad poſſibile fuerit tentandum erit, tentandum inquam vt citra virium iacturam tales, tantæque ſint, & inſuper opportunè admittantur, vt nequaquam vlteriorem morboſis cauſis occaſionem præbeant, illis quin potius omniquaque aduerſentur.

Atque de his ita vniuerſim ſentiendum, ſiue puta de genere eorum ſint, quæ extrinſecus aduentantia, ambitu ſuo afficiunt nos; Siuè quod intrinſecus aſſumpta, nos quoque receptu ſuo, ſuaque præſentia mutant; ſiuè demum quoniam, cum a nobis met in nobis ſint facta, interagendum neceſſario alterant: Ad tria enim capita hæc omnis morborum præincipiẽs occaſio, vt aliàs diximus, redigi conſueuit. Cæterum præincipientibus

cauſis

Digitized by Google

cauſis hiſce, proximæ morbi cauſæ ſuccedunt, earum ideo propulſatio, vel ſaltem rectificatio procuranda eſt; Hæ verò quamuis fortaſſe plures, differentesque eſſe poſſint, eædem nihilominus, veluti alibi explicatum eſt, ad humores noſtro inſidentes corpori, vt plurimum reducunrur ad humores inquam ſua quantitate, & qualitate peccantes, qui tum coniunctè morbum efficiunt, tum antecedenter morbo eidem ſe ſe præbent ad cauſandum accommodatos; adeo quod ne cauſæ morbi coniunctæ, quæ ipſarum met antecedenrium, humorum nempe peccantium naturam retinent) eorum quippè diſſectè portiones ſint, quæ eandem cum toto naturam habent (ne illæ inquam ex his habeant augmentum, meritò poſt remotas, præincipientes vè, morbi cauſas, ad abolendas proximiores acceſſuri, antecedentes prævalijs omnes, humores ſcilicet tũ qualitate, tum quantitate ad cauſandum accommodatos, operibus, ac inſtrumentis idoneis, in modum, ſi liceat, redigendi, vel inquam alterandi, vel tandem euacuandi, & diſſipandi ſunt; vt rurius deinceps coniunctæ cauſæ morbi, humores inquam, proximè, & immediatè morbum, ſimptoma vè cauſantes, vnà cum morbo extirpari valeanr. Er porrò ſi tales, tantique fuerint humores anrecedentes hi, vt à ſola natura proprijs viribus, citra artis opem, corrigi, emendari vè, aut etiam expelli minime poſſint, veluti ſanè in pluribus obſeruamus; Quod tamẽ aliquando eueniat, vt vel per ipſa morborum initia, aut parum longè ab his, natura ſpontè, & nullo artis impellente ſtimulo, ſed interna dũtaxat cauſæ morboſæ, humorum nempe pernitie, ſiue ea ex quantitare, ſiue ex qualitate ſit, irritata, violento quodam impetu, intempeſtiuè cogatur in noxiam eam inſurgere, illamque foras manifeſta euacuatione pro poſſe expellere; quaſi nempe dein illa ſit reliquum commodius ſuperatura, & per coctionem illud in melius permutatura, & quidem euacuatione ea, quæ fit, tũ hemoragia, per loca, vt plurimum forſam ęgro conſueta, per quæ ſcilicet indiſcriminatim quodcunque moleſtum venis ipſis collocatum foras effunditur; dum moleſtiam inquam eius natura vltro non ſuſtineat, vt in homine per hemoroidas, & in fęmina per venas menſtruas, at in vtriſque per narium venas; Tum inſuper purgatione, qua vbique vaſorum corporis peccans humor contentus, indeque morbum faciens, & fouens, ab eadem natura rectè operanti foras ſeorſim, vtili relicto, vel per vomitũ, vel per feceſſum, vel per ſudores, aliàs vè, expelli conſueuit. Er ſi nonnunquam vijs communibus, per ea morbi tempora interceptis, etiam per abſceſſum à toto videlicet in partem aliquam effectum, euacuatio quædã fiat per translarionem; Quocunque itaque modo euacuatio hęc ſpontè fiat, quoniam exitu vario illa ſępe obſeruatur, vt inquam interdum vtilis, & plerunque inutilis eſſe ſoleat, propterea merito de ea illud vnum præcognoſcendum eſt, an videlicet morbo, ſeu morbi cauſę antecedenti, arque item coniunctę congruat, aut non, etenim ſi congruat, vtilis eſtimanda eſt; Congruit autem primum, ſi humoris peccantis fuerit euacuatio, & quidem ex vaſis quibus humor peccans continebatur, ex quibus tamen etiam modo laudabili ille foras erumpat; Non congruit verò ſi alterius humoris, & ex vaſis ſit, quibus non conſiſtebat; Inſuper ſi modo moleſto, & illaudabili celebretur; Itaque vbi hemoragia ſponte facta, hoc eſt, ſanguinis eruptio pręſto ſit, quoniã humor peccãs in venis exiſtar, iam an iure ea talis cenſenda ſit, qualis merito non permittẽda ſolum, ſed adhuc illi ſauere, aut eam quoque perficere, ſit vtile ſuturum; quoties ab incepto deſierit, an contra potius auertenda, & illi tanquam inutili, & noxię obuiã ire naceſſarium ſit, ex conditione ſanguinis

Digitized by Google

è venis exeuntis, ſatis ſit conſpicuum, an puta ille totus, vel maiori ex parte talis ſit, qui antecedentis, aut item coniunctæ cauſę morbi naturā ſapiat; Et quidem ex ſubſtantia, & accidentibus eius; Subſtantia quidem, vt ſi nequaquam ſimilis fuerit ſubſtantiæ illius, qui per integrā ſanitatem, plerunque ex inflicto vulnere exit è vena, ſed in multis valdè diuerſa, vt perinde cauſæ morboſæ potius illa per id temporis palam congruat. Accidentibus verò, vt ſi ſecundum ea magis minus vè à naturalibus, ſibique per ſanitatem proprijs valdè longè diſtet, nempè aut conſiſtentia, quia tenuior, vel craſſior, aut colore, quia flauior, nigrior, altero vè alieno colore donatus, aut quoque odore, quia interdum etiam fæteat, & reliquis demum qualitatibus, à bonitate propria lōgius diſtet, adeo quod ex his facilè, illum cauſæ morbificæ naturam ſapere euidenter ſuſpicari poſſit; Atque vt hemoragia tunc profutura, minimèque nocitura, quoniam ſcilicet antecedentis, vel adhuc forte etiam coniunctæ cauſæ demolitio cenſeatur, ita ea non ſupprimenda, ſed permittēda, quinimo ſi fieri poſſit, arte irritanda, fouendaque eſt, vt quandocunque manca ſit, omnino perficiatur, quouſque inquam natura onus proprium ſufficienter depoſuerit. At ſi contrarium obſeruetur, ſanguinem videlicet omniquaque ſanum apparere, & cum optimo omni ex parte conſentire, nec plectoriæ emendandæ aliqua conſpicua fuerint inditia; profectò hemoragia tunc perperam eſt, & omnibus ingenijs ſupprimenda, vt puta ex accidenti duntaxat excitata (prudenter id tamen peragendum eſt, ne repentim repreſſus impetus, mox in partem aliquam nocenter decumbat) quippe ea tunc, malo ſucco relicto, ipſum duntaxat bonum ſit, in ſummam ægrotantis pernitiem, eductura. Cæterum poſt hæc etiam obſeruandum, an ne per loca conferentia, eadem met hemoragia celebretur. Siquidem prima vaſorum ſeries, hoc eſt inteſtina, vel meſenterium, ſi cauſam morbi, humorem nempe peccantē habeant, nulli dubiū, quod tunc hemoragia nihil, vel parum ſit profutura (excipio quæ per hæmorrohidas ſit, niſi modum exceſſerit) multum autē purgatio per ſeceſſum, per vomitumque, quando tolerabilis ſit; Attamen ſi ſecunda ſeriè, hoc eſt venis, contineatur, prodeſſe valdè poteſt hemoragia, ſed nec obeſſe purgatio, præſertim per ſudores, & per ſeceſſum. Quare an per venas, quæ venis illis conſentiant, vbi humor peccans coniunctæ cauſæ ſomes, vel ipſa quoque coniuncta cauſa, potiſſimum reſideat hemoragia fiat, obſeruandum eſt; Quoniam omnes venę licet ſibi inuicem conſentientes operi iuſto plerunque ſufficiunt, venæ attamen, quæ exiles ſunt, & ſi venis maioribus euidenter connectantur, vt per has vna multitudo ibidē exundans etiam minuatur, attamen quod illæ à maioribus, in quibus reſidet quod peccat, longè nimis fortaſſe diſtant, & adhuc affluenter pro neceſſitate ſanguinem non effundant, difficile ideo proprium morbi fomitem euomunt, niſi fortaſſe magnam boni ſucci copiam foras, longo temporis tractu, effunderent; quod non niſi ſero nimis, & per ſummam virium diſſolutionem fieri valent, ideo per has venas hemoragia inutilis eſt potius, & noxia, quam ſecus, ideoque fortaſſe ſupprimenda; per venas autem euidentes, & latas, vtilior, atque ſecurior, & permittenda, hæ quando proximè è vena maiori, quæ præcipua, inter alias, impuritatis ſedes eſt, procedentes, commodè & affluenter quod pridem præter naturam congeſtum inibi fuerat, ita euomunt, vt aliquando poſtmodum artificiola venarum reſeratio non ſit neceſſaria. Vtrū verò tunc, in ſpōtanea inquam hemoragia, quod inutile, & noxium eſt, foras modo cō-

gruo,

Digitized by Google

gtuo, ſufficienterque eruperit, ex vna quidem peccantis humoris præcognita quantitate facilè coniicitur, cuius plerunqne per hemoragiam tanta illius vacuatur copia, quanta illi ſaltem minuendæ iat eſſe poteſt. Virium tamen præſentium, & futurarum, iuxta alibi expreſſas notas, interim ſupponenda eſt tolerantia; quippe quod tunc, ſimul cum malo, boni ſanguinis quantitas exhauriatur, vnde non parua vitium ſequatur diſſolutio. Quouſque ideo tunc vires tulerint, eouſque hæc ſpontanea hemoragia permittenda eſt; Namque ſi exceſſerit, etiam prudenter ſupprimenda, veluti contra ſi exilis, & parua ſit, & per vias idoneas ceperit, vt tandem integra fiat, & deſideratæ phlebotomiæ æquè reſpondeat, (niſi virium præſens, futurus vè langor, aut aliud quid impediat) vlterius irritanda, ſolicitandaque eſt, præſertim ſi adhuc phlebotomia neceſſaria iudicetur, nec dum iampridem fuerit ex arte inſtituta, nec tempus adminiſtrationis eius præterierit. Solicitatur autem, vel per eaſdem venas, ſi per has humoris peccantis copiam ea commodè ſit demolitura, vel per illis vicarias, & conſentientes, quales ſine difficultate docet anatomes. Verum quod ad eiuſdem ſpontaneę hemoragię opportunitatem ſpectat, cum per morborum initia, ad ſtatum vſque, omnis morbi cauſa, & antecedens imprimis vigeat, que & ſimul coniunctam morbi cauſam fouet, adaugetque, veluti deinceps à ſtatu deſinit, nec vlterius proficiſcitur malum; immo paulo poſt per declinationem euaneſcit; Vtique ſi per ea tēpora, ex natura quomodolibet irritata, venis reſeratis, hemoragia ſpōte fiat, rationabile eſt, cæteris conſentientibus, illam poſſe cauſam antecedenrem, vt potè præſentem, & forte etiam coniunctę partem, magna ægri vtilitate, diminuere, per eam quando, quaſi onere leuata natura, valentius poſſit ſupra reſiduum, perindeque credibile eſt hemoragiam tunc vtilem eſſe futuram. Sequitur vacuatio, quam ſponte etiam, per ſeceſſum, per vomitum, per ſudores, vrinamque, & communibus demū aliis vijs, non rarò natura ipſa, violenti impetu ſuo, ex morbi cauſa quauis irritanti celebratur; quę inquam vacuationis illius, quæ per pharmacum tentati ſolet, vicaria eſt. Quapropter ne ea, his præſertim tentata vijs, ſemper talis, ac tanta ſit, qualis, & quanta, eiuſdem ſaltem antecedentis cauſæ morbi minuendæ occaſione, deſideratur, & ne inſuper opportunè facta cenſenda ſit, vt verè illi, quæ per pharmacum, ipſis morbi initijs, facit ex arte medicus, æquè ſit reſponſura, ſtatim ac apparuerit, diligenter eſt attendenda. Etenim niſi ex retinentis facultatis defectu præſto fuerit, (citra enim vim vllam, ferèque ſine ſenſu doloris, non ſemel, ſed ſępius facta, & longius perſeuerans, magno comitante langore, talis vacuatio adeſt, quo certè caſu, ne vltro maiori ægri damno vigeat, ei ſemper occurrendum eſt) ſanè vtilis, & proficua æſtimabitur, ſi ea ipſa tamen talis fuerit, qualem dubio procul eſſe decet, hoc eſt humorē qui antecedentis, aut item coniunctę cauſę rationem habet, per vias idoneas, euacuantem; Talem autem humorē euacuari, non alium, vel ſolo ſenſu percipitur; Per ductus inſuper idoneos euacuationem fieri conſtat, ſi per eos palam fiat, qui in vaſa cauſam antecedentem coniunctamque cōtinentia terminum habent; Sed hi vt aliàs diximus, (vel in prima, vel in ſecunda vniuerſi vaſa dirigantur) per ſeceſſum, ac vomitum primum, dein per vrinas, atque ſudores, omnem humorem effundunt, & ſi qui in ſeceſſum deſinunt, locum primum obtineant, hac quoniam via humor peccans generoſius expurgetur, at per reliquos ductus parcius; Contra nuſquam talis ſponte facta vacuatio erit, ſi nec peccantem humorē quēuis foras

uis foras eduxerit, & vel ſaltem per vias ineptas fuerit, quę non euidenter, ſed latenter, ac perperam illum quodammodo dimotum excipiant, atqui verè non educant; quales vtique ſunt anguſtæ, niſi forſam impetu præmantur nimio, eoque repetitis vicibus ſolicitentur. Ad hæc purgatio huiuſmodi tanta eſt, quanta requiritur, ſi ea quamquam non omnem, magnam ſaltem antecedenti cauſæ partem, eamque mediocri impetu demat; interim verò viribus toleretur, vt eas nullo modo frangat; Magna autem pars hæc humorum conijcitur ex præcognita eorundem peccantiũ copia, quæ modo multa, modo parua eſt, vnde tum generoſa, tum mediocris euacuatio illi aptè reſpondet; quamquam eo ſemper vacuatio ipſa permittenda, quo virium ferat tolerantia, quippe illis quamcunque ferentibus, eadem ipſa non permittenda ſolum, verum quoque (niſi quid impediat) leniter irritanda, per eoſdemque ductus placidè remedijs appoſitis ſolicitanda eſt, vt iuxta præcedentes vrgentis neceſſitatis coniecturas, illa quadantenus optatæ ſaltẽ diminutioni humorum ſatisfaciat; Appoſita remedia dicimus, quæ indicata opportuno tempore adminiſtrautur; Per initia autem morborum, quibus euacuatio hæc deſideratur, non quæcunque remedia vacuationem adiuuant, ea talia ſunt, quoniam & ſi tunc ſudores, & vrina, vtiliter permittantur, medicamenta tamen, quæ per vrinas, & per ſudores mouent, tunc minimè ſalutaria ſunt, vt ſunt illa, quæ per ſeceſſum opus imprimis ſolicitatura ſunt. Verum enim vero obſeruandum ſemper eſt, quod vacuatio per ea tempora ſpontè facta, ſi præter rationem ſit, quia ſcilicet vehementior, generoſiorque quam vires ferant, humorem quamuis peccantem educat, ea nihilominus ſi non integrè, ex parte ſaltem, appoſitis ingenijs, intercipienda eſt, atque ab impetu, retardanda, ortuſque forſam ex ea iam labor, medicamentis idoneis, ſi poſſit, leniendus eſt, vt porrò quod breui illa, ſed nocenter, factura erat, longius, viribus refectis, vtiliter, & abſque damno præſtet; Certum quidem eſt, vt ſæpe diximus, ex vacuatione etiã proportionata, vires defatigari, attamen id ſolum eis permiſſum eſt, dum mox illæ facilè reficiantur, vt futuris laboribus aptè ſufficiant. An vero purgatio hæc opportunè ita fiat, vt perinde vtilis, proficuaque adeo ſit futura, quod merito curationi plurimum ſatisfaciat; Sanè quamquam omnibus morbi temporibus eam aliquando in ægro obſeruare ſolemus, occaſione tamen cauſæ antecedentis, de qua nunc, opportunè tunc ipſa ſpontè fit, cum tuto, & iucundè cauſam antecedentem, ne vltro coniunctam augeat depopuletur; hoc autem, vt plurimum, per initia morborũ euenit, quibus tum humor antecedens valentius vrget; tum demum virtus ipſa viget, robuſtaque ſatis eſt, parum ab illa per ſanitatem diuerſa; Quare quando per malorum initia, hæc ſpontè facta purgatio obſeruetur, ſemper eam occaſione antecedentis cauſæ opportunè tentari cenſendum eſt; Et quamquam toto etiam morbi augmento ipſa antecedens cauſa viget adhuc, illa quippe ad ſtatum vſque coniunctam cauſam foueat, augeatque, quod nihilominus ad eundem ſtatum vſque, magis, ac magis illa deficiens, minus, ac minus faceſſit negotium, hinc eſt, vt quanto citius euacuatio huiusmodi celebretur, tanto melius, fęliciusque, per illã intentus finis aſſequatur. Sed quoniam vt præmittitur, per morborum initia, vijs communibus interceptis, humore autem ipſo exturgeſcenti, vnde morbus, aliquando per abſceſſum in partem aliquam effectũ, euacuatio per translationem celebretur, quæ & forſam vtilis, aut minus ſaltem noxia, & forſam inutilis, & perniciosa eſſe poteſt, ob partis ſcilicet

recipientis

recipientis conditionem, vel inquam nobilem, vel ignobilem; propterea ſanè tunc ne temerè quidquam peragatur, præcepta ea omnia artis obſeruanda erunt, quæ deinceps nos tradituri ſumus, vbi de cauſæ coniunctæ augmento ex antecedenti agimus copiosè.

QVA RATIONE CAVSAE MORBIFICAE tum antecedenti, tum coniunctæ, ex arte incumbendum ſit, operibus ſcilicet, & inſtrumentis, & quidem primum per alterationem, declaratur.

CAPVT SEXTVM.

VERVM quandocunque eueniat naturā per ſe ſponte aduerſus antecedentem morbi cauſam non inſurgere (euenit autem vt plurimum) ad artem tunc illi opem ferentem recurrere eſt operæ pretium, quæ ſcilicet operibus, ac inſtrumētis idoneis ſuppeditatis, cauſam eandem in modum redigat, ne illa vltro coniunctam cauſam morbi, inde iam propagatam, foueat; & quidem id agat, vel alterando, vel tandem euacuando, vt quod fortaſſe poſtmodū fuerit reliquum, ab eadem met natura ſponte commodius vincatur, & diſſipetur, aut item natura ipſa impotente, medico iam, arte ſua, liceat, idoneis operibus, & inſtrumentis, omnem morbi radicem euellere, & extirpare; Idonea autem artis opera ſunt, & inſtrumenta, quæcunque huic aſſequendæ indicationi, tuto, citò, atque iucundè ſufficiunt; Sufficiunt verò, ſi ex præſcriptis regulis, certa qualitate, & quantitate donentur, ſi inſuper vſu venerint tempore opportuno. Cæterum tum opera, tum inſtrumenta requiſita, ab humoris peccato, vnde morbum iam fieri ſuppoſitum eſt, vniuerſim indicantur; Humor quandoquidem ea ratione tantum corrigendus, amouendus vè ſit, qua ille præter naturam exiſtens, morbi præſentis cauſa eſt, vnde cum ſæpe talis ſit, vel quia qualitatum propriam ſymmetriam amiſſerit; vel quia proportionatam molis quantitatem ſit prætergreſſus, vt iam naturæ imperio aptè regi, gubernari vè non valeat; vel quia vtroque modo deuiet à rectо, & omnem ideo proportionem ſibi propriam perdiderit; Quamobrem cuiuis ex his determinato humoris peccato, determinatum quoque aduerſarium opus, & inſtrumentum objiciendum eſt; Atque ſi ſolum in qualitate errot adſit, alteratio merito ſolum, appoſitis ingenijs, perpetranda indicatur; Alteratio quandoquidem eſt humoris ſua qualitate peccantis in contrarium facta mutatio; Si verò peccatum in quantitate tantummodo fuerit, tunc euacuatio tantum, idoneis artis auxilijs, aggredienda eſt; Euacuatio enim eſt humoris ſua quantitate peccantis euidens demolitio; Quod ſi demum vtrumque, qualitatis ſcilicet, & quantitatis peccatum ſimul adſit, (ferè enim ſemper adeſt) vtrique etiam ſimul, proprio tum opere, tum inſtrumento, occurrere operæ pretium eſt; Itaque de operibus his, alteratione nempe, euacuationeque, ac inſtrumentis, quibus vtrunque perficitur, dicendum nobis eſt; in illiſque tum qualitas, tum quantitas, tū opportunitas indaganda. Atque vt ab inſtituto ordine nō decedamus,

mus, ſeorſim ab alteratione ordiemur; Verum quod ea circa qualitates verſetur, præmittendum ideo illas plures eſſe, nempe vel primas, vel ſecundas, ex primis emanantes, vel item tertias, ex reliquis ſimul aliquando productas, quarum vtique certa temperies, per ſanitatem, velut per ęgritudinem, intemperies humoribus indita eſt; Inſuper autem peccare eas dicendum eſt, alias manifeſtè, per apertum exceſſum, defectum vè ſimplicem, vel complicatum ipſarum; & alias latenter, vt potè cum totius humoralis temperamenti harmonicus concentus in his ita defierit, vt toto nobis proprio temperamento è directo aduerſetur, amiſerintque ideo ſimilitudinem, & ſymboleitatem illam (tertiam, & occultam qualitatem dicunt) per quam ex humoribus reficitur, & conſeruatur corpus vniuerſum; At qualiſcunque qualitatum error fuerit, quo humores ab indita proprij temperamenti ſymmetria decedant, hic met dubio procul quanto citius ęmendandus eſt, & mediocritati priſtinæ reſtituendus, per alterationem, adhibitis ijs potiſſimum inſtrumentis, quę peccantibus qualitatibus è directo aduerſantur; Similia enim ſimilibus conſeruãtur, & contraria contrarijs diſſipantur; Aduerſitas autem hęc, contrarietas vè, penes multa attendenda eſt, poſteaquam modis inſtrumentorum varijs quęuis alteratio huiuſmodi celebratur; tum inquam directè, hoc eſt per propriam, & rectam contrarietatis vim, qua puta frigidum aduerſatur calido, & calidum frigido, aut deleterio (hoc totius eſt temperamenti) alexiterium, tum indirectè, nempè alio mediatore, vt frigidum frigido, per antipariſtaſim contrarium ſępe eſt, & ſæpe ex accidenti calidum calido, vt notum eſt; Inſuper & deleterijs cõtraria ſunt multa, non vnũ, ita vt defectu alexiteriorum, quæ deleterijs aduerſantur, ſufficiant ſępe narcotica, ſeu opus quoduis inceptum, per torporem, intercipientia; Horum itaque contrariorum vſu ſufficienti, indicationi propoſitæ, alterationi inquam deſideratæ ſatisfit; Et quamquam per ſe id optimè natura interdum præſtare valeat, ea quippè inter coquendum humores quoſvis corpori contentos, caloris inditi beneficio, facilè conficiat, eoque demum alterando perducat, quo vel vtiles, nutritionique apti, vel inutiles, excrementitijque, attamen minimè noxij ſint, & prauis qualitatibus, quibus illi forſam morborum cauſa futuri ſint, denudati euadant; Ad huc tamen intercurandum ars ipſa, hoc eſt, opera inſtrumentaque eius, hoc idem pro poſſe præſtantia, minime poſthabenda ſunt, quando plerunque natura per ſe, ſine artis ope, difficilè finem intentum aſſequatur, artis autem ope adiuta, quam facilè; Ars ſiquidem naturæ imitatrix exiſtens, eidem licet exquiſitè non reſpondeat, tantum nihilominus virium addit, quod appoſitè ſuppleat neceſſitati; Et porrò tum medicamentis, tum alimentis, quibus partim natura in agendo potentiorem reddit, partim quoque ad agendum tollit impedimenta, quibus illa forſam ab opere retardatur; Et quidem primum omnibus per ſe, vel per accidens in contrarium alterantibus, vt ex his demum ſimul vitioſa quæuis humoris præſentis qualitas permutetur, & ſi non in priſtinum, aut neceſſarium, in minus ſaltem noxium ſtatum perducatur; In quibus mehercle omnibus adminiſtrandis, tum ob proprietates, quæ ſunt corporibus ægrotantibus proprię, & quæ ſola experientia depræhenduntur; tum etiam ne vni nimis aſſueſcens natura, eius vim non ſentiat, & aſpernetur, dum in codē genere mediamentum perſiſtat, per varia, & multa vagari permittitur; Sed propitius ſemper, rectuſque eorũ vſus accuratè decernendus eſt magis, quem inquam peccantis humoris ſedes indicat, ea quoniam quam

proxi-

proximis vijs, quod expetitur, vt tutò aggrediatur oſtendat; Et ne intrinſecus, vel extrinſecus, rurſum ne mediatè, vel immediatè proſequẽda alteratio ſit, ſiue in corpore vniuerſo, ſiue in parte eius duntaxat corrigendus humor ſtet, per quæ demum loca, vt ad agendum, & patiendũ, debitus contactus requiſitus præſto ſit, remedia miniſtranda fuerint, & vt eo demum quamfacilè perducantur, qua forma præſcribenda, apertè admodum indicet. Alterationis ſpeciem, ſequitur quantitas, quæ magnitudine exceſſus qualitatum in humoribus excellentium, per ipſam tamen tolerantiam totius, vel partium, quæ humoris occaſione alterationi eidem ſunt obnoxię, metienda eſt; Atque id cum ita ſit, iure quantus exceſſus ipſe fuerit, tanta etiam alteratio deſiderabitur; Quam obrem latèpatere debere alterationem, latè patente exceſſu, minorem verò deſiderari, dum ille parum à iuſto decedat, alioqui enim, vt quo, infirmior alteratio eſt, errorem quidem exceſſus quadantenus minuat, ſed nunquã prorſus tollat, vel emendet, ita alteratione modum ſuperante, exceſſum in contratium inducat; Si fieri ergo poſſit, ſemper que par exceſſui fuerit alteratio, quæque tanto receſſu, quantum & humor à propria coſtitutione diſtat procuranda eſt, alteratio quippè adamuſſim tanta, in humoribus, peccantes qualitates vniuerſim corrigat, atque perſanet. Sufficiẽtem autem quantitatem hanc, in medicamentis, hoc eſt alterantibus inſtrumentis, bifariam adeſſe dicimus; Intenſiuè nempe, & Extenſiuè; Vel quatenus ſcilicet multi, aut pauci qualitatis gradus illiſmet inſunt, quibus validius, aut imbecillius agere illis eſt conceſſum; Vel quatenus ex diuturniori adhæſu, longius, altius, & latius eorum virtus cõmunicat ſe ſe, ita namque ſępe imbecillum licet medicamentum, vel hoc nihilominus modo, ſenſim valens, & potens euadit. Sed quo nam modo, ex his, alterãtium medicamentorum quantitas, & potior, & vtilior cenſeatur, vtique poſt vnam exceſſus magnitudinem iam pridem cognitam, atque perpenſam; vnus humoris alterandi ſitus, vnà cum tolerantia partis, qua ille vel reſidet, vel per quam alterandus eſt, ſatis ſuperque conſtat; Namque ſitus quanto profundius, altius vè ſteterit, tanto maiorem ſemper alterantis inſtrumenti vim neceſſario expoſcit; Contra quanto magis in extimis fuerit, tanto minorem, longiori etenim itinere ſemper deffatigatio, ac virium ammiſſio maior, quam breuiori; Ergo tum quoque maior, tum minor diſtantia, ad exactam inſtrumenti alterantis potentiã decernendã, pro ſufficienti alteratione aſſequenda præcognoſcẽda eſt. Sed quo modo etiã, intenſiuè nè inquã, an extenſiuè, illa maior, vel minor ſit determinanda, ex tolerantia ipſa conijcitur; Tolerantiam autem hanc, conditio totius, aut partium corporis, quæ humorum corrigendorum occaſione, alterationem ipſam ſuſtinere coguntur, indicabit; quando certum ſit, neutiquam corpus quoduis, partes vè eius omnes, conſtitutione, ſimiles eſſe, ſed inuicem valdè differre, perindeque neutiquam eodẽ robore, omnem poſſe cuiuſuis alterationis impetum ſuſtinere, eo quod ſæpe, poſt proprium inſitum temperamentum, quod operi, vel inſtrumento, aliquando contrarium eſt, adhuc aut mollis, aut duræ, tum raræ, tum denſæ ſint conſiſtentiæ, per quam magis, aut minus ad patiendum accõmodentur; Quippè mollis, atque rara, difficilè intenſam alterationem ferat, facilè autem extenſam; & ſi quæ dura, denſaque fuerit, & intenſã, & extenſam pro neceſſitate admittat; Ex hac ipſa ergo totius, aut partis cõditione iam cognita, alterationis requiſitæ idonea tolerantia, & quomodo vis alterantis inſtrumenti, illi conueniat, merito fiet conſpicua,

O ne dum

ne dum humores toto, vel parti contentos, alios, alterationis ope, reddere, & in modum redigere intendentes, tales tunc eos facere, ob propriæ ſedis, alterius vè partis conſentientis, repugnantiam, auertamur, cum ſi imprudenter admitamur, aliud ab eo quod expetitur aliquando cōtingat, puta ex vno humorum peccato, in aliud totius, vel partium corporis deterius, inopinatus ſit tranſitus. Hæc itaque ea cum ſint, quorū ſumma eſſe debet obſeruatio, vt certa alterantis operis, & inſtrumenti quantitas decernatur, eadem met ideo ſibi inuicem diligenter conferenda; puta ſi magnus adeo exceſſus ſit; quod longè multum tolerantiam ſuperet, quia in præcipiti, pernitioſoque tunc ſimus, præſtabit ideo aliquo tolerantiæ diſpendio (quod tamen facilè redimi valeat) humoris peccatum tollere, quam quod ex eo mox deterius malum euadat, tunc porrò tanto exiſtente exceſſu, ſi non integrum, validum ſaltē alterationis opus, & inſtrumentum (ſiue illud intenſiuè, ſiue extenſiuè agat) admittitur, & quaſi extremo extremum vtiliter remedium adhibetur; Quod ſi contra, res ita ſe habeat, vt cum mediocri exceſſu, tolerantia conſtans, & valida ſit, iam tunc ſimul omnem, integramque deſideratam alterationem, quæ exceſſum penitus eximat, moliri conceſſum eſt, ita quoniam alterās inſtrumentum exceſſui conuenienter repugnans, mutua licet alteratione refrangatur, tandem tamen, conſtanti inſiſtentia, vincens, exceſſum, quia præter naturam eſt, emendabit. Verum quod tunc nec præceps exceſſus eſt, nec periculoſus, lentè ob id ille, paulatimque tutius eximitur, non enim citra magnam partium omnium offenſionem, magnamque iacturam, vniuerſum tunc repentim demoliri licet. Veluti & in contrariorum validorum pari robore, vbi magna vi, & vtriuſque iactura, confligitur; Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum; Paulatim verò quod fit idcirco tutum, quod tum exceſſui, tum robori partium tunc conſulatur, ille quippè abigatur, robore quam minime fieri poteſt offenſo; Lētè verò, ſeu paulatim, alterationis opus exercetur, cum inſtrumentum maiori, aut minori virtute præditum ſæpius repetatur, atqui non vſque adeo imbecillis, & languidis viribus, vt nulla inde vtilitas ſubſequatur; exceſſus enim vehementior illas ſic aſpernatur, vt his licet iteratis, nihil tamen cedat; ſed ſic duntaxat vires remediorum blandæ ſint, vt tamen iuuent; ita ſiquidem ſenſim, longiori licet tempore, exceſſus omnis depellatur, nullo aut paruo roboris diſpendio. Sed iam de alterationis opportunitate dicamus, quæ ſanè tunc ſemper euidens eſt, cum humores vitioſo aliquo qualitatum exceſſu laborent, ab initio autem morbi talis exceſſus adeſt, opportunitas itaque ipſo ſtatim initio præſto eſt, ſtatim ideo atque adoritur morbus, alterationem aggredi neceſſe eſt; dum inſimul tamen illa toleretur, nec aliquid ſit, quod eam impediat; Impedit autē interdum euidens cuiuſpiam noxij effectus, inde ex accidenti, quaſi neceſſario, pro ſubiecti diſpoſitione, futuri, ſuſpicio, ob quam ſcilicet tūc, vel retardatur, vel etiam peruertitur legitimus medendi vſus; Sed ſi liceat ſtatim opus inchoandum, & tamdiu in eo perſeuerandum eſt, quamdiu humores ad propriam ſymmetriam, vel propè ſaltem reſtituantur. Cæterum quoniam exceſſus hic humorum, non vnius generis eſt, cui meritò ſemper ſimplex alteratio ſat eſſe poſſit, at, vt plurimū, diuerſi, multiplicis vè, quod humores ſæpiſſimè non primis qualitatibus tantum peccent, ſed ſimul, & ſemel etiam ſecundis, & à toto ſæpe temperamento, ex quo alterationis opus merito requiritur varium, vt nempe omnes exceſſus corrigat; Et quidem id cum ita ſit, attendendus diligenter ordo

eſt, qui

Digitized by Google

eſt, qui in corrigenda humorum qualitate ſit obſeruandus, quippè ſi correctio, alteratio vè multiplex requiratur, quæ item ſimul nequaquã proſequi valeat, quod ideo prioritatem, & poſterioritatẽ ſeruare opus ſit, ab ea nos tunc ſumemus exordiũ, quæ magis vrget, ab eaque, quæ eſt cauſa alterius, vel ab ea demum ſine qua alia fieri nullo modo poſſit; atque iuxta hunc prioritatis, & poſtetioritatis ordinem, temporis variã ſeruabimus opportunitatem; quæ etiam licet adhuc, per morbi tempora, quantitatis augendæ, vel minuendæ occaſione, obſeruetur vtiliter, quia nempe magis, aut minus, humores alteros facere opus ſit, attamen cum tutius ſit, vt dicebamus, ſenſim, & blandè ſemper incedere, & pattito opere vti (niſi leuior exceſſus fuerit, qui pari contratio, citra roboris iacturam, ſemel, vniuerſimque ſummoueri poſſit) ideo ferè nunquã alia operis quantitas, præter illam, qua paulatim dematur affectus, præſcribi debet. & adhuc interim, atque perpetuo, toto morbi progreſſu, pluriũ contingentium occurſus nequaquã negligendus ſit, ex quo multiplex augendæ, vel minuendæ quantitatis occaſio ſæpiſſime ortum habet; Et de alteratione humorũ vniuerſim, tum quatenus antecedunt, tum quatenus coniungũtur morbo, ſat dictum.

QVA ARTE PRAETERNATVRALIVM affectuum cauſa, quæ tamen antecedens eorum fuerit, per euacuationem depopuletur, & imprimis qua ſpecie euacuationis id aggrediendum, explicatur.

CAPVT SEPTIMVM.

AM quid de vacuationis opere, & inſtrumento cenſendum, oſtendamus; Humores ſiquidẽ, vt plurimum, non ſua qualitate ſolum, verum & quantitate, immo hac ipſa magis, ſanitatis aduerſantur, quibus ideo, cum contraria ſe inuicem pellant, poſt vnam alterationem, adhuc magis euacuatione occurrendum eſt neceſſario. Eſt ſanè euacuatio, vt alibi dictum eſt, humorum qui ſua quantitate peccantes morbũ faciunt, & fouent, deſiderata expulſio; Humores namque, per morbos ex ipſis oriundos, ea ratione tales ſunt, qua ſiue boni, & vtiles, ſiue mali, & inutiles, quanticunque aliquando fuerint, ad vires attamen collati, plures omnino ſunt, quam ab illis, vel attractione, vel retentione, vel coctione, vel demum iuſta expulſione, regi, gubernarique poſſint, atque ideo corpus, quo cõtinentur, facilè in morbum præcipites ferunt, poſtea quam licet ex ſe illi, & multi, & pauci, & mediocres eſſe poſſint, nihilominus etiam pauci, infirmis viribus, vel ſola qualitate, vel quantitates ſola, vel vtraque ſimul, ſæpe moleſti ſunt, vnde noſtri caloris gubernatione deſtituti, proprios limites prætergrediuntur, temporeque, & dierum numero, morbis cauſam præbent; atque merito vt ipſos cauſare apti nati ſunt, cauſæ antecedentis rationem habent; vt verò ex his iam morbi actu fiunt, cauſæ coniunctæ nomen conſequuntur. Ergo quandocunque humores ita ſe habeant, vt à iuſto naturæ modo defecerint, nec illi naturæ viribus in

Digitized by Google

modum redigi, nec ab eiſdem foras ſufficienter pelli valeant, arte tunc protinus auferendi, expellendique ſunt; hæc autem illorum expulſio, eorundẽ iam dicta euacuatio eſt; Quæ profectò intercurandum neceſſario conuenit, perinde atque aliud quoduis artis opus conueniens eſt; nẽpè cum indicatur, & cum toleratur. Indicatur ſanè quandocunque humores, qui morborũ cauſa fuerint, modo prædicto ſe habuerint; Toleratur præterea, ſi tunc vires ſatis ſuperque per ſe valẽtes, ſua adeo vigeãt præſentia, vt propriæ conſeruationi incumbentes, ita in poſterum tantæ futuræ ſint, vt ex ſufficienti vacuatione, vltro quam par ſit, minimè diſſipatæ, conuulſæ vè, reliquis operibus ſatis eſſe poſſint. Sed vt deſiderata vacuationis huius conditio ſemper adſit, diligenter omnes adhibendæ obſeruationes ſunt, qualitatis nempe, quantitatis, & opportunitatis, quæ in omnibus ad curandum requiſitis operibus, & inſtrumentis neceſſario requiruntur. Cæterum poſteaquã humor qui peccat, perindeque euacuandus eſt, partim morbum antecedit, & eundẽ partim comitatur, ideoque vel antecedentis, vel coniunctæ morbi cauſæ rationem habet, vt dictum eſt, iure de vacuatione humoris antecedentis primum tractandum; poſtmodum enim quæ demolitioni eiuſdem comitantis, & coniuncti conueniunt, clarius eluceſcent. Itaque quali nam operis, & inſtrumenti ſpecie, humoris huius vacuatio tentanda ſit, quando non quomodolibet, ſed determinato modo, humor qui lædit, aut qui lædere aptus eſt, demoliatur, duobus præcipuis ex fontibus aptè deducitur; Primus quorum eſt, humoris vacuandi conditio; Secundus autem, eiuſdẽmet humoris ſedes eſt, qua in ægro ille corpore reſidet; Ipſa quandoquidem conditio opus doceat, & inſtrumentum, quo opus ipſum, nempe vacuatio, proſequenda ſit; Sedes verò viam oſtendat, & modum, quo vacuatio ad votum celebratur; Namque primum, duplex conditio, ſeu qualitatis gradus eſt humorum, qui ſuo peccato, inter ægrotandum, antecedentis, deinumque coniunctæ cauſæ rationem habent; quoniam illi, vel alimentitij, vtileſque ſunt, & ad nutriendum accommodati, vt bonus ſanguis eſt; vel excrementitij inutileſque, & ad nutriendum proſus inepti, vt bilis, pituita, melancholia, aliud vè quod ad hos referatur; Præterea ſecundo, qualiſqualis humor ſit, qui antecedentis, ſubindeque cõiunctæ cauſæ rationem habeat, ille ſine dubio certis corporis vaſis continetur, vnde proprium virus effundit, vnde inquam vel qualitate, vel quãtitate lædit, quæ vtique vaſa proprijs limitibus, & terminis circonſcripta, vias enacuandi ſe ſe varias ſortiuntur; Deſcribuntur autem vaſa hæc duplici ſerie; Vna quarum, eaque prima eſt, quæ è ventriculo, ac inteſtinis, in mediam ipſam iecoris partem dirigitur, qua non ſolum venæ meſenterij, quæcunque ad portam conueniunt, ſed & cauum ipſum iecoris, lyen, & his annexæ capacitates aliæ, humoribus recipiendis idoneæ, includuntur; Altera quæ ſecunda eſt, è medio iecinore, in tenues partium ſingularum venas excurrit, compræhendens iecoris conuexum, omnemque venam cauam, ſuis etiam propaginibus per vniuerſum corporis habitum diſtributam, & tum renes, tum demum vltrò poros omnes corporis attingentem; Adeo vt humorum vaſa hæc, duplici iam deſcripta ſerie collocata, & ſi ſibi inuicem conſentiant, connexioneque quadam conſequantur, per quam vnum exinanitum, alterum illi ſuccedat, exinaniaturque, attamen magna cuiuſuis horum varietas eſt, quippe cum quodlibet proprijs finibus circunſcribatur, ideo etiam proprijs vijs, ac ductibus quodlibet, tum ſponte, tum arte generoſius expurgatur; Putà vaſorum

ſeries

ſeries prima cum vijs communibus proximè hæreat, per ſeceſſum vacuatur, & ſæpe per vomitum; Series autem vaſorum ſecunda quamquam primæ euidenter communicat, & meritò ſimilibus vijs, quibus illa onus ſuum deponit, hoc eſt, per ſeceſſum, & vomitum ſufficienter exoneratur, proprius attamen per vrinam, & cutis poros, ab omni coluuie expurgatur; verum adhuc illa per artificioſam venarum reſerationem potentiſſimè ab onere ſubleuatur; Atqui hae ſecunda vaſorum ſerie, non autem prima, humor qui bonus eſt, & ad alendum conſecratus, videlicet ſanguis, propriè reſidet, quoniam ſi eam ille aliquando ęgrediatur, euidenter propriam conditionem amittit, corrumpiturque; Prima vero vaſorum ſerie, licet etiam qui futurus eſt bonus, & alimẽtitius, primo quoque ingreſſu recipiatur, potiſſimum nihilominus ea ipſa continetur inutilis, excremenritiusque, quod ea quædam veluti omnis impuritatis ſedes ſit, quæ inquam omnem humorum colluuiem ſuperuacuam, corporis quaſi totius ſentina ſuis receptaculis recipiat; quamuis & hic met excrementitius humor in ſecunda etiam ſæpiſſimè locum habet, ſi præſertim vt contingit, coquentis hepatis facultate infracta, nondum benè purgatus ſanguis in propriam ſedem elabatur. Et quidem hæc cum ita ſe habeant, iure non vnico, ſed duplici familiariſſimo artis opere, & inſtrumento, optata, humorum cauſæ antecedentis rationem habentium, ex proprijs ſedibus, vacuatio celebratur. Primum quorum omnino violentum, & citra naturam eſt, quando vaſa, quibus humor vacuandus continetur, opere, & inſtrumento chirurgico, ſectione putà, aperiantur, vt inde quaſi fracto vaſe exiret aqua, ſic qui ſua ſede continebatur humor foras erumpat; Alterum verò & ſi per vim finem proprium conſequatur, fauentem tamen naturam, eamque ſecundam habet, quando naturæ facultas expultrix alioquin quaſi ſopita, vel impedita, tũc pharmacis opportunè adhibitis, excitetur, irritetur que, vt quod inutile, ac noxiũ eſt, proprijs ductibus ex corpore pellat. Itaque ſi humor morbi cauſa antecedẽs, vtilis, & bonus ſit, qualis eſt ſanguis, qui cum exparte propriam amiſſerit ſymmetriam, futurus naturæ moleſtus ſit, quoniam tamen adhuc ille vtilis ferè cenſendus, ipſique verè vtili, & ſincero permixtus eſt in venis, nec dum naturæ iuditium eſt expertus, quaſi ſub iudice adhuc lis eius ſtet; natura autem aduerſus inutile expellentem duntaxat facultatem exerceat, quod vero vtile eſt, vel ſaltem nondum inutile iudicatum, retinenti vi, ne defluat, quo ad neceſſe fuerit, impediat; ſanè cum id verum ſit, nequaquam ſecundo vacuationis ingenio, hoc eſt pharmaco, naturę vim excitanti, & ad pellendum irritanti, vti conueniens eſt, quia videlicet vanum, & perperam adhibeatur, ſed priori tantummodo, hoc eſt vaſorũ quibus reſidet (reſidet autẽ venis) reſeratione eius euacuatio ex arte tẽtabitur; Non niſi enim per ſummã violentiam, ægris valdè inimicam, vtilis ſuccus nempe ſanguis, per pharmacum, è venis educitur, & quamquã ſponte, euidenti plerunque facultaris pellentis impetu, per vterum, hemoroidas, atque ſeceſſum, vomitum vè, magno ægri leuamine, foras erumpat, non propterea tamen pharmaco illi congruo, ex arte euacuari poteſt, quoniam licet ſpontanea illius contingens expulſio viribus naturæ, fiat, (niſi violenter aliquando ſua copia per vaſorum fracturam viam etiam ſibi paret) ex quo, vt plurimum, temporis, dierumque tractu, portio certa ſanguinis degener, inutilis, noxiaque iudicata, quaſi excrementum foras erumpat; nihilominus cum ſolius naturæ delectu, ſecretio, expulſioque hæc præſto ſit, nec vllo irritanti medicamento. quod

hactenus

hactenus fuerit ex vſu, aſſequi aliquando tutò potuerit; Sequitur vt perperam, venarum reſeratione poſtpoſita in boni ſucci, ſcilicet ſanguinis, peccato, pharmacum adhibeatur, poſteaquam inquam omni excitamento prætermiſſo, opus hoc ſibi ſoli natura aſciſcat. Sed quod pertinet ad modum, quo artificioſa vaſorum reſeratio hæc, chirurgico opere, ritè facienda eſt, ſtatuendum quidem, apertis vbique partium venis (in his etenim vtilem ſuccum, cauſam morbi antecedentem, ſtare ſupponimus) inde contenta, nullius auxilio, foras erumpere, quando, diſruptis illis, facultas nequeat ſic, obliquis ipſis fibris, humorem continere, ac inhibere, quin is apertâ via, etiam ex longinquo, ſucceſſione quadam, per partem poſt partem, tum ſui continuitate ſeruata, tum ne vacuum detur, decidat, deffluatque, cum motu, & impetu ſuo, vel ſola parietum venarum concidentia, ille prorumpat, nihil aut minimum protrudente natura, rectis ipſis fibris venarum medijs; Attamen vt vniuerſim id, & generosè contingat, & inſuper vt ſimul atque ſemel antecedentis cauſæ decubitus in coniunctam, quatenus reuulſione opus ſit, prohibeatur, nõ quęuis venarum reſeratio ſatis eſt, ſed illarum duntaxat, in quibus tunc humor antecedentis cauſæ ratione habēs propriè continetur, & vnde exundans ille cauſam coniunctam fouet; continetur autem ferè ſemper in venis maioribus, quod in his potior vtilium humorũ maſſa, cui mixta inutilium copia eſt, collocetur, & ab illa ſimiliter in cauſam coniunctam illabatur, decumbatque; Vna igitur maiorum venarum earum, exempli gratia, quæ in vtroque ſunt cubito, reſeratione, optatæ vacuationi ſatisfit. Sed poſt hæc, quandocunque humor, qui antecedens morbi cauſa eſt, excrementitius, & inutilis iam iudicaturus ſit, vt perinde ſolum virtutis expellentis impetum ad ſui vacuationem expectet, ſi ſeriem etiam vaſorum ſecũdam corporis occupet (de prima enim alia ratio eſt) vtique vtroque ingenio, hoc eſt phlebotomia, & pharmacia, foras educi poſſe videtur; Educitur inquam phlebotomia, per quam apertis eodem modo venis, vt ſupra, quod continebatur indifferenter exit; Inſuper & pharmacia educitur, medicamentis ſcilicet, quibus ad pellendum naturalis facultas irritatur, immo vel his potiſſimum, cum tunc ſolus humor peccans, iam ab vtili humore ſecretus delectu demoliendus ſit, delectuſque ad naturam ſpectet, quæ vtili retento, inutile ſolum expellit. Verum nè ſemper tam vtili, quam inutili ibidem humore ſedem habente, vtroque ingenio vti operæ pretium ſit; Dubitandi anſam tollit ipſa artificioſi operis indicatio, cum tolerantia; Quandoquidem vtrunque interdum indicetur, ac toleretur, & eorum ſæpiſſimè alterum tantummodo appoſitum videatur; Vtique ſemper vtrunque rationabiliter indicatur, ex præſenti peccanti humore antecedenti, ſecundam vaſorum ſeriem, vt dictum eſt, occupanti, cui ſemper omnis poſſibilis conuenit euacuatio; verum tamen minimè ſemper vtrunque ad hanc aſſequendam toleratur ingenium, & profectò ob frequentem vtilis humoris inopiam, ob quam neceſſario vires minori iampridem ſpirituum copia ſuffultæ cum fuerint, vltro per phlebotomiam, vtpotè generoſam euacuationem, debiliores euaderent, quoniam fortaſſe ob vnicum reficientis vtilis ſucci defectum, inutilis autem opprimentis copioſam multitudinem, ille impoſterum nec ſuſtineri, nec in priſtinum redigi poſſent; Quare phlebotomia tunc minimè toleratur, ſed idoneum magis eſt pharmacum, quod dum ex ſe peccantē duntaxat humorem euacuat, minus ſemper ſpiritibus officiens, minus etiam vires ipſas infringat; & nihilominus licet illas ex

eo qua-

eo quadantenus cecidiſſe contingat, facile tamen ex vtili ſucco relicto, ſuo veluti pabulo, inſtaurentur; Sed poſito vtilem humorem abundare, viresque indè validas exiſtere, quod illius reliquum, poſt phlebotomiã, reparandis, ſuſtinendisque eis aptè ſufficiat, omnino tunc magis, minus, vè, pro maiori, aut minori vtilis ſucci copia, phlebotomia ipſa, vnà cum pharmaco tolerabilis eſt. Cæterum vt dum phlebotomia requiritur, nõ niſi ea, (vt quod quærimus aſſequamur) certis ex venis, & ſummo iuditio præſcribenda eſt; ita ſanè cum pharmacia deſideratur, ea omnino talis inſtituenda eſt, quæ ſic ſedi humorum vacuandorum congruat, vt illuc ſuis pertingens viribus, & inibi expellentem facultatẽ irritans, inde per proprios ductus eoſdem humores ſufficienter deturbet, & pellat.

Duas quidem diximus eſſe vaſorum corporis ſeries, quibus humor antecedens morbi cauſa, tanquam in ſede reſidet, & vnde per pharmacum illę deturbandus eſt; Et ex his primam, quæ propriè per vomitum, & ſeceſſum generosè purgatur; Deinde ſecundam, quæ licet primæ valdè cõſentiens, iiſdem omnino vijs quibus illa abundè purgatur, & ipſa copiosè onus ſuum deponat, propriè tamen per vreteras, nec non & per vniuerſi habitus poros, ab omni ſorde mundificabitur. At pharmacum, quo per vias haſce illud quod peccat nos expurgare tentamus, duplex eſt; alterum videlicet, quod ideo purgat, quia vim expellentem ad vacuandũ irritat; & alterum, quod interea ſolum humores ita diſponit, vt inſimul ad ipſos eiiciendos naturam inuitet, vt ſubindè facilis vacuatio ſuccedat. Primum vtique ea potiſſimum ratione per ſeceſſum, aut vomitum, ſuum opus exercet, qua illud inimica qualitate quapiam, & naturæ moleſta, præditum cum ſit, quotiescunque vel aſſumptum, vel iniectũ, vel aliquãdo etiam extrinſecus adhibitum, noſtroque tandem receptum corpori, eouſque detineatur, quouſque naturalis inditi caloris opè teratur, alio vè quouis modo exagitetur, vt ab eo neceſſario tenuior eius portio, vel ſaltem vapor erumpat, qui eadem met qualitate præditus cum fuerit, & per cæcos, occultosque ductus quoquouerſum effuſus, palam ſuas in corpus vires exerceat, vt puta ſi in ſtomacho, vel inteſtinis, ipſo quaſi priorum vaſorũ veſtibulo, recipiatur, iam ſucceſſione quam per partem poſt partem ei conſentientem, facultatẽ expellentem longè, latèque irritet, & quaſi ſopitam excitet, inſimulque humorẽ iam diu præter modum congeſtum, veluti quieſcentẽ, ita commoueat, vt tandẽ vnà cum pharmaco ſumpto, veluti noxium quid, illa à ſe deponat, foraſque conuenientibus patentibus vijs eiiciat. Secundum verò ea ratione, vt plurimũ, per enarratas vias, ſecunda præſertim vaſa, euacuat, qua illa integris viribus, ad ipſos vſque peccantes humores permeantia, vel attenuanti, detergentique qualitate valenter prædita cum fuerit, tum craſſos illos ſuo loco contentos potenter attenuant, colliquantque, tum viſcidos, ac infarctos omniquaque abſtergunt, & abluunt, vt conſequenter vijs corporis omnibus, ab extimis, in intimas partes vſque, apertis, per eas quantumuis reconditas, iidem humores ita diſpoſiti fluere apti ſint, vt foras, virtutis ſecernentis beneficio, ſenſim, tractuque temporis tandem erumpant. Et quidem priora corporis vaſa, primo deſcripto inſtrumento, bellè purgãtur, quoniam de poſterioribus, hoc eſt ſecundis, non facilè conſtat apud omnes, quando ea quamquã proprios habent ad euacuandum ductus, vt dictum eſt, vreteres nempe, & vniuerſæ cutis poros, per quos illa vniuerſim commodè onus ſuum deponunt; attamen præterea quatenus primis valdè conſentiunt, hactenus ſucceſſiuè per illa, & denique per ſeceſſum,

ac vo-

ac vomitum generoſè purgantur, adeo quod vijs hiſce iam licet decretis; dubium tamen oriatur, per quas ex illis purgatio tentanda ſit; Sed ſi purgandi occaſionem ante omnia propoſuerimus, ſi inquam cauſam antecedentem ſecundis vaſis contentam, ante coniunctã, ad abolendum mali augmentum, ſimulatque eius euitandum omnẽ decubitum in coniunctã, generoſè euacuandam eſſe ſupppoſuerimus; apertè conſtabit eam pharmaco priori, irritanti nempe, per ſeceſſum præſertim, non autem alio medicamento inuitanti, per vreteres, aut vniuerſæ cutis poros, vacuandã eſſe; Quippè aliàs non vnum ſequeretur inconueniens; quia primo, tunc humores antecedentis cauſæ rationem habentes, ſua adhuc vrgentes copia, intempeſtiua fortaſſe extenuatione, colliquationeque, & ex vaſis ipſis, quibus quodammodo ſegregati continebantur, exturbatione, perperam confunderentur, atque huc illuc vè delati, per vias anguſtiores, in corporis habitum deducerentur, altius figerentur, nec, ex quo ductus corporis omnes vacuationi illotum per id temporis inſeruientes ſunt impediti, facilè diſſiparentur, ſed ſe potius difficiliores euacuationi redderent, magno futuro ſemper ægrotantis detrimento. Inſuper ſecũdo quia cum iam morbus ſit in via, & cauſa antecedens ad coniunctam proficiſcatur, & potiſſimum ſi ita per euidentem fluxionem ſe habeat; Ideo tunc ſuſpicandum, ne ipſamet antecedens cauſa eorundem medicamentorum attenuantium, detergentium apperientiumque vi, iactata, & concitata, in coniunctam copioſius confluat, & morbum deteriorẽ, dificilioreque reddat, quando id facilius euenturum videatur, quam quod deſiderata, per proprios anguſtos ductus, illius generoſa ſuccedat euacuatio; Atqui pharmacum primi ordinis, quod per ſeceſſum vim expellentem irritat, nihil vſquam tale effecturum perſuadebimur, per ipſum quandoquidem non irrita, ſed fælix, citraque noxam ſuccedat per ſeceſſum euacuatio, quod apertis conſpicuisque ductibus, generoſior, breui tempore, ac vnquam, illa ſequatur, quoniam illud virtute qua pollet, per partem poſt partem (vt explicatum eſt) ſucceſſione quadam, in omne corpus quoquo verſum agens, proximam quidem partem irritat, dein verò conſentientem illi, & pro indito ad agendum robore, vſque ad illam, quæ humoris noxij antecedentis cauſæ rationem habentis ſedes eſt, etiam ſi in minoribus reconditis venis contineretur, eadem facultate perueniat, ita vt ab his neceſſario, humor, quisquis fuerit, in maiores, è quibus demum per iecur in inteſtina, patenti via, facilè, ac tutò, deuoluatur; Quare nec tunc altius humor figitur, nec difficilior fit, quinimo in violento expulſionis irritamento, ex cæcis, occultisque ductibus, ab extremo quoque corporis, quod redundat perducitur in ventrem, quod nuſquam, vijs alijs, alijsque medicamentis, promptius euenire citra noxam poſſe, credi par eſt.

QVA

QVA QVANTITATE
artificioſa eadem antecedentis cauſa euacuatio ſit metienda, expenditur.

CAPVT OCTAVVM.

ATQVI cum de humorum cauſæ antecedentis morbi rationẽ habentium vacuationis ſpecie ita decernendum videatur, æquum modo eſt, vt quid de quantitate eiuſdem ſtatuendum ſit, deliberemus. Euacuatio quandoquidem apertis inditijs quamuis indicata, nullatenus tamen indefinitè celebranda eſt, ſed quanta ſolum illa ſat fuerit, & citra inſignem noxam tolerari, ac ſuſtineri poſſit; Quippè vt perpetuo ſua præſentia morbus, dum vitæ inſidiatur, vires conuellit, ita etiam vacuatio ſi perperam morbo pellendo adminiſtretur, quaſi præter naturam quid, non parum roboris adimit; ne propterea iam afflictum grauius affligatur, ea lege ſemper celebratura euacuatio metienda eſt, qua quidem noxius, & redundans dematur humor, viribus attamen quam fieri poteſt minimum oblæſis. Lex itaque hæc, ex redundantis humoris quantitate, & ſuſtinentis virtutis tolerantia, meritò deſumenda eſt, quoniam vt ob redundantiam euacuatio deſideratur, ita pro virium robore illa tantummodo ſuſtinetur. Ergo euacuationẽ neceſſario magnam, aut paruam fore oportere, pro vacuandi humoris copia, & virium ipſarum conſenſu, præmittamus; Et ab euacuatione, quæ chirurgica venarum reſeratione, per phlebotomiam inquam, facienda eſt, ſumpto principio, quanta, & quoſque ea vtilis, & proficua futura ſit, deinceps expendamus; Sanè autem ea cum antecedentem cauſam morbi, peccantem nempe humorem quemuis, tum ſcilicet vtilem, tum inutilem, venis congeſtum, vnde cauſa morbi coniuncta fouetur, euacuet; vtique primum quanta, pro humoris peccantis quantitate, indicetur; demum ne tanta viribus toleretur, perpendendum eſt; Sed quantus exundans humor ſit, qui tantam ſui euacuationem indicat, cum ſenſibus non conſtet, mente ſaltem ex proprijs cauſis, & effectis, euidenter ſatis conijcitur; Ex cauſis puta iampridem cognitis, vnde ſiue per ſe, ſiue per accidens, humor ipſe vel multus, vel paucus, vel mediocris ducit originem; Ex effectis verò proprijs, ab ipſomet humore magis, aut minus redundanti, manantibus, obſeruatis, quemadmodum nos aliàs, cum de cauſarum morbificarũ notitia loquebamur, abundè diximus. Vtcunque verò quantitas hæc fuerit, proculdubio humoris multitudo ex ſe largam, & copioſam, mediocritas mediocrem, at paucitas paucam, aut nullam phlebotomiam expetit. Cæterum magnitudini huic præſſius virium tolerantia modum imponit, quare ne ipſi peccantis humoris copiæ æquam toleraturæ ſint vires phlebotomiam, ex earundem met virium perpenſo robore neceſſario deducitur. Atqui cum pridem ipſo morbi principio cauſa antecedens depopuletur, vt quæ poſtmodum coniuncta cauſa eſt, facilius diſſipari poſſit, perindeque non præſentes ſolum vires depopulatione exerceantur; verum futuræ etiam multifariam operibus varijs intercipiantur; profectò non tantum robur præſens ad tolerantiam metiendum, ſed & futurum neceſſario prænoſcendum eſt; Vires quandoquidem poſt phlebotomiam ita ſeruari par videatur, vt &

P alia

alia adhibenda remedia ferre, & morbi longitudini, atque iudicationi ſuſtinendæ ſatis eſſe valeant, vt inquam licet dum nos per phlebotomiam profligando malo rectè inſtitutam, in maioris cõmodi ſpem adducamur, intereaque viribus tantiſper velimus nolimus officere videamur, attamẽ dum præſentibus, atque futuris illis ex æquo ipſa reſpondeat, leuiter admodum id eueniat, & breui ſpatio duret, quod paulo poſt natura, eo quod detractũ fuerat inſtaurato, priores vires promptè recuperet. Verũ enim verò quamquã vt humoris peccantis exundans copia, ob ſignorũ demonſtrantium obſcuritatem, exquiſitè nequit intelligi, ita neque robur viriũ, quo illius ſuſtinetur euacuatio, ob eorũ quæ paſſim contingunt difficultatem, adamuſſim aſſequi poteſt, nihilominus cuius certam habere ſcientiam non licet, potior ſaltem, veriſimiliorque coniectura quærenda eſt; Atque vt ſi de humoris peccantis copia quæſtio fuerit, non dubitandum quin, ſenſu deficiente, via iam dicta, ex cauſis ſcilicet, & effectis, rectè ſufficiat; Ita ſi virium robur metiatur, vtique vel præſentium illud, vel futurarum earum eſt; Si quidẽ præſentium, qua ratione illud præueſtigetur, abundè aliàs explicauimus; Quod ſi futurarum illud idem fuerit, tunc vires primum examinabuntur quatenus præſentes, & conſeruationi propriæ incumbentes, vt longius deinceps ſint conſeruaturæ, quia nempè opportunis operibus, bono pabulo, hoc eſt ſanguinis abundantiæ fauerint, vel adhuc fauere aptæ natæ ſint, vt earum demum beneficio, requiſitæ inſtaurationi illæ potenter vacaturæ ſint, pabulo enim inſtaurationi debito, bono videlicet ſanguine ad conſeruationẽ deſiderato, abundanti, conſeruatio ipſa logius perſeuerat. Sed inſuper boni ſanguinis prę̄ſentem copiam, ex qua dein tale futurum coniiciatur, cum ſenſus non ſentiat, mens ſaltem deducet ex cauſis, ex his ſcilicet, quæ ad victum, prò corporis habilitate, requiruntur; nec non & ex effectis, ex his inquam, quæ habium corporis eucraticon, beneque nutritum exprimunt, de quibus iam alibi diximus. Secundo vires æſtimabuntur, quatenus à præter naturam, & præterrationem contingentibus, vnde tunc afficiuntur, inpoſterũ labefactaturæ ſint; Non enim hæc ſuo ſolum principio vires cõconculcant, ſed & augmento magis, ad ſtatum vſque, eas infringunt, tum quidem oppreſſione, tum diſſolutione; quæ quidem vt ex multis habent originem, ita ex multis etiam (quando ſenſus lateant) mente concipiuntur, quemadmodum iam qua arte concipienda, vbi de rerum præternaturalium pernicie, interpræſagiendum, loquebamur, diſtinctè docuimus; Sed ſpeciatim ex horum diuturnitate, & more, ſiquidem longius illis perdurantibus, diutius vires labefactantur; atqui item more ſuo ſæuius affligentibus, velentius vires infringuntur; quare ſi quando ea deinceps deteriora ſint futura, veriſimilè eſt vires in poſterum debiliores euaſuras, non item ſi contra. Omnibus his ergo ita examinatis, & vtrinque validitatis, vel inualiditatis virium teſtibus in vnum collectis, & inuicẽ diligenter, non numero tantum, ſed & præſtantia, comparatis, conſequenter quod queritur, hoc eſt quantum ſucci peccantis per phlebotomiam decenter vacuandum ſit, ne in pernitioſam debilitatem, citra conceſſam inſtaurationem, vires tandem adductæ concidant, apparebit. Nam, vt dicebamus, tum humoris copiæ, tum virium robori, huius vacuationis magnitudo accommodari debet; Aut enim illa integra proponitur, & perfectè abſoluta, quæ omnino omnem antecedentem morbi cauſam ipſis collectam venis adimat; Aut non integra, neque perfecta, ſed vtilis ſolum decernitur, quæ certè mediocris cum fuerit, talem morbi

cauſam

cauſam maiori ex parte tollat, non autem omnem; Aut demum eouſque exigua, deficienſque decernitur, quæ tantummodo parum, vel etiã minimum auferat redundantiæ; At ex his, quæ perfecta, & abſoluta quodammodo euacuatio eſt, ipſis viribus præſentibus, & in poſterũ ſeruandis nunquam congruit, quoniam cum humor antecedens mali cauſa, ita forſam bono miſceatur ſanguini, vt aperta vena, ſic moderari opus nequeat, vt ſolum redundans, vel contaminatus foras erumpat, ſed omnes qui in venis conditi humores ſunt, æquabiliter effluant, meritò ne per ſummam, perfectamque phlebotomiam imperatam, quæ omnẽ quaſi ſucci peccantis copiam eſſet demolitura, ſimul atque ſemel nimia boni ſanguinis quantitas educatur, vnde poſt hac, deficienti virium pabulo, vires ipſæ omnino deficiant; vel intempeſtiuè, & alieno tempore, nos ægrum nutrire cogamur, hoc vno prudenti conſilio operandum, nempè vena ſecta, ab exquiſita ſanguinis euacuatione abſtinendum; Sed vt ob virium præſentium, & futurarum tutelam, exquiſita hæc euacuatio pernitioſa eſt, ita ob earundem leuamen, vacuatio exigua inutilis eſt, & vana; quando igitur mancha, & diminuta illa proponatur, merito prætermittenda erit, quoniam commodi nihil, incommodi verò, atque perturbationis plurimum infert. Reſtat mediocris, quæ ferè ſemper vtilis, & laudabilis eſt, quæ non in indiuiſibili, ſed in certa latitudine conſiſtit, adeo quod modo peccantis humoris vacuandi cauſa, modo virium tam præſentiũ, quã futurarũ ſeruandarum occaſione, ea tum maior, tũ minor vtiliter celebratur; Si enim vires, & præſentes, & futuræ, valẽtes, cõſtantesque fuerint, fidenter tunc largior, pro humoris pellendi copia, conuenit euacuatio: minus validis parcior; proſtratis nulla penitus; Quod ſi humor tantus ſit, cui ſupra vires longè maior congruat euacuatio; vtique vel paulo largior illa permittitur, quod non verendum conſtantes vires aliquantiſper imminuere, dum morbi ſentina valenter exhauriatur, eæ quippè deinceps quam facilè, nullaque mora, recreentur; vel ſaltem cum tanta ſemel, & vniuerſim neutiquam admittatur, vt quã vires minimè tolerent, ſaluberrimum conſilium eſt, quod vitioſum eſt, partitè euacuare, vt viribus interim recreatis, atque refectis, reliquum euacuationis abſoluatur. Idque in diuturnis morbis præſtandum eſt, in quibus vel præſens cauſa antecedens multa ſit, vel in poſterum eadẽ, quãuis ex præmiſſa diligenti euacuatione iam diminuta credatur, ob virium tamen multiplex impedimentum, etiam ex victus regimine optimo imperato augeatur vltrò, & creſcat; In his enim vtiliſſimum, & tutiſſimũ eſt, non ſimul, & ſemel tantum (hoc enim præcipiti morbo conuenit, in quo conctatio ſemper anceps, & periculoſa eſt, meritoque extrema, & ſumma vacuatio ſtatim deſideratur) ſed partitè, & diebus interpoſitis, ſæpius, ferentibus attamen viribus, vacuationem per phlebotomiam celebrare. Quod ſi adhuc fortaſſe vires, ob debilitatem nimiam, ſimilem euacuationem ferre nullo modo poſſint, vtique ne nos morbum demere cupientes, cum eo, iugulatis viribus, ægrum de medio tollamus, tunc in roborandis illis, confirmandiſque, omne ſtudium collocabimus, quippe ſi interea ipſas recreari, ac refici contingat, iam idonea adhibebitur phlebotomia; Sed quoties vires langueant, quæſtione dignum eſt, non quid oppreſſione, vel reſolutione langueant, in omni quia euacuatione maximi referat, eas diſſipatas ab oppreſſis internoſcere; quoniam oppreſſæ, vt puta onere preſſæ, per euacuationem ſubleuarij deſiderant, eandemque ideo facilius ferunt; diſſipatæ autem ne vlterius diſſoluantur, & concidãt,

euacuationem minus ſufferunt, & ſi vbi eædem ex longa oppreſſione detentæ, tales conſequenter euaſerint, ad maiorem diſſolutionis occaſionem abolendam, valentius vacuationem admittant; Sed oppreſſas ipſas vires à diſſolutis agnoſcere, alibi ſatis demonſtratum eſt. Et de phlebotomiæ quantitate ſat ſit, quam tandem ſi quis neque artis cognitione, neque longo rerum vſu, neque prudenti, ſinceroque mentis iuditio, ſe poſſe definire crediderit, is potius infra ſubſiſtat, quam largius vacuet: Ita enim ad omnem morbi decurſum, & totius curationis neceſſitatem, vires ſeruabuntur. Sed iam de quantitate alterius vacuationis vniuerſalis, qua antecedens cauſa morbi per initia demolitur, quæ inquam per pharmacum celebratur, ſermo erit. Ex quo etenim pharmacum ita naturæ fauore indigeat, vt citra hunc, munus ſuum rectè obire nullo modo poſſit, cum præter certam quam ſummopere expetit virium tolerantiam, inſuper & naturam ipſi irritanti cooperare neceſſarium ſit; ne illud ergo interagendum naturam ſuperet, aut ſuperetur ab ea, meritò certam illius agnouiſſe menſuram operæ pretium eſt; Quare poſito euacuationem per pharmacum eſſe tentandam, vt dicebamus, vtique primum, quonam vſque, ſeu quantum ſit euacuandum, nobis præmeditandum eſt, ne ſi vltro quam par ſit, id operis proſequatur, ſpiritus diſſipentur, & maximo ægri damno, humidum ſubſtantificum colliquetur, ſubindeque conuellatur corpus, & in graues æger incidat cruciatus; vel ſi infra conſiſtat, parum, aut nihil illius, quod cupimus, conſequamur, agitemus quidem humorem, ſed non educamus, propterea que etiam ægrum in non leues moleſtias inducamus; Sanè eouſque vacuandum eſt, quouſque peccās humor, qui antecedens cauſa eſt, fuerit ſufficienter expurgatus, dum nihil tamen, ſeu parum, inde nocumenti viribus impendat; Atqui ſufficiens expurgatio, velut in vacuationibus cæteris, ex præcognita peccantis humoris vacuandi copia, primum innoteſcit; quando ille ſi multus, largam, & copioſam vacuationem exoptet, ſin autem paucus, nullam, aut ſaltem breuem, veluti ſi mediocris exiſtat, mediocrem, vel mediam tantummodo expetat; Et quamquā ipſa humoris vitioſi copia ſciri adamuſſim non poteſt, vt inde ex æquo illi euacuatio imperetur, ea tamen coniectura, ex alibi expreſſis inditijs, facilè inueſtigatur, quæ ſatis, ſuperque dirigit ad veritatem; Et ſi ſemper, vt agatur tutius, melius infra ſubſiſtere cenſeatur, quam exquiſitè euacuare; cum præſertim in cauſa antecedenti, vt plurimum, ſat ſit exuberantiam ipſam auferre, quippè ſi aliquid illius relinquatur, id deinceps commode à natura ſuperetur, & ne in coniunctam cauſam mali vltrò decumbat, commodè etiam cohibeatur. Verum enim verò ſecundo loco, an requiſita hæc euacuationis quantitas ſuſtineri poſſit à viribus, neceſſariò etiam obſeruandum eſt, poſteaquam hoc ipſum vacuationis opus, quod naturæ imprimis ope abſoluitur, nec appoſitè, nec tutò, citra virium euidentem tolerantiam, per pharmacum aggredi, & proſequi poteſt; Vt igitur res bellè ſuccedat, hæc illa tolerantia diligenter examinabitur, tum ijs potiſſimum notis, quibus, vt ſuo loco dictum eſt, vniuerſim robur virium innoteſcit, tum præſertim quibus ventriculi, & inteſtinorum, cum reliquis vacuationi inſeruientibus vaſis, inditum robur exprimitur; Exprimitur enim ex extrinſecus obſeruatis effectis, qui & totius, & partium earundem omnium munia conſequuntur, quoniam ſi vires vbique valentes, & firmæ extiterint, planè vt generoſum pharmaci operantis impetum illæ ſuſtinere aptę natæ ſunt, ita quoties opus ſit, euacuationem exactam tentare licebit, at

ſi imbe-

& imbecillæ, & languidæ, aut quocunque vitio labefactatæ eædem fuerint, aliàs omnino procedendum eſt; Et ſi cum imbecillitas hæc, vel ex diſſolutione, vel ex oppreſſione contingat, perinde ab vtrouis illa ducat originem, ipſo operis exordio cognoſcendum ſit, quia ſi ex diſſolutione fiat, minor omnino illius tolerantia ſit, quam ſi ex oppreſſione fuerit; Ne ergo perperam, interuacuandum, labefactetur vires, quibus ſemper, non tam præſentibus, quam etiam futuris, ita proſpicere opus eſt, vt aduerſus malum, pro ſanitate, ad extremũ vſque, dimicaturæ vigeant, neceſſario attendendum, vt illis vbique humorum vacuandorum copiæ cõparatis, vacuationis opus deſideratum æquè vtriſque reſpondeat. Sed quoniam pharmacum idipſum inſtrumentum eſt, quo nos præſentẽ peccantis humoris demolitionem aſſequi tentamus, vt propoſitum fuit, hinc fit, vt non quodcunque ſat ſit, ſed quod tantummodo iuſtis tum viribus, tum quantitate, & corpori, & humori purgando accommodatur; Quoduis enim pharmacum licet peccantem humorem omnẽ indifferenter pellere aptum ſua natura ſit, ex quo, vt dicebamus, pellentẽ facultatem, ſine diſcrimine, ad euacuandum quod inutile, excitet, & impellat, ex varia attamen tum ægrotantis conditione, tum humoris ſitu, & diſpoſitione, fit, vt non omne pharmacum, quacunque vi præditum, quantitate vè indifferenti adminiſtratum, operi requiſito ſatisfaciat; Quamobrem præcæteris ipſa ægri corporis erga pharmacum obedientia recognoſcenda eſt; Dein humoris purgandi ſitus; Et vltimo eiuſdem humoris diſpoſitio examinanda; Ex his etenim tribus, facilis, vel difficilis pharmaci operatio, deſiderataque eius ſecundum vim menſura æſtimatur. Porrò ægri corporis obedientia ex ſenſu oritur, quoniam ille exquiſitior, valentius, vehementiuſque pharmacis irritatur, & promptius ideo vacuationi fauet; at ſi obtuſior, & hæbetior, ſegnius, & debilius. Sed vijs, ad ſedem peccantis humoris, ineptioribus ſe habentibus, neceſſario etiam imperfectius ſuccedit opus, perfectius verò, illis aptioribus exiſtentibus. Inſuper humoris vacuandi conditio ſpectanda eſt, & ſanè ex illius cõſiſtentia, & infarctu; quoniam ſi tenuis, fluidaque fuerit, non parum fauet euacuationi; at ſi craſſa, lenta, viſcidaque ſit, & vaſis adhærens, omnino liberè vacuationi aduerſatur. Verum enim verò ęgri corporis vacuandi ſenſus, ex conſtitutione eiuſdem corporis, atque conſuetudine conijcitur; Nam calida conſtitutio, & magis ſi ſicca, quia actioni valdè faueat, ideo vegetiores ſemper habet ſenſus, vnde ſi huic accedat habitus tenuis, qui vel natura, vel victus ratione delicatior factus ſit, vtique vt ille ad agendum proptior, ita ad ſentiendum paratior eſt; non item qui craſſior, & quomolibet dutior factus eſt; Quamobrem hic ætatis potiſſimum habenda etiam ratio eſt, quoniam per pueritiam, & iuuentutem tenuior ſẽper eſt habitus, quam per ætatem conſiſtentem; de ſenio autem iam patet quod cenſendum; Dein crebris purgationibus aſſueti, pharmaco minus laceſſuntur, minuſque ita ab eo purgantur, inſueti contra magis, cõſuetudo enim familiaritatem, & familiaritas amicitiam parit, hæc autem pharmaci irritamentum ſentit minus, vnde quæ longo tempore conſueta, etiam ſi deteriora, minus tamen infeſtant, inſuetis, licet melioribus. Pharmacũ itaque ſi inſuetum, cum adhuc horridum nobis ſua natura ſit, vt ſæpe vel ipſius recordatio nos turbet, & ad vacuandum ſtimulet, plurimum ſemper vacuationi fauet; parum autem ſi conſuetum, & familiare corpori ægrotanti fuerit; Cæterum quod ad humoris ſitum, & corporis vacuandi vias ſpectat, nulli dubium quod aptitudo, vel inepties, tum

per ſe,

per ſe, tum per accidens præſto eſt, per ſe inquam ſi firmum, denſumque corpus ſit, eius quoniam viſcera, venæ, viæque omnes, ſua natura, anguſtæ ſint, vt facilè obſtruantur, coarctentur vè, atque non ita prompta inde vacuatio expectetur; vt contra ex molli, raro, & laxo, quale delicatorum hominum eſt, quia ex omni parte pateat, ex eo ideo concitati humores promptè elabuntur; per accidens autem, & præſertim ex ambientis conſtitutione, quæ ex regione, anni tempore, vel tempeſtate, an vacuationi faueat indicatur; Etenim hæc ſi caliditatem, humiditatemque ſapiat, & ſpi ret omnino ſemper laxat, aperit, & lubricas demum omnes reddit vias, per quas fęlices ſuccedant vacuationes; at ſi frigiditatem, ſiccitatemque afferat, neceſſario corpus vniuerſum denſat, & aſtringit, cogitque adeo, quod eius arctatis vijs, difficilis admodum ſuccedat euacuatio; Et ſanè magis cum humor ipſe altè reconditus, & inter corporis anfractus, à vijs communibus valdè diſtans collocetur, non enim tunc ita pridem irritanti pharmaco cedit, quam ſi aliàs ille, aut in vijs ipſis, aut propè has poſitus reperiatur. Sed poſt hæc quod ad humoris craſſitiem, viſciditatem vè, aut quod ad tenuitatem, fluiditatemque ſpectat, vnde magis aut minus vacuationi ille obtemperans ſit, profectò tum ex motu eius, tum impetu patet, namque humor qui craſſus, & viſcidus eſt, & lentè, & remiſsè agit, atqui fluidus, & tenuis, promptè, & valenter ſuos profert effectus, & vtique magis ſi cum caliditate, & ſiccitate, quã ſi cum frigiditate, humiditateque agat. Quamobrem cum pharmacorum varij ſinr gradus, puta quod alia potentiſſima ſint, alia contra imbecilla, & inter hæc ordine quodam alia mediocria ſint, merito euenit, vt pro vacuationis difficultate, vel promptitudine, ex his congruum ſeligi debeat, quod ſcilicet quantitate commoda, ſui longo iam vſu, cognita, & naturæ ægrotantis, ac humoris conditioni comparata, ſufficienter & appoſitè, antecedentem mali cauſam demoliri aptum ſit; quamquam vt cautè ſuccedant omnia, ob fallacem debitæ quantitatis pharmaci coniecturam, tutius eſt ſemper infra ſubſiſtere, quam ſummũ illius, quod fortaſſe requiritur adminiſtrare; præſertim quod pharmacum, exacta quantumuis inuentum diligentia, adhibitum, intra tamen iuſti operis terminos cõtinere in medici poteſtate non ſit, quin purà interdum, pro ſui, humoris, aut corporis diſpoſitione, aliter omnino, quam ſit propoſitum, agat. Vtcunque tamen ſit, ſemper mediocritatis ratio ita habenda eſt, vt inde non inutilis, & noxia humorum purgandorum deturbatio ſolum, ſed omnino vtilis, & propitia ſuccedat euacuatio, quæ ſine dubio, cognitis, & exploratis omnibus dictis, tuto eueniet.

DE

DE OPPORTVNITATE AGITVR, *qua atificioſa quæuis cauſæ antecedntis euacuatio præſcribenda eſt.*

CAPVT NONVM.

VERVM opportunè ſemper hæc proſequenda ſunt, opportunitas quandoquidem id vnum ſit, quod in recto, ac tuto adminiſtrando remedio negotium faceſſere conſueuerit; Vt opportunè ergo curatio per phlebotomiam (ab hac enim nobis inchoandus eſt ſermo) celebretur, proprium, congruumque ſibi tempus determinandum eſt, quo illa ſuo non fruſtretur fine; Itaque tunc illa opportunè celebrabitur, cum eam humorum è venis deturbandorum exundans copia indicabit; nec non etiam cum eandem vires præſentes, atque futuræ toleraturæ ſint, adeo quod tunc opportunè deſiderata euacuatio per phlebotomiam fiat, cum hæc duo præſertim in vnum aptè conſenſerint. Si quod autem morbi tempus eſt, quo duo hæc in vnū conſpirent, ipſum maximè morbi principium eſt; Eo quandoquidē primum, cauſa antecedens, ſua præſertim copia, vigeat, quoniam adhuc illius expulſum, diſſipatum vè, nihil ſit; & quod maximè facit, euacuationi tunc per phlebotomiā, illa, dum in venis contineatur, propriè accommodatur; quippè vt plurimum tunc cruda ſint omnia, nec dum innati coquentis caloris vi ſuperata, certiſque vaſorum ſedibus ſegregata, ſed potius bonis, ac vtilibus ſuccis per vniuerſam venarum ſeriem mixta, & confuſa ſint, vt ob id aperta vena, ex ea promiſcuè exeat etiam quod peccat. Inſuper ſecundo, eodem ſimiliter tempore, vires firmæ ſint, & cōſtantes, quia morbi ſæuitie nondum labefactatæ ſint, quod nondum ſæpius repetitum morbi impetum tulerint, perinde non admodum iis diſſimiles ſint, quæ pridem erant integra valetudine; atque licet ex euacuatione, per id temporis, quodāmodo labefactentur, attamen noxiorum humorum pondere deoneratæ, facillimè priorem ſtatum adipiſcuntur, quod per reliqua morbi tempora laceſſitæ, inſtaurationi propriæ difficilè incumbant: Si quo igitur morbi tempore, ipſo mximè principio, atque ſi morbus præceps fuerit quanto citius; hora tamen, ſi fieri liceat, maioris quietis, qua ſcilicet æger impetu morbi minus affligitur, ne tunc perperam natura à reſiſtentia retrahatur, ægerque ipſe valentius affligatur, hoc præſidij genus vtile, & opportunum eſt; Hoc enim pacto quidquid morbi in poſterum gignendum eſt, ſublata antecedentis cauſæ copia, quę quandocūque vigeat, per auctionem coniunctæ, deterius ſemper malum facit, prohiberi certum eſt, vt dein quod iam genitum, & procreatū eſt, depoſita quaſi oneris multitudine, natura euincat, & profliget. At ob id rationi minimè aduerſum eſt, quod tempore etiam augmenti, conueniēs phlebotomia celebretur, quandoquidē non rarò contingat, vigente humoris peccantis copia, vires per initia phlebotomiam non ferre, quoniā tunc illæ, licet conſtantes, impeditæ tamen fortaſsè ſint; vel quod ſpontè aliquid ab ipſis met vtiliter moliatur, à quo per phlebotomiæ opus illæ neutiquam diſtrahendæ ſunt; vel quod eiſdem potius alicunde violenter aliquid imponatur, ex quo vltro laborem non tolerent; niſi fortaſſe phlebotomia tunc adminiſtrata, illimet, quod ſponte molitur,

palam

palam faueret, aut illi, quod violenter imponitur, vtiliter aduerſaretur; quo certè caſu perperam vacuatio talis denegatur. Quare poſito per initia, propter impedimentum, nullo modo phlebotomiā celebrari potuiſſe, nemini dubium quin, perſiſtente humoris vacuandi copia, talis vacuatio omnino per morbi augmentum imperanda ſit; hoc vno ſaltē exēplo naturæ, quæ vtiliter etiam procedente tempore, exuberantem humorem è venis per hemoragiam pellit, & ſanè id ex eo maximè tentandum, quod adhuc per augmentum morbi, vires quadantenus licet afflictæ, nōdum valdè tamen diuturnitate morbi collapſæ fuerint, ſed adhuc perſiſtant, vigeantque ſatis, integritati propriæ quodammodo ſe reſtituturæ. In ſtatu autem morbi, antecedentis cauſæ morbi occaſione, à phlebotomia neceſſario abſtinendū eſt, quod tunc illa & inutilis, & noxia cenſeatur; Inutilis quidē, ex quo humor antecedens morbi cauſa, tunc iam ſummum ſui maleficij attigerit, nec vltro coniunctā cauſam augere, fouere vè, aptus natus ſit, omnino ergo fruſtra eius tentaretur euacuatio, poſteaquam ille negotium faceſſit nullum, cuius occaſione phlebotomiam imperamus; Noxia autem ea ſemper futura eſt, ex quo tunc vires morbi vigore, & impetu laceſſitæ, per eam ſummoperè labefactarentur; Inſuper cum tunc in euincendo morbo, ſuperandaque coniuncta cauſa, illæ potiſſimū ſint intentæ, meritò ne à ſuo auertantur munere, & in deterius morbus abeat, ab omni generoſo præſidio abſtinendum eſt, niſi quid fortaſſe de nouo contingens, valdèque vrgens, ex ſe illud omnino deſideraret; Etenim cum morte læſio ſit tolerabilior, vacuatio ideo tūc, extremo quaſi extremum, cum virium manifeſto diſpendio, etiam adminiſtratur, quod interdum potius remedium tentandum ſit periculoſum, quam permittendum, vt ſine ſpe æger intereat. Et hæc etiam declinante iam malo obſeruanda ſunt, niſi enim tunc nouum quid præternaturam emergat, quod certam ob cauſam phlebotomiā exoptet, ſine dubio ſemper (dum occaſione ſolum antecedentis cauſæ phlebotomia imperetur) inutilis ea, & pernitioſa eſt; Inutilis porrò, quod antecedens cauſa tunc prorſus eſſe deſierit, quæ vlterius coniunctam cauſam augeat, foueat vè, quin imo experimento certi ſimus, coniunctā cauſam tunc naturæ beneficio deuictam ita, ſuperatamque eſſe, vt morbum vltrò nullo modo illa ſeruatura ſit; Ergo & ceſſare antecedentem neceſſe eſt, à qua coniuncta dependet; Vanum itaque opus tunc phlebotomia eſt, cum occaſio vſus illius penitus eſſe ceſſarit; Pernitioſum autem velimus, nolimus tunc etiam opus cenſendum, præſertim quod per ea tēpora bonum duntaxat ſanguinem, reficiendo corpori deſtinatum, prauo ſucco relicto, euacuaret; Iam enim humor qui peccabat, morbumque coniunctè faciebat, naturæ fauete, tunc ſuperatus, & coctus cum ſit, inſimul à bono ſanguine ſeparatus, ad certaſque ductum fores quaſi tranſmiſſus, inde tandem aliquando ſpontè, vel arte, expulſurus, non amplius ipſi ſanguinis maſſe vniuerſæ confunditur, vt perinde reſeratione venarum, per quam indifferenter exit, quod tota maſſa continetur, foras ille cum ſanguine fluere aptus ſit; Itaque tunc phlebotomia imperata, inutili humore relicto, quod vtile ſolum eſt, maximo ægri damno, foras educeret. Huic verò accedit deterius quid, namque humoribus ſic ſe habentibus, ſi phlebotomia celebraretur, agitatione fortaſſe quadam, inutile, quod vi naturæ confectum, ſuperatumque eſt, & à bono ſecretum, iterum ipſi bono permiſceretur, hoc inquiraret, omnia confunderet, naturæque molitionem optimam interpellaret. Sed vt euacuatio, quam per pharmacum, aduerſus ante-

ſus antecedentem morbi cauſam, vniuerſim célebrari iuſſimus, nobis per requiſitam opportunitatē ſuccedat, animaduertendum imprimis eſt, opportunè tunc cauſam morbi antecedentem, humorem nempe ſua quantitate, & qualitate talē, qualis cauſæ coniunctæ excitandæ, fouendęque aptus natus videatur, & ſit, vbicunque vaſorum corporis ſedem habuerit, per pharmacum inde amoueri, foraſque pelli, quando hæc potiſſimū cauſa antecedens vrgeat, perindeque pellenda indicetur; Sed & cū hoc ipſum pulſionis opus pharmaco perpetrandum toleretur; Vrget ſanè ſtatim ipſo morbi principio, quando per id temporis ſemper, ſi quo alio, ex antecedenti morbi cauſa, ipſa coniuncta, vnà cum morbo, fieri videatur, reliquis enim temporibus, quibus morbus ad factum eſſe magis accedit, vt coniuncta cauſa vrgentior, ita ferè antecedens ipſa depreſſior. Atqui ne interea vacuationis eiuſdem tolerantia adſit, rationabiliter æſtimandum, ſi tum ex parte virtutis pellentis, robur ſufficiens, ac promptitudo adſit; tum ex parte humoris peccantis ad ipſam euacuationē habilitas, & diſpoſitio præſto ſit; tum denique ſi viarum, ſeu ductuum, per quos faciēda vacuatio eſt, amoto omni impedimento, deſiderabilis aderit aptitudo. Quod ad virium robur ſpectat, quo nempè liceat, pharmaco irritanti expellentem facultatem ſufficienter ad expurgandum quod cupimus excitare, profectò per morborū initia vniuerſim illud tantum, taleque, ſi vel vnquam morbi, exiſtit, vt vires tunc firmiores, conſtantioreſque ad laborem quemuis merito cenſeantur; Nec enim iam admodū tunc ijs diſſimiles ſunt, quæ pridē erant integra valetudine, putà quod impetu morbi adhuc nondū ita laceſſitæ afflictæque ſint, vt poſtea reliquis ſcilicet morbi temporibus eſſe, vt plurimū, ſolent; quare ſi quo morbi tempore antecedentis humoris euacuatio, per pharmacum, ſecundum tolerantiam, facienda ſit, ipſo maximè principio facienda; Quod ſi forſam interea vires partium, quę operi conficiendo deſeruiunt, nimiopere langueant, & vacuationi faciendæ repugnent, (ſępiſſimè enim per initia morbi contingit illas plurimū affici, atque tales ex proprijs inditijs, de quibus alibi dictum, apparent) vtique nè tunc illis vltrò labefactatis, ęger harum cauſa abeat in deterius, incumbendum reparationi, inſtaurationi vè earum prius, ſaltem per fotum, ſi nutritio non admittatur, dein pharmaci opus permittendū eſt; Ita namque deſiderata per pharmacum euacuatio, ſalubriter, & citra noxam, per initia morbi, imperabitur. Cæterum quoniam ea eatenus ſolum ſuccedit, quatenus irritante pharmaco, & pellente natura, vt ſæpius dictum eſt, humor ipſe diſpoſitus, per vias apertas foras erumpit, adeo quod non vnius artis beneficio, vt quæ per venarum reſerationem chirurgicam fit, ea ad votum ſuccedat, ſed inſuper naturæ ipſius coagentis neceſſarius eſt concurſus, ſine quo vacuatio per pharmacum impoſſibilis eſt; Iure ſanè fit, vt difficultas hic oboriatur non leuis; an porrò per morborū initia, pellendus humor ita ſe habeat, viæque ipſę ita paratæ, expeditæque ſint, vt vacuatio expectata facilè per pharmacū ſit ſucceſſura; Quando certi ſimus per eadē morbi tempora, viribus quāquam valentibus, & ad agendū benè ſe habentibus, nihilominus ex quo nunquā natura fauet, expulſioni, niſi humor pellendus excrementitius, & inutilis iam per coctionē fuerit ſufficienter iudicatus; Atqui per morborum initia adhuc cruda ſunt omnia, immo ſi vel aliàs morbi, ea valdè talia, nec perinde viæ ſatis paratæ ſunt, cum craſſities, viſciditaſque, cruditatis pediſequa, obſtructiones pariat vbique locorum. Igitur cum res ita ſe habeat, impoſſibilè videtur, per morborum initia, vacuationē

Q per

per pharmacum vtiliter, & cōmodè fore venturam. Verum quoniam humorum cruditas duplex eſt; Vna ſcilicet, quæ propriè cruditas dicitur, quæ illis ipſis ineſt, dum ab aſſumpto paſtu parum diſtantes, certiſque noſtri corporis vaſis conſiſtentes, inibi, caloris conquentis ope, plenam cōfectionem elaborationem vè, ad perfectam vſque traſmutationem in ſanguinē, nutriti vè demū ſubſtantiam, expectant; Cui cruditati, coctio ea, quæ propriè coctio eſt, meritiſſimè aduerſatur, quatenus putà inſitus nobis calor, facultatis naturalis beneficio, in eoſdem humores inſurgens, eoſque bellè conficiens, iuxta ſubiectæ materiæ varietatem, facit, vt ijdem, delectu quodam, partim in optimi alimenti ſubſtantiam, vel in illam demum nutriti permutētur; partim verò excrementitij, inutileſque, & virtutis pellentis vi omnino reijciendi iudicentur, tandē aliquādo opportunè expurgandi; Altera autem cruditas impropria eſt, quæ tū excrementitijs, tum alimentitijs humoribus ſæpe ineſt, dum hi nēpe debitam ita propriæ conſtitutionis conditionem, ſeu ſymmetriam, vel primis, vel ſecundis, vel demum alijs qualitatibus, prætergrediantur, vt naturæ ipſi iam moleſti euaſerint, & noxij; Cui ſimiliter cruditati, impropria aduerſatur coctio, per quam ipſemet inſitus calor, vel per ſe, dum optimum quoduis, naturalis facultatis ope, molitur in nobis, vel arte adiutus, eoſdem ita humores alterat, corrigitque, & in modū redigit, vt aut hi priſtinæ reſtituantur inditæ ſymmetriæ, aut vbi iam modū nimis, ad corruptionē penè, exceſſerint, in quid ſaltem minus noxium, & quāquam excrementitium, ac inutile, in tamen magis amicum reducantur. Cum vtique vera ſint omnia hæc, licet per morborū initia, dum antecedentē cauſam pellere contendimus, cruditas ſemper vigeat, quia inquam antecedens cauſa ita à recto iam deuiet, vt mox in coniunctam ſit permutatura; non quælibet attamen antecedentis humoris cruditas vacuationi per pharmacum aduerſa eſt, nec quæuis ſemper, ante euacuationem huiuſmodi, coctio eſt expectanda, ita vt nunquā per initia morborum opportunè pharmaco vti conceſſum videatur; Etenim non dubitandū, quin coctio propriè dicta omnē vacuationem huiuſmodi neceſſario antecedat, cum certi ſimus, ſola excrementa, pharmaco irritante, & natura pellente, per vias idoneas, foras expelli, quæ ſanè nuſquam excrementi rationem habent, antequā eorundē propriæ coctionis iuditium perfectè ſit celebratū, & niſi illud tale præceſſerit, nunquā expulſioni eorum fauentē naturam adeſſe, certum eſt; Adeo vt ſi antecedens morbi cauſa, humor ſit ſua natura vtilis, & alimentitius, qui mox extraneam adeptus ſit conditionem, per quam à iuſta diſtet ſymmetria, vt crudus ſaltem impropriè veniat appellandus, quia inquam ſenſim per partes degener factus, morbum iā fouere aptus eſt, quoniam nondum per morbi eiuſdē initia ille ita à propria ſymmetria diſtat, quin cum eadē magnam etiam habeat ſimilitudinē, iure tunc ſub iudice adhuc ſtat, nec dum priſtinæ integritati, vt retineatur, reſtitutus eſt, nec minus per coctionē, excrementitius, vt expellatur, iudicatus eſt; Quamobrem perperam, & inutiliter, huiuſmodi antecedenti humore ita ſe habenti, expultrix facultas in eum, per id temporis, pharmaco irritatur. Atqui ſi humor, antecedens itidē morbi cauſa, excrementitius fuerit, quippè iam talis iudicatus, per coctionem propriè dictā, extiterit (vt plurimū ſiquidem talis eſt) aliter ſine dubio ille tractandus; Namque niſi cruditas impropria euidenti fuerit impedimento, ille quanto citius, per morborū initia, ſi non omnis, eius ſaltem pars maior, pharmaco irritanti, deturbari poteſt, in hunc ſiquidem tunc

virtus

virtus expellens excitata, ſine difficultate, munus expulſionis ſuum, per vias conſuetas, pleno iure, exercebit; Porrò humor hic quamquã inutilis, & excrementitius iam coctionis propriè dictæ beneficio iudicatus, & vel forma, ac poſitu, ab alimentitio, & vtili ſeiunctus, vel forma ſaltem ab eo quomodolibet ſeparatus, adhuc tamen ille fluidus, & ad expulſionem paratus, diſpoſitus vè eſſe debet; quando plerunque ob alienam impræſſam qualitatẽ, per quam ille à iuſta ſymmetria dæcedens, crudus impropriè nuncupatus, craſſus, viſcidusque adeo ſit, vt validius conſiſtens, & obhæreſcens, non facilè per conſuetas anguſtas vias foras erumpat, in aluumque profluat; Et licet pharmaco irritanri virtus expultrix in ipſum concitetur, attamen aut difficilè, aut impoſſibilè eſt, ipſum è loco moueri; quod ſi adnitaris, neceſſariò viribus omnibus defatigatis, ſummũ cõtinget ęgrotantibus detrimentum; Quod autẽ, vt plurimũ, etiã per morborum initia, humor hic, quatenus antecedens morbi cauſa eſt, ſi non omni, maiori ſaltẽ ſui parte, vel tenui, vel mediocri eſt conſiſtentia præditus, quod vt nec dum ille morbũ actu facit, ita necdum minus cauſæ coniunctæ morbum actu facientis naturam aſſequutus ſit; Ideoque per ea tempora, cõmodè irritanti medicamento, facultatique expellenti obtẽperet, foras facilè effluxurus; meritò ex arte, eum licet tunc medicamento depellere; Verũ enim verò primum, nè per ſuam cruditatẽ, qualemcunque, ille maiori, vel minori, aut demum quanta ſui parte, craſſus, viſcidus, ad vacuationemque impeditus, vel mauis adhuc tenuis, fluidus, promptusque ſit, tum ſanè ex propria humoris ſpecie, multifariã alibi demonſtrata, tum ex motu, & effectis prænoſcendum, quippè ita ne validiori, an minus valido medicamento, ſeu pharmaco, demoliendus fuerit, fiet conſpicuum; Nam poſito humoris huiuſmodi pharmaco deturbaturi conſiſtentiã per initia morborum tenuem eſſe, vel ſaltẽ mediocrẽ (vt poſſibile eſt) tunc tutò, atque iucundè eius deturbatio, ſeu demolitio per pharmacum aſſequetur; at ſi illi craſſities, viſciditasque inſit, talis ea minor expectabitur. Sed præter aptam humorum purgandorum diſpoſitionẽ, ductus adhuc vacuationi moliendæ communes omnes, per ipſa morborum initia, liberi eſſe debent, patentesque, vt appoſito pharmaco irritanti, & virtuti expellenti, ſint obtemperantes, quia quo illi magis tales, eo generoſior futura expulſio, quo autem minus, eo ſemper parcior; Quod autem per initia morborum, vt dictum eſt, cauſa antecedenti maiori ex parte tenui, & fluida exiſtenti, difficile eſt vias adeo omnes obſtrui, quod non facilè medicamento reſeraturæ ſint. hinc euenit; vt neque ex vijs, impedimentum, vacuationi huic ſaltẽ mediocri, per ea tempora, eſſe poſſit; Hanc tamen viarum, ſeu ductuum conditionem; tum morbi ſpecies, mos, atque progreſſus, vnà cũ ſimptomatibus, morbum, & cauſam ſequentibus, in determinato habitu corporis, indicant; tum præincipientium cauſarum, antecedentem ipſam cauſam parturientium, occaſio, ſatis apertam facit; Sanè verò hoc, tum viarũ, tum humorum, alterutrius vè impedimentum, potiſſima cauſa eſt, vt per ipſa morborũ initia ferè nunquam radicitus, omnis morbis fomes, pharmaco potenti, extirpetur; quandoquidẽ ille licet, vt plurimũ excrementius, expulſionique conſecratus iam pridẽ iudicatus humor fuerit, quia attamen tunc, vel maiori ex parte iam craſſus, & viſcidus eſt. nec omnino fluidus, aut ſaltẽ viæ, per quas ipſemet interpellendũ tranſire cogitur, præpeditæ, ac penè contrictæ ſunt. hinc fit, vt per ea tempora ab vſu ſaltẽ potentioris pharmaci neceſſario abſtinendũ videatur, ne tunc

fortaſſe repentim vehementius humor concitatus, pernicioſa ægri concuſſione in ipſo conſiſtat itinere, ſeu potius iter impeditũ inueniens, alio impetu ruat, & detrimentũ aliquod grauius præter ſpem inferat; Quod etenim pharmacorum per ſeceſſum purgantium duplex præcipuus ordo ſit, vt ſuperius diximus, quippè ex his potentiora aliqua ſint, & benigniora aliqua, ideo licet potentiora tunc periculoſa, ab vſu nihilominus benigioris abſtinere nequaquam oportet, ex eo quoniam nihil noxij ſuſpicandũ; quin potius contra, quæ fortaſſe deeſt humorũ diſpoſitio, ac viarum reſeratio, ea per ipſum quadantenus ſit futura, vt quamuis interea humoris omnimoda vacuatio ſperanda non ſit, ſperanda ſaltẽ quæ valdè ſit profutura, per quã ſcilicet natura, quaſi leuata ſarcina, prõptius ſupra reliquũ ſit valitura, ne ſubinde coniuncta morbi cauſa vlterius creſcat; Quomodo verò illud tanta præſtet ſic explicandũ; poſteaquã aſſumptũ pharmacũ ventriculo continetur, primũ caloris nobis inditi ope caleſit, atteriturque, vt eius tandẽ tacita facultas naturæ inimica, ſolutis quaſi vinculis, exurgens proferat vires ſuas, & quamquã interea pharmacum maiori ſui parte ſubſiſtir in ventre, eius attamen tenuior quædam portio irrepit per vias conſuetas in corpus, & quod craſſum, viſcidumque obhæreſcens attingit, illud acri qualitate quadã attenuat, detergit, & omniquaque fluidũ reddit, reſeratis inſimul ductibus, per quos id ipſum mox eſt remeaturũ, atque ita vnico actu, duplex opus intendit; virtutẽ nempe ipſam, ad noxiũ, & inutile, quod corpore contentũ eſt, foras expellendum irritat; Et humores attenuans, ductus etiã communes non paucos, magno ægri vſu, aperit; Quod equidẽ non omni pharmaco, ſed illi duntaxat conceſſum eſt, quod in mediocriũ ordine continetur; quandoquidẽ malignũ, ac potens, & quod pernitioſa, nobisque à toto tẽperamento infenſa nimis poteſtate, donatũ eſt, nunquã è ventriculo in corpus ſubeat, ſed vix patefactũ, cum vltro ferri non poſſit, ab excellenti illico facultate, totũ, viribus totis, foras excutiatur; atqui quod benignũ eſt, illud pluribus ſui partibus omne ferè peruadit corpus, vel vno certè vrinæ argumento, quæ illius odorẽ, coloremque paſſim repræſentat. Et quidẽ per pharmacũ morbi cauſa antecedens ſic opportunè demolitur; Verum quando inſimul eã phlebotomia etiam depopulari oportere contingat, meritò de vtriuſuis ordine tunc quis dubitaret; Attamen ex his, illud ſemper eſt præferendũ, quod facilioriẽ alteri, commodioremque aditum parat; Phleboromia autẽ ad pharmaciã, veluti quædam præparatio eſt, quod phlebotomia cito, ac tuto copiã minuat, vt deonerata inde naturã pharmaciæ melius faueat, tum quia ex multitudine arctiores viarũ ductus euadanr, laxiores autẽ, ea ſublata, tum quia minori faciliorique labore tunc pellatur quod reliquũ eſt, quam quod multũ antea fuerat congeſtũ, à phlebotomia ergo iure exordiendum eſt; Et certè magis, ſi qui peccat humor, cauſæque antecedentis rationẽ habet, in venis, vnà cũ vtili humore concluſus, feruore aliquo, furoreque, quaſi concitatus, huc, illuc vè quodãmodo agitatus, præcipitẽ ſe fore oſtendat, vt plerunque fit; tunc quippè, fugaris omnibus medicamentis agitationẽ augentibus, & motum, inter quæ pharmacũ eſt præcipuũ, quieti potius incumbendũ, vt malum deterius euitetur, vt inquam augmentũ cauſæ coniunctæ, quod fortaſſe per defluxum ex agitatione poſſibile eſt, auertatur; vt inſuper cõfuſio, & diſtractio humorũ omnium, ſubindeque arctior eorundẽ in abditis incluſio, & ad euacuandũ inepties euidentior, intercipiatur; vt demũ ne cum adhuc viæ nondũ ſufficienter patentes, & apertæ ſint, ex agitatione ipſa

ne ipſa

ne ipſa tunc præceps quæppiam ruina parti principi inferatur; tunc itaque à pharmaco, quod hæc præſtare aptum eſt, prorſus abſtinere eſt neceſſarium; Siquidem licet cōmotus humor promptius foras erumpat, impetus tamen cōmotionis nimius, regularē per pharmacum impedit vacuationē, quæ inquam irritante eo, natura autem pellente, per ductus congruos celebrari conſueſcit, & mauis, ſi per vires liceat, ab ipſa potius phlebotomia inchoanda vacuatio, eſt, cum per illā valdè facilè furor iam fortaſſe vigens compeſcatur; Et porrò hic ordo ſeruandus eſt, ſi euacuandus humor ſecunda vaſorum ſerie, nēpe in venis, contineatur ſolum, quoniam ſi ſimul etiā in prima, putà in meſenterio, ille reſideat, vt inſimul quoque inde ille vacuandus videatur, profectò niſi furor iā dictus ſummopere vrgeat, vt idcirco incōmodum ægrotanti aliquod impēdat, à pharmaco ſemper inchoandū eſt, ne tunc fortaſſe dum ſecunda vaſorū ſeries per phlebotomiam exinanitur primum, interea fœda illuuie è prioribus ſedibus rapta, illa eadem vltro repleatur.

ARTIFICIOSA CONIVNCTAE *cauſæ demolitio proponitur, atqui inprimis demonſtratur, qua ratione illa, ne vltro ex antecedenti creſcat intercipiatur.*

CAPVT DECIMVM.

ET quidem abolendæ cauſæ antecedentis artificium tale eſt, quale hactenus docebamus, cauſam modo coniunctā, quatenus ex arte permiſſum fuerit, extirpare doceamus oportet; Porrò autē ea cum ex antecedenti oriatur, foueaturque, ſicuti antecedentes ex procatarcticis, ſeu præincipiētibus fit, & conſeruatur; atque intercauſandum morbum, hæc, vt illa, ſimili ferè progreſſu, gerat ſe ſe, nempe quod primū incipiat, & creſcat, demū verò facta perſiſtat, ſanè merito intercurandū morbum, quoniā vtraque, non quatenus ſtat ſolum, ſed quatenus fit, & creſcit, ita abolenda eſt, vt non tantum quod, morbi factum eſt diſſipetur, ſed præterea nè vltro inceptū progediatur, intercipiatur omnino; Ideo poſteaquam id de antecedenti cauſa hactenus factū eſt, rationi modo conſentaneū eſt, vt de cauſa coniuncta idem agamus; Hæc verò quamuis ita cauſam antecedentē conſequatur, vt illa ſublata, ipſa met vlteriori prorſus careat augmēto, vt ideo etiam ipſo curationis aggreſu, quo primum omnimoda cauſæ antecedentis deſtructio architectatur, eiuſdē coniunctæ cauſæ augmentū arceri facile poſſit, vt non niſi deinceps, quod illius factum eſt, diſſipandū relinquatur, nihilominus ex quo impoſſibilè eſt, cauſæ antecedentis partes omnes ab initio ſimul diſſipare, quin adhuc illarū multæ ſuperſtent, per quas vlterius coniuncta cauſa foueatur, & creſcat; profectò vt coniuncta cauſa hæc, vnà cum reliquo antecedentis funditus euaneſcat, modū originis, & conſeruationis vnius ex altera primum animaduertere, eundemque demum, quo ad poſſit, intercipere opus eſt; Etenim hac ratione, & ordine, quod antecedentis cauſæ relictum eſt, coniunctæ verò facturum omne, & quod iampridem factum fuerit, tutius, & certius euaneſcet.

Oritur

Oritur autem coniuncta cauſa ex antecedenti modo vario. quoniam hæc, vt aliàs diximus, humor peccans eſt, qui morbo proximè adhærelcens, ipſum met immediatè facit; antecedens verò eſt, humorum maſſa, quæcunque fuerit, ex qua coniuncta eatenus emanat, quatenus ex illa alicubi vltra modum cumulatur, ibique propriam ſymmetriã prætergrediens, tandem vim infert ſanitati, modus itaque quo humor coniuncta cauſa, ex humorum maſſa antecedenti cumulatur alicubi, modus eſt originis eiuſdem coniunctæ; Cumulatur autẽ vel fluxionis, vel congeſtionis via; Cogeſtio præter naturam ex humoribus ſenſim fit, qui alimenti vice, vel quaſi, in partem diſtribuuntur, cuius geminæ aſſignãtur cauſæ; Vna quarum ex parte virtutis eſt, illius nempè tum contricis, tum expultricis imbecillitas, ſiue ex diſſolutione talis, ſiue ex oppreſſione ea contingerit; Et altera ex parte humoris, illius videlicet iam diſtributi, vel qualitatis, vel quantitatis error; Cum enim pars ita viribus imbecillis reddicta ſit, vt nec attingentem humorem ſibi, in propriam mutare ſubſtantiam, nec demum afluentem eum à ſe longè propellere poſſit (immo ſi poſſet, obſtat nihilominus aut viarum aut vitij humoris eiuſdem impedimentum) neceſſario quædam præter naturam congeſtio fit; Vnde & humoris etiã vitio, ſi ille viribus impotentibus comparetur, hæc eadẽ congeſtio facile fit, ſi inquam ille talis, ac tantus exiſtat, qui nec viribus regi, moderarique aliquo pacto queat, ſic namque etiam promptè fit congeſtio, quia in parte ſenſim hac via humor magis, ac magis præter naturã accumulatur; Fluxio verò eſt, humorum incurſio concitatior, atque copioſior, quam parti ſit ex vſu, eaque vel humoris fluentis malitia ſit, vel partis mandantis occaſione, vel partis recipientis defectu contingit; Humor quandoquidem quantitate, qualitate vè peccans, totique, ſeu parti, cui ineſt, nimis fortaſſe moleſtus, ac ad fluendum bellè diſpoſitus, vel expellenti virtute inde alio pellitur, vel cum ibidem diu contineri ille non poſſit, ſuo ſaltem pondere deorſum in ſubiectas partes tendit; recipitur autem primum, totius eiuſdem parte aliqua, natura, vel caſu debili, & euidenti intemperie laxa, quoniam præcæteris ea ipſa tunc ad recipiendum parata, nec ad reſiſtendum valida ſit, quinimo ſi fortè grauiter langueat, dolore vè quopiam, vel calore afficiatur, ſi vel vnquam, ad recipiendum appoſitior eſt, ad eam quippe tunc humores attracti neceſſario confluant; atque vbi meatuum ductus faciles, paratoſque, & poſitum addas, maiorem, ac faciliorem etiam fluxum inuenies. Cæterum vtrum congeſtione, vel fluxione, cumulatio ipſa fiat, non ita facile ab omnibus percipitur, quando vtriuſuis radix, & origo obſcura ſatis videatur; Si tamen antecedentis humoris ſpeciem, qualitatem vè, quis accuratè expenderit; Si deinde motũ, & impetum eiuſdem diligenter obſeruauerit; Et vltimo ſi partis recipientis, ac mandantis conditionem, ac ſitum examinauerit, omnẽ tunc rei agnoſcendę poſſibilem coniecturam cõſequetur; Etenim humor qui tenuis, & acris fuerit, quoniam ad fluendum aptimè aptus, ideo ſi alicubi cumuletur, veriſſimilè eſt, fluxione cumulari, contra ſi craſſus ille, viſcidus, & lenis extiterit, congeſtione; Præterea dum repentim, & breui temporis interuallo cumulus fiat, fluxione, quia ſenſim, & longo tractu ſolum, per congeſtionem cumulus adueniat. Id verò, & ſi in extimis facilè ſatis appareat, attamen in intimis hoc difficilimum captu eſt; niſi adhuc quis, parte recipienti circonſpecta, inſuper & mandanti alia perquiſita, aliquid quod adhoc ſpectat vlterius coniiciat; Nãque ſi pars ipſa recipiens eo corporis ſitu ſtet, cui ſupereminecat alia, quę

pridem

pridem præternaturam ſuccis oppreſſa, demum vel quia validior, vel
quia præſtantior ſit, & ad longius retinendum ineptior, ideo onus ſuum
deponat, & in hanc illam recipientem immittat, ſeu deſcendere ſinat,
ea quoniam tum ad recipiendum, ob inditam diſpoſitionem aliquam, ſit
maximè prompta, tum quia ad expellendum quod ſupereſt, eandem ob
cauſam, impotens ſir, ſanè tunc fluxione cumularionem eueniſſe credi-
bile eſt; Non autem ſi pars alio ſitu ſteterir, nec adhuc modis omnibus
illa ad recipiendũ, & retinendũ parata fuerit, nec humoris qualitas, nec
motus, aliud indicauerit; tunc quoniam potius veriſimilius ſit, per con-
geſtionem, ex humore antecedentis cauſæ morbi rationem habente, cõ-
iunctam cauſam cumulari; Ergo re vtcunque ſe habenti, vt omnis cu-
mulatio arceatur, quælibet tum congeſtionis, tum fluxionis occaſio abo-
lenda eſt; A cumulatione verò per fluxionem effecta, ſumpto principio,
illud poriſſimum animaduertimus, eam, ob multiplicem ſui occaſionem,
non niſi difficilè, & vario remediorum vſu, tractuque temporis ſolum,
arceri conſueſſe, adeo quod ſæpe eriam contingat, dum cauſis, vel occa-
ſionibus eius obuiam itur, interea ex ſolo fluxionis vrgente impetu, ip-
ſam coniunctæ cauſæ cumulationem augeri; Quare vtrunque ſi liceat,
vnà præſtare opus eſt, hoc eſt, & occaſioni ipſi aduerſari, & inſimul im-
petum fluxionis, pro poſſe, intercipere, vel ſi hic plurimum vigeat, oc-
caſione ipſa, vel cauſa poſtpoſita, & reuulſione, & adhuc ſedatione, ar-
cendus impetus eſt, cauſa dein, ſeu occaſio eius quomodolibet diſſipan-
da; Eſt porrò reuulſio, illabentis, & fluenris humoris, in contrariũ tra-
ctus, in contrarium ſcilicet, quatenus ad proprium, aut eum verſus, ille,
ex quo diſceſſit fontem, retractione reuertitur; Fons autem à quo fluens
humor prouenir, & in quem, vel quẽ verſus, per reuulſionem retrahitur,
multiplex eſſe poteſt, alius quidẽ communis, alius autem penè proprius;
Communis funs duplex eſſe videtur, tum videlicet prima, tum ſecunda
vaſorum noſtri corporis ſeries, vbi, vr aliàs diximus, humor anteceden-
tis cauſæ rationem habens, qualiſcunque fuerir, conrinetur, & quãquã
duplex hæc vaſorum ſeries vniuerſum complectitur corpus, vt nullibi lo-
corum certus humoris fons eſſe videatur, nihilominus nos maiora ſeriei
vtriuſque vaſa, præ alijs omnibus, ſtatuimus fontem, puta ſecundæ ve-
nã cauã, & primæ meſenterium, quod his potiſſimũ locis, humor, quaſi
fonte ſuo, copioſior contineatur; Proprius autẽ fons eſt, pars certa cor-
poris noſtri quepiam, in qua plerunque ex communi fonte congeritur,
quod ruir in aliam, ibique morbum facit, quam vtique determinatam
cuiuſque decernere hic locus non patitur; Vrrunque verò ſit, profectò
dum antecedentis humoris, in coniunctam cauſam morbi, fluore decũ-
bentis, impetum, reuulſione impedire tentemus, neceſſario ad fontem
proprium ſemper illum reuocabimus; Et quidẽ duplici modo, per eua-
cuationem inquam cum attractione, & per attractionẽ ſine euacuatione;
primo ſanè modo reuulſio fit, ſi funtis, vnde humor emanat, manifeſta,
& generoſa tentetur euacuatio, ita vt funs ipſe quodammodo exina-
niatur, tunc enim non dubitandum, quin verus, conſtans, & validus ſuc-
cedat fluoris regreſſus, qui reuulſio eſt, quippè tunc vel exinanito funte,
vt continuatum contentorum æquilibrium vbique adſit, riuuli fortaſſe
turgidi in ipſum omnino recurrent, ob quem poſtea recurſum, velit, no-
lit, per partem poſt partem, reuulſio fir, vel ſaltem per diminutam humo-
ris copiam, ſedato turgeſcentis eiuſdem impetu, fluer vlterior intercipi-
tur. Sed opera hæc certis inſtrumentis perficienda ſunt; Verum cũ an-
teceden-

tecedentis cauſæ funs, à quo fluor (vt ab hoc ordiamur) vel corporis noſtri prima vaſorũ ſeries eſt, vel ſecũda; ſanè poſteaquã pharmacia valẽter, tũ prima, tum ſecunda vaſa vacuat, phlebotomia verò ſaltẽ ſecunda merito quæſtione dignũ videretur, vtrũ ex his vnũ, alterum vè, vel vtrunque ſimul decumbenti cauſæ antecedenti in coniunctã, per fluorẽ vt præmittitur, retrahendæ, intercipiendæ vè vtile magis, magisque cõmodum ſit futurũ; Verum enim verò quod iã ſupra docuerimus, quid de phlebotomia, pharmaciaque, in communibus totius exhauriẽdis funtibus, prima ſcilicet, atque ſecunda vaſorũ corporis ſerie, deliberandum ſit, hic propterea vbi de reuulſione, per horũ funtium euacuationẽ, ſermo eſt, de his ſolũ illud animaduerrimus, nempe vel pharmacia, vel phlebotomia adminiſtretur, attendendã fluoris occaſionem eſſe, vel cauſam, ca quippe cum interagendũ, vel pulſion s, vel attractionis impetũ humorẽ agitantem, vel demũ ſimplicẽ humoris ponderoſi decubitũ, habear annexum, vtique tunc illud nuſquam cõmodum euacuationis inſtrumentũ æſtimandũ erit, quod fluorẽ ex impetu vrgentẽ vehemẽtius augeat; Pharmacum autẽ vacuando irritat, mouet, agitar, ideoque fluxioni ex impetu quomodolibet agitanti effectæ proprijſſimè fauet; at contra Phlebotomia motũ compeſcit, impetũ ſedat, & curſum inrercipit, retrahitque euidentiſſimè; Quamobrẽ fluore per humorum agitationẽ vigente, ſemper vtilior, cõmodiorque phlebotomia cenſenda eſt; etiam quando fluor ipſe è prima vaſorum ſerie, videlicet ex meſenterio, circunſtantibusque vaſis, ortus æſtimetur, quoniã tunc ſaltem conijcere liceat, eo ex ſecunda vaſorum ſerie, hoc eſt è venis copiã humorum poſſe multiplicari; Arqui ſi ſolo decubitu, per humoris ponderoſitatẽ fluor præſto fuerit, vt nõ inutilis phlebotomia eſt (ſi fluor ex vaſis ſecundi ordinis iudicetur) ita pharmacia (vndecunque vacuatio tentanda ſit) appoſitè adminiſtratur; Et quidẽ vbi fluoris funs vaſa corporis totius cõmunia cenſeãtur, hac obſeruatione, reuulſio per euacuationẽ tentanda eſt, quoniã ſi fluoris funtem noſtri corporis partẽ quampiã eſſe cognouerlmus, vt eius propterea vacuationi, reuulſionis ergo, operã daturi ſimus, aliter ſine dubio, quouis inſtrumento vtamur, deliberandũ; Namque vt ex cõmunibus vaſis perpetuo in partes quaſuis ſingulares immiſſum cenſetur, quod in eis abundat aliquando, ira dum reuulſio ipſa, aut mandantiũ partiũ earundẽ, aut aliarum attrahentium, facienda proponatur; Cõmunium inprimis vaſorum euacuatio præmittenda eſt; Demũ verò particulatim partes ita depauperandæ erunt, vt ſi fieri poſſit, careant, & quod immittant, & quod ab illis attrahi poſſit; Sed vt prior cõmunium vaſorum euacuatio eatenus tentanda eſt, quatenus inde partes ſingulæ minimè vltro repleantur, ita ſanè pars quelibet particulatim ſic depauperanda, vt vel quod ab ea emanat, alio quam in coniunctæ cauſę ſedẽ impetum ſaciat, vel quod ab ea attractum eſt, inrercipiatur in via; Interim tamen præcautiones illæ omnes, quæ nos poſterius, vbi de cauſæ coniunctæ demolitione dicemus, explicaturi ſumus, vt puta negotio huic apprimè inſeruientes, obſeruandæ ſunt. Ita quidem reuulſio per euacuarionẽ fir; ſed quæ citra euacuationẽ, nec tunc fortaſſe congruam, nec tolerabilẽ, at per euidentẽ attractionẽ duntaxat permittitur, mulrifariã arte haberi poteſt, quando multifariã quoque, ac multiplici ingenio, fluens humor in oppoſitũ reducatur, & quidẽ non per ſe, & directè, ſed per accidens, & indirectè; quia non niſi per ſe trahatur, quod alteri annexũ cum fuerit, eodẽ attracto, neceſſariò ſuccedat; per accidens autẽ, aliàs atque aliàs, idem, vel fluentibus

tibus

tibus humoribus, vel quomodolibet è loco in locũ tranſmiſſis, facilè cõtingat; Et quidẽ primum calore vltro quã conueniat parti impreſſo, ex quo tum attractio in ea ſupra modũ excellit, ideoque perperã attrahit; tũ inſuper ad recipiendum capacitas maior accedit, rarefacta nempe partis ſubſtantia, & vaſis quibuſuis in ea contentis plus æquo dilatatis; quare tũ continuitatis ſeruandæ, tum euitandi vacui cauſa, violenter ab ea humoris copia trahitur, ſubindè autẽ proximiores partes exinanitæ, etiam à longinquo aliàs atque alias exhauriunt, & ſucceſſiuum humoris motũ faciunt, & ita calor ipſe trahit, dũ exuberanter parti imprimatur; Trahit itẽ doloroſus, moleſtusque labor, parti cuiuis quomodolibet inflictus, vel inquã per manifeſtã qualitatẽ, vel per latentem à toto tẽperamẽto inditam, quatenus porrò triſtis inde ſenſus potiſſimũ tactus ſenſatio ex triſti ſenſibili obiecto exoritur, atque ſubinde cum ſenſus ipſe tactus maximã præomnibus ſenſibus habeat cũ naturalibus facultatibus connexionẽ, vt iure aduerſus id obiectum valde moleſtũ virtus expultrix inſurgat, merito hinc partes alteri dolenti vicinæ, conſentiẽtes vè, quodã quaſi impulſu, in noxium excitatæ, verſus ipſum, partẽ vè dolentẽ ad expellendum quodãmodo contrahuntur in vnũ, comprimunturque, & ex cõpreſſione humores ex accidenti perducuntur illuc, parte inquã vna alteri debitam portionem ſuggerente, ideoque ſequela quadã manifeſta, humor, quaſi per manus, ad partẽ dolentẽ vſque, perducitur; Et hac ratione dolor, ipſe trahit; Itaque remediũ quoduis, ex quo vel calor præternaturã, vel demum dolor, vel vtrũque ſimul, parti cuipiã impertiatur, illud ad attractionem facere verũ eſt; Quamquã attractionem huiuſmodi ad reuellendũ tentaturi, vt res ſuccedat appoſitè, ex loco parti recipienti contrario, ab eaque ſatis longè diſtanti, tentare oportet; Contraria Mathematicis ſunt, quæ vnius & eiuſdem rectæ lineæ extrema tenent, vt ſurſum, deorſum, ante, retro vè, ad quæ, qui fiunt motus, contrarij dicuntur; Medicis verò contraria ſunt, quæ mauis in partium recto fibrarum proceſſu, per quem vna alteri cõmunicat, ſatis ſuperque inuicẽ diſtant, cumque id rectarum fibrarũ beneficio habeatur, (illas ſiquidem trahendo, vt tranſuerſas expellendo, natura deſtinauit) plus ideo humoris, & expeditius, ab ijs partibus attrahetur, in quas fibræ diriguntur, quam à cæteris eripiatur; tantum enim hæc fibrarũ rectitudo valet, vt per ſe humores, ſpontè, promptiori veluti curſu, rectitudine ſeruata, defluant; Quare reuulſionem per attractionẽ facturi, hanc ſemper pro poſſe ſeruabimus rectitudinẽ; Seruari autem eam, ſocietas quidẽ partium omniũ cum funte fluoris, per anatomem, docet; Dum attamen propenſio, atque conſenſus ipſarum, ex iam pridẽ factis obſeruationibus ſit conſpicuus. Non per quãcunque autẽ diſtantiam partis, aptè, atque celeriter aſſequimur, quod cupimus, quoniã vt ex finitimo loco ſemper, maioris proritandæ fluxionis periculum eſt, ita ex nimis diſtanti, tardò nimis, & ſegniter cõſequimur quod expetimus; reliquũ eſt igitur vt ſatis ſuperque diſtans locus ſit, vt poſteaquã eo retractus humor fuerit, non niſi ſero, atque difficile inde recedat, prioris fluoris impetu iterum refluxurus; Quod in reuulſionibus etiã per euacuationẽ tentandis quodãmodo ſeruare eſt operæ pretiũ, alia quoniã ſemper via ab ea, qua fluor in partem fit, ne concitatior fluor euadat, tentanda uacuatio uideatur, dum ea tamen funti proximior, & amplior, ſi liceat, deligatur, quia arctior, & remotior idem & ſi præſtet, præſtat tamen ſegnius, & imperfectius. Quantum poſt hæc, & quonam uſque facienda reuulſio ſit, neceſſitas eius oſtendit; namque tantũ, tan-

diuque opus repetendū, ſolicitandum uè, quantum, quandiuque fluens humot ſufficienter retrahatur; quippe, non vno, ſed multiplici repetito opere, quod fluebat, regrediatur, reuelaturque, veluti certè quis id iam conſequutum, à morbi ſimptomatūque ex fluxione natorū conſiſtentia, facile colliget. Et quamquā tum reuulſione euacuanti, tum alia, quæ citra euidentē habetur euacuationem, vt plurimum egeamus; non vſu tamen pari, vtriuſuis habenda ratio eſt; quoniam licet poſtquam ſemel, bis vè, aut tertio, tentata ſatis, vna cum euacuatione, reuulſio fuerit, non vltro tamen pluries eadē generoſius eſt proſequenda, vt potè quam ſine dubio vires non ſint toleraturæ, ſed illa duntaxat ſufficienter adminiſtrata, alterius rationis aliū reuellendi modum ſine vacuatione (dum ille tamen ex arte vtilis cenſeatur) proſequemur, repetemuſque ſæpius, & pluries, quo res deſiderata ſuccedat. Interea licet prænoſcendū inſtrumentū ſit, illiuſque facultas, qua præſtat opus, ne vi ſua fortaſſe debili, inſufficiens ſit, vel mauis nimia cum fuerit, damnū aliquod inferat præter rationē. Accedit reuellendi oportunitas, ne citra hanc nos perperam, & fruſtra laboremus, poſteaquā non omni morbi tēpore reuulſio eſt profutura; namque vt tunc ſolum reuulſio idonea eſt, cum illa maximè requiritur, & toleratur; tunc ideo potiſſimū requiritur, cum cauſæ coniunctæ, ex antecedenti per fluorem natæ, augmentum intercipiendū fuerit, quod certè vt ab initio morbi, ad ſtatum vſque fit, ita per tempus initij, augmentique ſolum, conſentanea reuulſio eſt; dū tamen interea vires ferāt, tolerentque eam, vt ſanè per ea tēpora valenter vt plurimū ferunt, quod parum à ſeipſis per ſanitatem diſtare videantur. Cæterum quod duplici nos via reuellamus, euacuatione inquā, & attractione, vt dictum eſt, ideo dum vtraque permittatur, & requiratur, an ab vtrauis ſit opus inchoandum, in his præſertim morbis, qui humorū repletioni ſuccedunt, quis fortaſſe dubitabit; Sed dicendum reuulſionē cum euacuatione priori ſēper loco fore tentandam; poſteriori autē aliam, quæ citra euacuationem ſit; Vigente quoniam adhuc repletione, ſi citra præuiam debitā euacuationē reuulſio moliatur, cumulatio queppiā mala, in parte, ad quam fiet reuulſio, ex patrata attractione, ſubſequi facilè poſſet, ex qua poſtmodū morbus priori forte deterior ſit futurus, vel vt ſaltē altius, preter omnem rationē, humor corpori hæreat, vnde poſt alia mala, ſummo ægri detrimento, ventura, difficile è loco moueri, deturbari vè poſſit; quæ certè omnia vt in non repleto corpore rarò contingunt, ita ſi vacuans reuulſio deſiderata præceſſerit, impoſſibile eſt vel ſemel contigiſſe. Verum poſt hæc quoniam dum reuulſionis neceſſitas principio indicabatur, de ſedatione etiam mentio eſt habita, propterea quidquid de ea cenſendum, cōſequenter explicabitur. Porrò nihil aliud eſt ſedatio hæc, quam concitate fluxionis impetus, quędam penè ſimplex placatio, & retardatio, qua, nondum licet fluoris occaſione ablata, impetus nihilominus eius neceſſariò compeſcatur, & ceſſet. Eſt autem opus hoc quaſi alterum congelationis, & ſtuporis opus, quo ſanè quilibet fluoris impetus præſentaneus ita coerceatur, opprimaturque vt per tempus ſaltem conſiſtat; Id facilè præſtat nobilis cuiuſpiam narcotici rationabilis vſus; Narcoticum verò dico, non quod vehementer frigidum, ſed quod peculiari facultate à toto indita temperamento, omnem (vt ita dixerim) vim rebus adimit; Itaque remedium quod tali virtute donatū ſit, dum rationabiliter præſcribatur, profectò fluoris impetum ſedabit & compeſcet; Sed rationabilis præſcriptio eſt, ſi poſt eius facultatis potentiam, opportunitas etiam idonea obſer-

nea obſeruetur ; Etenim inprimis robur illius, quod tamen vſitatius intercurandum creditum eſt, virtuti comparandum ; quoniam ex multis narcoticis minimè quoduis recipiendum videatur, ſed quod familiarius, & notius, poſteaquam talia periculi plena credantur, & ſint omnia ; Subindeque in decernenda menſura, melius ſemper ſit, infra ſubſiſtere, quam ſummum, quod poſſit, adminiſtrare ; Inſuper autem opportunè adminiſtratur per id ſolum temporis, quo fluoris impetus potiſſimum vrgeat, nec reuulſioni ille ſatis ceſſerit ; vrget autem per morbi initia, quare & tunc vtiliter illud conuenit, & (niſi quid obſit) exibendũ, Sed quod præcedens reuulſio, quæ præſertim vacuat, fęliciorẽ, certioremque ipſi ſemper exitum paret, vt potè humoris fluẽtis copia magna ex parte ſublata, diminutaque ; Ideo poſt reuulſionem illud iurè præſcribetur, vt loco eius, ſepè quod refrigerat, & ſubaſtringit, præſcribi, intus, vel extra, pro neceſſitate conſueuit. Reuulſioni, Sedationique, iure meritò annectitur occaſionis fluoris interceptio, abolitio vè, quia licet ab ipſa reuulſione (dum nihil obſit) inchoanda curatio ſit, denique ad ſedationẽ, ſi fuerit opus, tranſeundum, interea tamen ipſa fluoris occaſio non negligenda, ſed quatenus fuerit conceſſum, intercipienda abolendaque ; Quare poſito occaſionem eſſe tum ex funte mandanti, tum ex parte recipienti, tum demum ex humore mandato ; Sanè huic tum operibus, tum inſtrumentis, ſeruata qualitate, quantitate, & opportunitate, occurrendum eſt ; Atque primum ſi occaſio fuerit humoris malitia, puta quod ille, poſt multitudinem, peccet tenuitate, ob quam, vel cum frigidus etiã ſit, ſuo ſolum pondere grauis, infernas partes petat, permeatque ad partem affectam vſque ; aut potius cum calidus, & acris exiſtat, ad quocunque fluendum, fiat maximè promptus, tunc ſine dubio incraſſare humores hos primum opus eſt ; verũ tamen adhuc refrigerare, ſi calidi, & acres fuerint, vt calor, & acrimonia, quæ fluoris cauſa eſt, obtundatur ; calefacere autem, ſi frigidi, vt minori ponderoſitate donentur ; Ita enim primum humoris ſuo vitio fluentis impetus, contrarijs operibus intercipitur, atque hac ratione etiam, frequentiſſima cumulatio ex fluxione deficit. At ſi fluoris occaſio penes partem quampiam mandantem extet, neceſſario tunc occaſio hæc ſpeciatim, amouenda, ea tamen perpetuò ſeruata lege, qua longa eſt obſeruatione decretum. non in omni morbo reuulſionem ex arte imperare oportere, quando ſæpe contingat, ægrum, ex parte ad partem fluente humore, valdè ſubleuari, quia fortaſſe humor, quicunque ſit, ex nobiliori loco, in ignobilem, vel etiam in proprium emũctorium, transferatur, vbi morbum excitari nouum melius eſt, quam deterius malum nobiliori loco fieri, vel conſeruari ; Amouebitur itaque occaſio hæc, quoties eidem met præcognitæ proprium contrarium ex arte adminiſtretur ; Veluti ſi ob partis præſentem repletionẽ, quæ ſua quãtite, vel qualitate illi moleſta ſit, fluxio fiat, quamprimum, ſi liceat, repletio ſufficienter auferenda, & qualitas item reprimenda ; Et ſi ne quoque ibidem partis mandantis cumulatio, per congeſtionem, fluxionem vè, facta ſit, diligenter ex pendendum, vt dum vni conſultũ ſit malo, alteri ſimul, ſemelque, vt in multiplici malo fit, ſine ægri damno, conſulamus. Vltimo autẽ, fluxio, ob partis recipiẽtis vitium aliquod, excitetur ; quanto citius vitium illud ſuo contrario abolẽdum eſt ; Vitiũ verò hoc multiplex eſſe poteſt, ſed vniuerſim deprauata conſtitutio eſt, quæ vtique licet tam diſſimilaribus, quam ſimilaribus partibus accidat, propius tamen in partibus ſimilaribus, ob perturbatam temperamẽti ſym-

metriam, conſiſtit, vtcunque tamen ſit, tum intemperies ipſa, ſi aderit, idoneis remedijs, vel manifeſtis, vel à toto temperamento alterantibus, emendanda eſt; tũ vbi quoque vitiũ in conſtitutione diſſimilari fuerit, vt puta quoniam vaſa patentiora ſint, & ad recipiendũ aptiora; aſtringentibus vti ingenijs eſt operæ pretium; Sed in horũ vſu, ſumma ſemper adhibenda prudentia eſt, ne quod iam fortaſſe defluxũ parte continetur, illud (ſi præſertim craſſius, viſcidiusque ſit) altius figatur, & rebelle nimis euadat; Etenim parti aliquando infarctũ illud cum ſit, vt poſt intemperiẽ, ſolutionem quoque continui, per diſtenſionẽ, moliatur, atque dolorem, ideo aſtringentia tunc euitanda, & laxantia, anodina, doloremque lenientia adminiſtranda ſunt; Veluti tunc etiam meritò faciendũ, cum à nobili parte, in ipſã in ignobilem humor defluat, tunc quippè laxantibus, quibus pars ignobilis ad recipiendũ promptior fiat, vti neceſſe eſt. Immo ſæpe etiam attrahentibus, tum actu tũ poteſtate (ſi vires ſetant, & partis conditio admiſſerit) ſolicitanda collectio eſt, vt inquam abſceſſus, qui vtilis eſt futurus, generoſius adueniat; Seruata autẽ in omnibus quãtitate, quæ operi perficiendo aprimè congruat, quæ ſanè quamquã difficile decernitur, prudenter tamen operanti, obſeruantique operis neceſſitatẽ, & virium robur, ſatis erit conſpicua; Demũ opportunè, ſuoque ordine, adhibenda ſunt hæc, nẽpe per initia morbi, quibus occaſio, ſeu cauſa fluxionis humorum maximè viget, repetendaque per augmentum, ad ſtatum vſque, quo ſanè occaſio quælibet ſufficienter reprimatur; deinceps enim licebit coniunctæ cauſæ per fluxionẽ iam factæ, & morbum ſeruanti, audacter obuiam ire, Sequitur cumulatio, quæ per congeſtionẽ fit, quæ vtiquæ etiam ex proprijs, vt dictum eſt, oritur cauſis, quas, vt congeſtio ipſa funditus ceſſet, diligenter intercipere opus eſt; Principio verò ſemper omnis corporis vniuerſi repletio (ſi aderit) neceſſario, validis ingenijs, pharmacia inquam, vel phlebotomia, eſt abolenda, ſaltem vt totũ omni humorũ copia deſtituatur, adeo quod in eo quodãmodo natura reddatur auara, nec vt olim, ſic in præſentia, afflictæ parti ſuppeditet, alimenti vice, humorum copiam, ex qua vltio ipſa congeſtio augeatur; Quod ſi, ob variam per ea tẽpora, ægrotantis conditionem, ſæpè fortaſſe phlebotomia, & ſæpe pharmacia vtilis magis æſtimetur, illud vtique ex his, quod magis congruum, & pro opportunitate proficuum, quo autem debita euacuationis deſideratæ menſura haberi facilè poſſit, illud inquam potiſſimum adhibendum erit. Cæterum ſi congeſtionis occaſio, partis langor fuerit; quoniam porrò conſtitutio eius ſimilaris, diſſimilaris vè, deprauata ſit, meritò ea, vt dictum eſt, appoſitis auxilijs, ſi liceat, quanto citius ſuæ reſtituenda integritati; Atqui ſi congeſtionis cauſa, humoris ſuppeditati vitium fuerit, quantitas nempe, qualitas vè, profectò tunc ex arte cenſebitur factum, ſi vel iampridẽ vniuerſi tentata euacuatione, quantitati dein in parte peccanti, nos (eo inſtrumento, quod parti congruat) talem modum poſuerimus, qualis exundantiæ ipſi ita ſaltem reſpondeat, vt quod reliquum fuerit, id regimine victus recto, & medicamentis alterantibus contrarijs, omni praua qualitate emendatum, ſanitati cedat; Verum quod ex his multa ad coniunctam morbi cauſam diſſipandam ſpectare videntur, quæ ſanè ſingula à nobis deinceps examinanda ſunt, ea ideo, vt ordine recto, omnia intercurandum requiſita appoſitè proſequantur, quatenus huic propoſito operi neceſſaria ſunt, attendenda erunt.

QVOD

QVOD CAVSAE CONIVNCTAE iam morbum facit, cum tum ſponte, tum arte, optimè diſſipetur, merito de ſpontaneo opere, priori loco tractatur, & qualitas deſiderata illius, & quantitas, & opportunitas indicatur.

CAPVT VNDECIMVM.

OMNI autem cauſæ coniunctæ augmento per antecedentis demolitionem, pro poſſe, ſublato, reliquum eſt, vt quod cauſæ coniunctæ factum eſt, & morbum ſeruat, omnino extirpetur, vt inſimul omni facto morbo ſublato, ſanitas amiſſa preſto ſit; Extirpatur autem tum ſpontè, tum arte, ſeu medicamenti ope; Spontè ſanè plerunque, dum natura adeo ſupra morbum, morbi vè cauſam, viribus polleat, vt præuio quocūque, quod expetatur, ſufficienter celebrato, valeat demū tū morbum tū quod morbū faciebat, foras, manifeſtè, vijs conſuetis, expellere; aut inſenſibiliter taltem ſenſim diſſipare; hoc licet contingens ſit, quoniam rarò qui peccat humor ea quantitate vigeat, qua duntaxat inſenſibiliter diſſipari omnimodè poſſit ſed vt plurimum tantus ſit, quantus, ſi euincatur non niſi manifeſtè expellatur; Et ſi etiam id rarò eueniat, quoniam per natura cum morbo monomachiam, quamquam tandem morbus ſuperatus, & , euicta cauſa, iam victus ille apparet; interea tamen defatigata adeo, afflictaque eadem natura ſuperſtes eſt, quod domitum licet humorem, morbi nempè cauſam, illa reddidiſſe videatur, attamen vltrò ſola ipſum totum demoliri, prorſusque diſſipare, nullo modo poſſit, atque tunc ne repreſſus fortaſſe morbus, aliam vè etiam adeptus ſpeciem, recurrat, humore ſcilicet denuo, vnde ille habebat originem, recrudeſcente, æger, ad perfectam curationē adipiſcendam, eget artis ope, qua omnis coniuncta morbi cauſa profligetur penitusque depopuletur; Verum enim verò dum aliquādo, vel vno roboris virium beneficio, eueniat, vt ſponte id belle ſuccedat, iam eo caſu, vt rationabile factum æſtimetur, tum qualitas adamuſſim conueniens, tum ſufficiens quantitas, tum demum opportunitas experita, in opere ſponte facto recognoſcenda eſt. Ergo ne ſponte aggreſſum opus huius ſit conditionis, principio obſeruabit medicus; quoniam ſi tale omnino fuerit, nunquam mouebit ille quidquam nec innouabit, ſed totum ipſi naturæ committet, ne fortaſsè medicamentis illa diſtracta, ab incepto munere deturbetur; vel idem vbi perfecerit, perperam affligatur; Contra autem ſe ſe geret medicus, ſi vel opus nullum, vel licet inceptum videatur, illud nihilominus in via deficiat, diminutèque proſequatur, tunc enim ille, appoſitis irritamentis, idem abſoluet, atque ne quidquam reliquum ſit, vnde recurrat affectus, cautè perficiet, Inprimis verò quod ſpontè fit demolitionis opus, debitam obtinet qualitatem, cum per ipſum talia expurgentur, qualia omnino expurganda ſunt, qualia inquam morbum feciſſe æſtimabantur; Talia autem eſſe, qualia oportet, ſi ea pridem ſenſibus obſeruentur, non eſt quod præterea dubium ſit; Verum quando pelli quidem aliquid conſtet, an tamen id (quoniam fortaſſe præuiæ coctionis occaſione, exquiſiti, ſincerique peccantis humoris aſpe-

gis aſpectum amiſſerit) tale, quale deſideramus, æſtimandum ſit, dubitatio eſt; tunc vltrò ne per vias idoneas illud, & toleranter, & cum ægri leuamine pellatur, attendendum eſt; Namque per vias idoneas, vt magis apta huiuſmodi vacuatio eſt, ita per eas talis, qualis expetitur, credibilior eſt futura; Sed accedente ægri tolerantia, leuamineque, certum, & euidentiſſimum eſt optatæ qualitatis argumentum. Eſt porrò ægri tolerantia, aperta quædam virium ægri firmitudo, & ſine labore vigor, qui non niſi concoctis, & domitis aliàs morbum facientibus ſuccis, eorũ euacuationem permittat. Leuamen autem eſt, ſucceſſiua ipſa, eaque ſtabilis, deficiente morbo, ægrotantis ſubleuatio, quæ palam ad ſublatum ipſum efficiens proximum morbi principium, in eo ſequitur neceſſariò. Quare in hoc potiſſimum coniunctæ cauſæ demolitio, differt ab illa antecedentis, quoniam illa antecedentis, toleranter ſolum (dum paratus, atque diſpoſitus humor fuerit) celebretur, eo quia duntaxat magnam augmenti morbi occaſionem tollat; tollit nempe proximę efficientis morbi cauſæ fomitem; hæc verò, ſcilicet coniunctæ, vt proximum ipſum morbi principium tollit, à quo viget, ſtatque ipſe morbus, vel neutra ſaltẽ ęgri conditio perſeuerat, ita ſauè ad ipſam fit manifeſtum ægri leuamen; niſi fortaſſe antecedens, & coniuncta, ſeu proxima morbi cauſa, in vnum, vnamque ſedem conueniant, tunc enim poſſibile eſſe videtur, ſimul, ſemelque, toleranter vtramque eximi cauſam, cum aperto ægri leuamine. Viæ autem euacuationi idoneæ ſunt, quæ ſedi peccantis humoris cauſæ morbi proximæ rationem habentis propius accedunt, illique, vt ſæpius dictum eſt, euidẽter conſentiunt; quatenus ergo per has, euacuatio ſpõte fit, eatenus illa, vt per idoneas vias celebratur, ita talis qualis expetitur, vt plurimum, eſt; niſi forſam illa inſenſibiliter, per inſenſibilem reſolutionem, digeſtionem vè, vijs latentibus, facta cenleatur. Sed cõiunctæ cauſæ, hoc eſt humoris coniunctæ cauſæ rationem habentis, ſedes multiplex eſt, & varia, quando humor hic non vaſis corporis communibus ſolum, verum aduc quibus vis omnium partium corporis eiuſdem receptaculis contineatur; atque ita non illius ſolum per ſeceſſum, per ſudores, & per vrinam, per vias nempe corpori vniuerſo, vaſiſque omnibus eius indifferenter accommodatas, vtiliter expectanda euacuatio eſt; Sed vltro alijs etiã modis non paucis, per determinatoſque ductus alios, certis ſcilicet partium corporis receptaculis maximè cõgruos, euacuatio, quæ ſalubris, ſponte deſideratur, meritoque non omni, ſed certo morbo cuique commoda; at euacuatio hæc qualis cuique ſit propria, hic docere non licet. Qual tati autem neceſſario annectenda quantitas eſt, quæ quamuis ex præpoſita peccantis humoris copia, ſiue aliàs euidentibus notis manifeſta, facilè conijciatur; adhuc tamen penes eandem exeuntem, & virium tolerantiæ in ægro compatatam, an vtilis, vel inutilis ſit futura æſtimanda eſt; Etenim copioſa euacuatio, quæ omnem motbi materiã demat, per ſe vtilis, & appoſita eſt, minus autem talis, quæ mediocris, & longè minus, quæ manca, & diminuta eſt; nihilominus copioſa, quæ rapida, & repentim tota ſimul ſacta videatur, quoniam non toleratur, ſed magnum ſemper viribus inferat detrimentum, ita vt licet tale, quale morbum faciebat, & inſuper illud opportunè expellat, ob detrimentum tamẽ ex impetu illatũ viribus, nunquã ſalubris cenſenda, niſi fortaſſe adhuc reſtaurationi locus concedatur; Veluti etiam vacuatio, quæ diminuta, & manca eſt, ſemper illaudabilis eſt, & certè magis ſi leuta fuerit, quia per ſe operi deſiderato minime ſatisfactura ſit; Verum quoties tum

vacuatio-

vacutionis ſpontè factæ magnitudo, tum impetus mediocris exiſtat, licet magna peccantis humoris copia vrgeat, dum ſaltem per eam repetitis vicibus, non lentè, ſed mediocri quodam impetu, quod peccat, euacuetur, vtique ſemper rationi conſentanea illa cenſebitur; Itaque hac conſideratione, affluentes, & impetuoſas euacuationes nunquam iuuabimus, & præſertim ſi viribus comparatæ, illis futuræ moleſtæ nimis nobis apparuerint; cohibebimus quinimo, ſi iam actu tales ſint, vt viribus penè cadentibus, ægrum in grauius detrimentum manuducturæ credantur; cohibebibus verò magis, aut minus, quãto plura, vel pauciora euacuationem damnabunt; Et ſi inter cohibendum, moderatè ſemper incedere ſit opus, nec inquam repentim, nec conatu vehementi, ne foras ſponte erumpens humor, à ſuo curſu violenter nimis interceptus, alio feratur, magno ægri detrimento; Diminutè autem tentatas euacuationes, ſi quæ illis pro qualitate congruunt iure atteſtentur omnia, meritò iuuabimus ſemper, quod porrò tales, quamquam non integræ, tamen ſemper vtiles ſunt, ideſt in exoptatas perfectas neceſſariò terminaturæ. At quod ſæpè contingat non vnam, ſed plures ſpontè, & ferè ſimul tentari peccantis humoris euacuationes, quæ ſine dubio omnes, pro conditione humoris, ſediſque, non inutiles cenſeri poſſunt, attamen ex quo diminutæ, imperfectæque ſunt omnes, vt nequaquam per ſe ſolæ, leuãdo ægro ſat eſſe valeant, hinc merito oritur difficultas, quænam ex his, præalijs, ex arte ſoliciranda, perficienda vè ſit; Sed difficultati ſatisfit, ſi dicamus, ex vacuationibus his eam ſemper alijs eſſe præferendam, quæ tum per vias magis idoneas, peccantique humori commodius reſpondẽtes, iam cæperit, tum quæ generoſior, promptiorque apparuerit, quamquam interea ſemper ei virium tolerantia, cum manifeſto leuamine, adiungenda videatur, cuius fauore, ac beneficio ſolum, ea ipſa expetenda eſt. Quecunque autem, etiam mediocris, ſpontè facta vacuatio, etiam ſi peccantem humorem foras eduxerit, nunquam omnino vtilis, nunquã appoſita omnino cenſebitur, niſi opportunè contingat; Opportunè verò continget, quando quidem ea, vel partium multarum peccantis humoris, vel demum reliquarum omnium, perindeque totius, omni deſiderata coctione peracta, tum ſcilicet propria, tum impropria, celebrabitur; Vnde non per manifeſtam duntaxat morbi declinationem id ipſum vtile opus expectabitur, verum etiam longè ante eam; Et ſi quod per declinationem fit, vt potè quod tempore iam peractæ omnis coctionis eueniat, id verè integrum, & præceteris laudabile cenſeatur; Etenim per morbi, atque naturæ monomachiam, non totus ſimul qui peccat humor, morbumque facit, à natura ſemper vincitur, &, dum morbus ſalubris ſit, coctionis beneficio ſuperatur, vt euidentiſſimum eſt, ſed vt plurimum ſenſim, & per partes, ſi præſertim illius magna copia fuerit, quæ & coctioni renitens, & viribus manifeſtè impar ſit; Quamobrem neque ſemper ſimul totus &, vnica vt dicitur expulſione demolitur, quæ immo rarò contingens eſt, & niſi, vt diximus, ſedato impetu fiat, ſuſpecta videtur, ſed vt plurimum per partes expellitur; Ideo quod tunc denique opportunè, vacuatio humoris cauſæ coniunctæ rationem habentis, ſpontè facta eſt, cum deſideratæ coctionis coniectura euidens præceſſerit; tuncque etiam, nec aliàs, ea ex arte permittenda, ſolicitanda vè, cum nõ aliàs tuta, & ſalubris cenſeatur; Cæterum quæ nam, & quando ea ipſa ſolum permittenda, aut vltrò etiam ſolicitanda ſit, fortaſſe aliquis expoſceret; huic proculdubio reſpondendum, per certam morbi declinationem,

nem, ſpontè inchoatam, nec niſi lentè proſequutam, vacuationem neceſſario ſolicitandam, quia per omnimodam morbi depreſſionem, coctũ omnibus modis humorem eſſe, atque perinde abſolutæ expulſioni accõmodatum, credibilè videatur; ante declinationem verò inchoatam, & ſi lentam, permittendam ſolum, præſertim ſi cum tolerantia cæperit: quippe vna tolerantia ſit iam præſentis ceptæ coctionis aperta coniectura, ſi quidem humor crudus ſemper ſit interuacuandum infenſus, minimè autem ſi coctus; Sed qua arte, quibusque ingenijs, & quomodo adminiſtratis, id facere ſit conceſſum, vniuerſim ſanè hic docere non licet, quod commune quidpiam euacuationibus omnibus minimè habeatur; & de ſpontè facta cauſæ coniunctæ vacuatione ſatis.

QVOD CAVSAE CONIVNCTAE minimè ſponte depulſum, diſſipatum vè fuerit, qualibus demum artis operibus, & inſtrumentis illud penitus deſtruatur, palam demonſtratur.

CAPVT DVODECIMVM.

ATQVE res cum ita ſe habeat, vt nempè ſpontè cõiuncta morbi cauſa tota ſublata, nullo interea adhibito artis auxilio, perfecta morbi ſanatio adſit, nulla certè vlteriori egemus artis ope, attamen quod id rarò contingens eſt, merito vt plurimum ad artem Medicam confugere, appoſitaque illius adhibere remedia, optimum, & neceſſarium eſt; Et quamquam præ cæteris vnum, illudque potiſſimum victus regimen ſecundum rationem inſtitutum, videatur, quo inquam vno (fouentibus tamen remedijs quibus vis interim non neglectis) quaſi potenti artis ingenio, virtus per ſe curationi optatæ ſat eſt, in his præſertim, quibus remediorum multorum arte paratorum vſus parum tutus eſſe cenſetur, nihilominus alias curationem aggredi magis commune eſt, & euacuantibus præſertim præſidijs ad cauſam morbi coniunctam abolendam vti oportet. Quare vt in cæteris medicæ artis operibus, & inſtrumentis adminiſtrandis, ex vſu eſt, delectum adeſſe qualitatis, quantitatis, & opportunitatis, ita etiam nunc, hoc ipſo videlicet opere, ſuis inſtrumentis proſequendo, idem veniet obſeruandũ. Atque quantum ad qualitatem ſpectat, non dubitandum, quin tum artificioſa cauſæ coniunctæ euacuatio, tum eiuſdem procurandæ inſtrumentum, qualitatis multiplicis, atque diuerſæ ſit, poſtea quam vel vna ſedis, qua humor in corpore reſidet, occaſione, compertum eſt, ægrum non omnem euacuationis formam, nec omne euacuandi inſtrumentum commodè admittere; Etenim humor coniuncta morbi cauſa, aut communibus totius corporis vaſis, vel inquam ipſo meſenterio, reliquisque adiacentibus ſedibus; aut etiam toto genere venoſo, vt alias, explicatum eſt, continetur, vt inibi etiam fortaſſe (permixto quaſi quod actu morbificũ eſt, illi quod potentia tale erat) antecedens cauſa ſtabat; aut demum vaſis cuiuſque partis proprijs, quæ inquam partibus ſingulis indita, proprijs earum vſibus inſeruiunt, & communibus tranſmiſſus collocatur. Quare

quam-

quamquam corpus vniuerſum ſuis omniquaque conſentiens partibus, non paucas habet patentes ad euacuandum vias, per quas liceat, & totius, & partium, ad minimam earum vſque, vacuationem expectare, nihilominus vna nunquam eademque eſt, totius, ac partium, artificioſa, eaque exacta euacuandi ratio, nec vnum & idem cuiuis euacuationi bene ſeruit inſtrumentum; Et licet generosè communibus vaſis totius expurgatis, conſequenter ex partibus ſingulis aliquid educatur, idem attamen proprijs, priuatiſque vijs, procuratum, quidquid in eis continebatur, euidentius diſſipatur, quod perinde non omnibus, ſed accommodatis inſtrumentis, conceſſum eſt; Sunt enim plura ad communia vaſa euacuãda inſtrumenta, & ad particulares euacuationes celebrandas, & plura, & valdè diuerſa ſunt, quia ex his aliqua citra naturæ opem vſui ſeruiant, & aliqua quamuis naturæ ægeant auxilio, per ſe tamen plurimum operantur, vt & ſunt aliqua, quæ ad ſolam naturam opus molituram excitandã valdè ſunt profutura; Omnia hæc tamen, atque ſingula, vſum adeo habent varium, quod non niſi habita ratione ſedis, qua humor demoliendus reſidet, quæ congruunt, ſpeciatim decerni valeant. Itaque poſito cauſam morbi coniunctam quibuſuis communibus vniuerſi corporis vaſis contineri (de euacuatione etenim ab his primum habendus ſermo eſt) vtique cum eam iampridẽ coctione deuictam domitamque, at adamuſſim ſolam euacuandam eſſe intentio ſit; per phlebotomiã verò (hæc enim primum euacuandarum venarũ inſtrumentum eſt) nuſquam vnus ſolitariusque humor, ſed indiſcriminatim quilibet, qui venis contineatur, videlicet vtilis, & inutilis, foras erumpat, per phlebotomiam vtique, morbi coniuncta cauſa in venis reſidens, non tentanda, præſertim quod ad ſolam eam ſanguini mixtã demoliendam, delectus eſt neceſſarius, qui nõ artis, ſed naturæ proprius eſt; Quare cũ per phlebotomiã, velimus, nolimus bonus etiã ſanguis, dum ille ad inſtaurationẽ ſummopere expetitur, perperã, & magno ægri detrimento foras exiret, immo ſæpius bonus ipſe ſanguis tunc foràs ſolus erumperet, inutilibus ſuccis omnibus intus omnino relictis, iure per phlebotomiã, cauſæ coniunctæ in venis maioribus corporis exiſtentis, vt dictum eſt, vacuatio non aggredienda; Quod ſi plerunque à natura, apertis venis, ſuo iuditio, ſponte ſanguine exeunte, æger perfectè ſanetur; hoc certe fit, quoniam per delectũ tota eum ſanguine cauſa coniuncta exit, hic autẽ delectus à nobis in phlebotomia haberi nulla arte poteſt. Atqui ſi in meſenterio, & illi adiacentibus vaſis morbi coniuncta cauſa ſedẽ habuerit, certum eſt inde eam per vnam phlebotomiam extirpari non poſſe, illuc quoniam ſuis viribus phlebotomia non perueniat; & licet forſam ex venis in ſede id ſponte ſuccedat aliquãdo, per delectum tamen requiſitum non operatur ars. Quare pharmacia, huic proſequendo operi, proprium inſtrumentũ eſt, quippè vniuerſim ex cõmunibus quibuſque vaſis, ea viribus ſuis, educere quod peccabat, apta nata ſit; immo cum naturam opitulantẽ expetat, delectum peccantis humoris habet annexum. Nomine autem pharmaci veniunt nunc quæcunque vim deturbandi humores è corpore poſſident, ſiue per ſeceſſum, vomitũque; ſiue per ſudores vniuerſos, ſiue per vreteres cum vrina, deturbatio ipſa fiat; tot etenim vijs potiſſimum, vt ſponte in omnibus hominibus, ſæpe, & vtiliter, cauſæ coniunctæ, ex vaſis dictis, euacuatio fit ita ex arte, certis medicamentis naturam irritantibus, illi vè aliàs quomodolibet euacuanti opem ferentibus, eadem vacuatio, vt plurimum, neceſſario procuranda. De his itaque ſingulis agendum eſt nobis, atque ab

S intru-

inſtrumento, euacuationeque per ipſum facta. quæ vaſa eadem per ſeceſſum exhaurit, ordiendum, ab eo porrò, & ab ea, quæ vt cæteris generoſior, ita corpori toto communiſſima eſt; in ſeceſſum quoniã vniuerſi corporis viæ omnes terminantur, quibus excrementitij humores omnis generis, qui morbi coniuncta cauſa fuerint, ex corpore toto, expeditè foras erumpunt, & quidem per pharmacum, opitulante natura (vt alias explicatum eſt) cui inquam pharmaco, cum praua vis quædam, penèque venefica, naturæ prorſus aduerſa, indita ſit, neceſſario dum illud aſſumptũ noſtri caloris beneficio conficiatur, ex ipſomet eadem erumpit, vigetque adeo, quod merito facultas expultrix, velit, nolit, in oblatum ſibi noxium, maleficum vè, excitata, inſurgat, illudque ne fortaſſe longius perſiſtens læderet, foras expellat, quo impetu euenit, vt quidquid vltrò pręter naturam, & inutile, expulſioni paratum, vaſis cõmunibus contineatur, idem ſimul, ſemelque, per id temporis, expellatur, indeque fiat, malorum, & excrementitiorum humorũ omniũ, indifferenter, qui olim coniuncta morbi cauſa fuerant, perfecta purgatio, & ſanè hactenus ex toto, eiuſque partibus, quatenus ſaltem illæ ipſi toto conſentiunt, quod tũ patentibus, tum occultis ductibus fieri contingit; dum tamen ibidem facultas expultrix excitetur, quod illuc per pharmaci vim perueniat irritamentum; quod inſuper demoliendo humori ſufficiat, quia pharmacum debile, in propinquo duntaxat, inque facilè labiles humores operetur, validum verò etiam in longinquos, & renitentes ſuccos impetum faciat; Quale itaque pharmacum appoſitè conueniat, ex ſede humoris, & conditione eiuſdem, aptè colligitur; poſteaquam ſedes vijs cõmunibus proxima leuius illud requirat, ſedes verò, quæ ab his longius diſtat, validius idem, & fortius expetat; Dein humor qui craſſus, viſcidusque ſua natura eſt, ille etiam pharmacum potentius quærat, minus tale autem, ſi humor tenuior, & vacuationi commodior cenſeatur; Quare in coniuncta morbi cauſa per pharmacum expurganda, delectus huiſmodi ſemper habendus erit. Ad hæc autem ex earum vacuationum numero, quæ & per ſe, & euidenter communia vaſa exhauriunt, eſt ea, quam dicimus ſudationem, quæ prauos quoſuis ſuccos noſtro contentos corpori, calore iãpridem colliquatos, tenueſque, ac verè fluxiles redditos, vt ſpontè, ita arte, vel vna omnium corporis ductuũ, ſpiraculorumque omnium eiuſdem laxitate præuia, opitulante natura, foras extrudit, adeo quod nihil ſæpè ſudatione generoſius, corpori vniuerſo, cachochimia repleto, expurgando, euenire poſſe videatur; Namque corpore bene diſpoſito, illius ſcilicet laxatis, apertiſque ſpiraculis omnibus (hoc ſolis aliquando frictionibus, quaſi caleſacienti motu, per corporis ſumma confectis, preſto eſt, & ſi largius valdè, poſt omne externum, internum vè ſublatum impedimentũ, vno ambienti calidiore, vel quidem ſolo, vel per balneũ procurato, eueniat, eo quoniam non ſolum ſumma cutis tota rareſcit, ſed præterea etiam calore quomodolibet intro inſinuato, in omniaque diffuſo, corpus vniuerſum haud mediocriter reſeratur, laxaturque) vt vnius caloris innati beneficio, humores quamquã reconditi incaleſcunt, atenuanturque, ac adeo liqueſcunt, quod demum ſpontè, quaſi ros, foras per ſummam cutim abundè erumpãt; Ita ad meliorem, copioſioremque ſudationem excitandam, internum ſaltem medicamẽtum, pro morbi conditione, adminiſtratur, quod per cuncta meabile, non actuali caliditate ſolum, qua præditum, ſed & virtuali, aliiſque demum alterantibus, detergentibus inquam, & aperientibus viribus, ſuccos omnes quantumuis

tumuis craſſos, in abditoque reconditos, attingens, coliquefaciat, extenuetque, vnde & quam facile hi digerantur, & ſecunda natura, per patentes iam vias, poros nempe totius apertos, foras aptiſſimè effluant. Cæterum quibus in morbis, quale ſpeciatim medicamentum huic operi commodum, neceſſariumque ſit futurum, non humoris morbum facientis conditio ſolum, eiuſque ſedes oſtendunt, verum præterea magis ipſa morbi ſpecies, eiuſque cauſæ demoliendæ non repugnantia, accedenteque ægrotantis propenſione, docet; Quando licet humor talis ſit, qualis ſudore diſſipari per ſe valeat (omnis vtique humor, qui excremētitius eſt, ſudore vacuari aptus eſt) atque ſedes eius inibi cenſeatur, vnde per ſudorem ille deturbari optimè poſſit, (vaſis enim primis exceptis, communia reliqua ſudori propriè ſunt commoda) attamen niſi ſpeciatim morbo ſudorifica congruant, difficilè opus aſſequi erit conceſſum, inimo aggredi aliquando perniciosum; omnibus ſiquidem morbis ab humorum peccato productis ſudatio prodeſt, ſi ſponte fiat, attamen non omnibus calidorum medicamentorum (talia enim ſunt, quæ ſudores mouent) artificioſus vſus eſt commodus; quia non vehementibus, & acutis, ſed diuturnis, lentisque duntaxat, ab humorumque potius frigidorum peccato natis, quam aliunde, conueniunt; dum inſuper tamen corporis adſit, habilitas, pororum nempè totius reſeratio deſiderata. Vrinæ prouocatio, ſeu per vrinarias vias euacuatio, hunc locum habet, quæ ſpecies vacuationis ad vniuerſum ſimiliter corpus pertinet, & euidens eſt, quæ inquam licet è ſolis venis colluuiem redundantem inprimis tollat, ex quo attamen in venas ipſas corpus vniuerſum terminatur, & in illas omniquaque confluit, qua via illud ex his perpetuò recipiens pabulum, eadē quoque in eas redundans excrementum facilè reicit, maioribus, patentioribusque deſtinatis ductibus extra pulſurum; Ideoque ſæpe, vel ad vnius vrinæ generoſitatem, & in ſubſtantia, & in contentis abundantiam, fit, vt non ſemel multitudine humorum morbos proximè fouentium hac via euacuata, inſimul quoque morbi aliquot grauiſſimi ceſſent; Quandocunque itaque ex arte vacuatio hæc, in cauſæ coniunctæ demolitionem, tentanda fuerit, (tentanda antem in morbis his omnibus, quorum iā pridem cauſam nos vrinarijs vaſis expurgari citra damnū poſſe obſeruauerimus, quales potiſſimum ſunt, qui in venis ipſis cauſam habent; dum tamen vaſa vrinæ conſecrata interea nullum patiantur affectum, qui medicamentis huiuſmodi foueri poſſit) ijs profectò vti opus eſt medicamentis, quæ vrinas ciendi facultatem habent; quibus inquam primū attenuandi, detergendique vis inſit, quæ porrò pro morbi natura, tum calida, tum frigida eſſe poteſt, hac ſiquidem vi excrementitius humor quilibet fluxilis redditus, vnà cum ſero per vrinam foras expellitur; In quibus dein, ſi poſſibile fuerit, proprietas à toto temperamento quædam reperiatur, per quam medicamenta talia intrinſecus aſſumpta vrinarios ductus petant, & fluxiles iam penè factos humores ſecum quodammodo rapiant, foraſque perducant. Et quidem talis vaſorum cōmunium euacuatio appoſitè ſit, iam qualis ea ipſa ſit, quæ ſingulis partibus conuenit, ex proprijsque earū ductibus celebratur, exponenda; Etenim corpus noſtrum multis partibus eſt conſtitutū, quæ vt particulatim nutriuntur, ita particulatim quoque ab omni colluuie expurgantur; Atque has omnes noſtri corporis partes triplici potiſſimum ventre contineri; Superiori ſcilicet, hoc eſt capite; Inferiori, nempe abdomine; & medio, qualis eſt pectus, certū eſt; Et quamquā inuicem partes hæ omnes, veluti etiam vētres, quibus

S 2 continen-

continentur, vaſorum communium conſenſione quadam cõmunicent; attamen proprijs, & certis ductibus, ab omni colluuie potiſſimum purgari euidentiſſimum eſt; videlicet caput, per nares, atque palatum, pectus per tracheam cum tuſſi, & demum abdomem, per ſeceſſum, vomitũque Quod cum ita ſit, iure partis cuiuſuis, per ventris, quo continetur, cõmoditatem, vacuatio tentanda, proſequendaque eſt; Inſuper tamen id, inſtrumẽtis idoneis, & vt his natura ſecunda ſit, omniquaque accõmodatis; Vacuatio autem hæc purgatio erit, eaque per pharmacum ſolicitanda; quod phamaco ipſo ſolum, vt dictum fuit, quæ coniucta morbi cauſa cenſebatur, vt potè iampridẽ victa, & per coctionem ſuperata, certoque loco ſecreta, adamuſſim è propria ſede dimoueatur, & foras erumpat; Et quidem vel facultate irritanti, qua pharmacum polleat, vel alia quauis detergenti, ſeu quomodolibet humorem inibi coaceruatum deturbanti, dum illud tamen modo debito adminiſtratum, ſuis viribus, ad ſedem illius pertingat; Veluti caput purgium, quod manſum, vel gargarizatũ, è cerebro, ac partibus eius, ſuperuacaneum humorem, per palatum, in os, commodè deducit; Id licet propius præſtet, ſi in nares immittatur, tunc quia facilius irritamento cerebrum humoris copia refertum deoneret; at ſi præterea ſternutamentum moueat, valde magis, quod ita ſcilicet vehementer cerebrum concutiat, & ad expellendum inuitet. Pectoralia autem medicamenta, credibilius eſt, per inſpiratos eorum vapores ad cauitatẽ pectoris generosè peruenire, illisque vt virtus detergẽdi ineſt, ita pulmones bellè detergere; quamquã ea quæ ore derẽta, ſenſimque liquata, deglutinataq;, fauces leniunt, non parũ cõmoditatis, expurgationi per tuſſim afferre cõſueſcere cenſeantur. Atqui inferno ventri expurgãdo, quo ſanè etiam vterus, & veſica comprænhenduntur, tũ iniecta, tum ore aſſumpta apprimè congrua ſunt, quæ & detergenti vi ſolum aliquando prædita ſinr, & quæ adhuc irritanti facultate donentur; & ſi ex his vnũ, vel alterum, pro humoris conditione, & ſitu, magis, aut minus congruũ eſſe, rem accuratius perpendenti fiat conſpicuum. At quamquam hac inprimis ratione, ſingulæ quæq; noſtri corporis partes, per pharmacũ, proprijs expurgantur ductibus, ad huc nihilominus illæ ſæpe ſæpius aliũ euacuationis modum expoſcunt, & ſanè inſtumentis omnino alijs, certa ratione adminiſtratis, quibus etiam coniuncta quæuis morbi cauſa inibi partium collecta ſola demolitur. Namque ſæpè euenit, vt vel exquo humor peccans altè ita poris habitus partis inhæreat, vt inquam impoſſibilè ſit eum inde prædictis ingenijs foras educere, ideoque ne longius eo loci perſiſtens, vel recrudeſcat, morbum refricaturus, aut deteriorem fortè conditionem adeptus, aliquid valdè deterius ſit conſequenter producturus; euenit inquam tunc, vt eũ remedijs alijs inde mouere, diſſipareque, ſit operæ pretium; Sunt autem remedia hæc, aut quæ cumulatum humorem inſenſibiliter diſſipant, veluti ſunt tum interna, tum externa, quæ ſubſtãtiæ tenuitate prædita, & attenuanti, detergenti vè qualitate donata, dum vi ſua intimius permeant, interea collectum humorem extenuant, diſſipantque ſenſim, & abſumunt; vel ſæpe quoque ſunt, quæ ignea vi prædita, extrinſecusque adhibita ad ſe attrahunt, & ab intro ad extra ducunt; vel quæ demum (vbi aliud non ſufficiat) violenter, per continui ſolutionem, quaſi fracto vaſe, quod continebatur, & morbum faciebat, manifeſtè educunt; Verum ſitus, atque conditio partis, qua humor peccans collocatur, requiſitam operis, & inſtrumenti qualitatem oſtendunt; Etenim vel pars intus nimis latet, vel in extimo corporis poſita eſt; Siqui-

dem

Digitized by Google

dem lateat, & in intimis collocetur, continui ſolutionem ea nullo modo patitur; atqui ſi pars extima ſit, & in extimo corporis poſita, non illico tamen ſolutione continui aggredienda, per eamque euacuanda eſt; Sed tunc ne potius humor in ea iam cumulatus, medicamentis adhibitis, ſenſim diſcuti, & inſenſibiliter diſſipari valeat; aut demum attrahentibus ingenijs ille foras paulatim educi, tuto, & vtiliter poſſit examinandum, quando ſolutio ipſa continui, niſi quid vrgeat, ſemper euitanda ſit; Diſcutitur vtique facilè dum ille nequaquam multus, nec valdè craſſus, aut prauus fuerit, quippè multus, difficilè totus digeratur, craſſus dein, & prauus, non omnino diſſipetur, quin pridem parti labem, & corruptionē inferat, vnde tunc vt ille quam celerrimè inde depellendus eſt, ita quodcunque remedium, vel quod ad ſuperficiem trahat humorem, foraſque educat, vel quod aliàs continuum ſoluat, & aperiat, pars libenter admittit, vt ſubindè inquam veluti fracto vaſe exit aqua, ſic aperta collectione ipſa, ſeu abſceſſu, exeat quod continebatur; Quamquam ſanè in hoc deliberando opere, prudenter ſe medicum gerere, maximè eſt neceſſarium, dum ſolutio ipſa continui morbus per ſe nouus exiſtat, qui non ab omnibus partibus tuto admittatur, ſpe certa futuræ integritatis breui recuperandæ, quamobrem primum partis ipſius conditio diligēter expendenda, atque ſanè tum ex conſtitutione, quæ indita ſibi eſt, tū ex præſtantia operis, quo fungitur; Nam pars quanto propius ad carneā cōſtitutionem acceſſerit, tanto facilius à ſolutione continui, per agglutinationem, liberatur; quanto verò eadē neruec, oſſec vè conſtitutioni proximior, tanto difficilius ſanitatem, per agglutinationem eandem, cōſequitur, quoniam hæc ob frigiditatem, & ſiccitatem parcius, & tardius nutriri conſueuit, illa contra, ob caliditatem, humiditatemque largius, & citius inſtauratur, vno autē nutritionis opere inprimis ſolutio ipſa agglutinatur, & annectitur. Sed adhuc operis præſtantia non poſthabenda eſt, quoniam partes muneri nobili conſecratæ, vel ob vnam variam, & illam exquiſitam, qua conditæ ſunt, compoſitionem, & fabricam, quæ nuſquam ſimilis per nutritionem reparabilis eſt, non niſi ille graui damno ſolutionem, vel aliud ipſi vicarium admittunt; Cæterum ſiue pars lateat, ſiue adhuc extima fuerit, dum nihilominus digerentibus, & inſenſibiliter diſſipantibus remedijs vti melius ſit, vtique quamquam illa nec vbique eadem, nec quomodolibet adminiſtrata conueniunt, ſed pro ſitus inprimis diuerſitate diuerſa eſſe opus ſit, merito ad hæc nos confugere ſaluberrimum erit. Verum poſito humoris ſedem latere, vt integris inquam viribus remediorum potentia in eam minime perueniat, tunc iure ijs duntaxat vti remedijs eſt neceſſarium, quibus inſitus totius & partium calor excitetur, vel foueatur, nec interea tamen humiditas augeatur; vt hoc etenim calore primum, ita etiam plerunque ſolo, ſine artis ope, collectus quiſque ſuccus diſcuti optimè poteſt; Remedia verò hæc, id tum per ſe præſtant, vt puta quæ actu, & virtute calida ſunt, & ſicca, quæ ideo calori parti innato ex æquo ita reſpondent, vt eundem foueant potius, atque reficiant, quam exceſſu aliquo turbent; tum per accidens, veluti ſaltem ſunt, quæ partis habitum ita cuſtodiunt, vnitumque fouent, vt calor in eo potenter conſeruatum neutiquam exhalet, ſed perſiſtens valenter calefaciat, attenuet, digerat, & diſcutiat. Dum attamen inſimul regimen victus faueat, quod vtique nutriat, & vires ſufficienter conſeruet, at ex eo nullum exundans humorum ſequatur augmentum, ſed mauis inediæ, &, vt dicitur, abſtinentiæ præſeferat imaginem, quando hæc

quate-

quatenus alimoniam corpori dari prohibet, ex qua reficitur quotidio, quod à calore, qui abſque paſtu eſſe nequit, continenter abſumitur, eatenus quodcunque diſſipabile eſt, digerat, & abſumat; Quamuis tunc regimen victus hac ratione præſcriptum, vniuerſum reſpiciens corpus, ne illud partis cuiuſuis læſæ cauſa tantummodo inſtitutum, cæteris ſit inſenſum, iure, quale, quantum, & quam opportunè conueniat, ex dictis alibi, aduertendum ſemper ſit. Verum enim verò ſi ſedes humoris quã-tis lateat, in eam attamen remediorum potentia integris viribus ſit peruentura, nulli dubium quin ea ex his, quæ calori quidem fauerint, vt dictum eſt, abſumendo humori plurimum ſint valitura, attamen vltro etiã tunc ea, alijs viribus, puta attenuandi, detergendi, aperiendi, tandẽque digerendi, & abſumendi, eidem humori deſtruendo euidentiſſimè proficient, veluti ſi pars ea in extimis poſita immediatè attingi poſſet; Etſi quoniam remedia hæc diuerſi ſunt generis, ideoque alia intrinſecus, & extrinſecus alia appoſitius miniſtrentur, iure ſi pars, in qua humor collocetur, extima fuerit, ex his ſufficient, quæ extrinſecus admouentur; Si verò intima ſint, ſed extimæ quadantenus conſentiens, vtique intrinſecus adminiſtrata ſunt neceſſaria, atqui etiam tunc extrinſecus adhibita ſpernere minime decet.

IN OMNI OPERE, ET inſtrumento ad eandem coniunctam cauſam extirpandam, iuſtam etiam quantitatem deſiderari probatur.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ET hæc ea eſt qualitas, atque conditio, quæ operibus, & inſtrumentis, ad certam coniunctam morborũ cauſam extirpãdam, adhibendis, ineſſe, debet, ſiue ex communibus totius, ſiue ex determinatarum partium vaſis, extirpatio ipſa à Medico fuerit inſtituta; Hac illamet igitur qualitate optime cognita, obſeruataque, neceſſario deinde vna extirpationis, & remediorũ extirpantium quantitas (vt opus ſufficienter, ſineque errore contingat) præcognoſcenda eſt; Et quamquam eouſque ſemper vacuatio ſolicitãda videatur, quouſque ipſa coniũcta morbi cauſa funditus extirpetur, ne aliquando eius derelicta portio totius adhuc referens conditionem, vt illud omnino inutile, & præternaturam erat, ita hæc nunquam in vnã corporis ſubſtantiam permutatura, tandem tẽpore recrudeſcat, ſincerosque humores, atque recens alimentum inquinet, adeo vt morbum penè ſuppreſſum denuo excitet, ægro ſcilicet in eundem recidente; Etenim niſi hæc iam à natura ſubacta ſponctè, vel arte pellatur, omni quantumuis exacta viuendi lege ſeruata, nuſquam tutus à morbo æger eſſe poteſt; nã tametſi vacuatione aliqua iam facta ille leuatus appareat, in priſtinam tamen prauam ralitudinem, ob id quod fuit reliquum, facilè recidet, modò quidem citius, modò tardius, aliàs leuius, alias grauius, pro humoris copia, qualitateque, ac virium ſtatu. Quamquam itaque coniunctæ cauſæ morbi euacuatio tanta conueniat, interea nihilominus virium tolerantia ſum-

tia ſummopere deſideratur, quando ſine ea, perperam, immo nocenter, remedium vacuans quantumcunque copiæ reſpondeat, adminiſtretur; Ergo vbi iam decretum ſit communia vaſa, per ſeceſſum, pharmaco ſoluenti, ab omni coniuncta morbi cauſa, fore purganda, ideoque operi huic appoſitum præſcriptum ſit medicamentum, equidem quidquid illius vaſis hiſce collectum ineſt, id funditus mouendum; cæterum inſimul quia tolerantiæ ratio ſemper habenda eſt, non quid ideo vniuerſim, an partitè, illud, proportionato inſtrumento, nempè pharmaco, proſequi liceat, prius examinandum, & quidem ex ijs iam pridem habitis coniecturis, de quibus nos, cum de cauſæ antecedentis demolitione loqueremur, abundè diximus, vbi ſcilicet tum roboris virium validitatem, tũ humoris peccantis quantitatem, tum demum pharmaci adminiſtrandi menſuram adamuſſim prænoſcendam, certis regulis, indicauimus, quã-uis hic vbi de coniuncta morbi cauſa è loco pellenda eſt intentum, quod per morbi vt plurimum declinationem proſequendum eſt, vt veritas rei certior, tutiorque omnino ſit futura, vltro præſſius. per id temporis, quatenus vires ipſæ, poſt anteactum bellum cum morbo, vigeant, æſtimandæ ſunt; ita enim poſt humoris copiam iam magis euidẽtem, & euacuatio, & pharmaci Idonei delectus melior erit conceſſus. Itaque ex his accuratè recognitis, quo nam vſque operandum, & quam valido inſtrumento vtendum, vt omnino peccans humor depopuletur, viribus, ſi fieri poſſit, quam minimum offenſis, vt porrò deinceps corpus per eas inſtauratum, priſtinæque integritati reſtitutum, præcedentis morbi recurſum, vel noui alterius imminentis periculum, prorſus effugiat, ſatis erit conſpicuum. Sed poſteaquam artificis ſummum ſtudium eſt, quorſum opus euadat, animaduertere; vtilis ne ideo ſolum, aut item perfecta per ſeceſſum facta purgatio ſit; an contra, nec vtilis, nec perfecta, ſic decernetur: Perfecta eſt, quæ humoris nihil reliquum facit; Vtilis verò, quæ inſignẽ duntaxat illius portionem exturbat, & ſi demum repetita, ipſi perfectæ ex æquo reſpondeat; Contra imperfecta ea æſtimanda, quæ omnino deficit in via; at inutilis, quæ parum, vel nihil illius quod redundat extrudit. Signis autem hæc diſcẽrnuntur; Primum ex humoris toleranter deiecti quantitate; Secundo ex ipſiuſmet ægri leuamine manifeſto; Quantitatem ex deiectis agnoſcimus; ſed cum interuacuandum nulla ferè eorum, quæ in inteſtinis exuperant, habeatur ratio, puta quod horum ibi ſemper multa quantiras ſit, niſi quatenus his magna, vel parua eorum admiſceatur copia, quę exuperaſſe, & morbi cauſam fuiſſe coniectura fuerat, nempe bilis, pituitæ, melancholiæ, aut alterius, iure merito licet deiectorum multa fuerit quantitas, adhuc tamen preſſius eorum ſubſtantia, ſeu conſiſtentia, atque color contemplandus eſt, ita namque peccantis humoris inſimul expurgati copia (niſi aſſumptum medicamentum impediat) magis fiet nota; alia enim eſt ſubſtantia, ſeu conſiſtẽria bilis, & alia pituitæ, vel melancholiæ; rurſum alius eſt vnius ex his color, quam alterius. Igitur dum coniecturis his, alijſque ſimilibus alibi ſufficienter expreſſis, cognita copia ſit, ex eis facilè, ne mediocris, vel perfecta ſit per ſeceſſum pharmaco facta purgatio, colligetur; Verumtamen ægrotantis leuamen, euacuationis ſufficientiam euidentius docet; namque etiam ſi qualia oportebat, ſed pauca admodum interpurgandum exierint, vt & interea laborans non apertè leuatum ſe percipiat, non magnopere certè talis vacuatio æſtimabitur; Si verò noxij humotis copia maiori detracta, ægrotus ſe ipſo multo leuior ſit, ea tunc manifeſtè vtilis eſt; At ſi plurimo humo-

mo humore, hoc eſt quantitati æque reſpondente, euulſo, laborans æger, non leuiorem modo, ſed ab omnibus quibus affligebatur ſe ſe prorſus vindicatum, ſolutumque ſentit, iam perfecta cenſebitur euacuatio; quia tunc præternaturalis cuiuſuis fomite funditus extirpato, laborãtis vires apertè reſurgent, & ſe ſe obeundis naturæ muneribus inſeruientes aptè reficient; Et quamquam plerunque veriſſimum eſt, humorẽ agitatum periodis conquieſcere, aut ſaltem morbum, perſiſtente intus cauſa, ſpõte ſe remittere, ac tum laborantem ſe morbo iam expeditum opinari, opinio hæc nihilominus vana eſt, vt potè quæ nunquam tuta, quæ citra euacuationem euidentem, obtigerit mali à repletione nati leuatio, puta quod ſine ratione facta cenſeatur; Fallit tamen aliquando in malis his, quæ ſenſim, reſolutionis via, inſenſibiliter deficiunt, hæc autẽ ſatis ſuperque cognoſcitur ex motu, & more, quem habent proprium, de quibus latius alibi dictum. Iam ſequitur euacuatio, quæ per ſudores ab vniuerſo corpore fit, quæ inquam quibuſuis illa excitata ſit ingenijs, debitam etiam ſemper menſuram ſibi præſcribi deſiderat, quãdo licet quod exundat, per cutis poros foras commodè euocetur, attamen cum interdũ laxata ſumma cute, effundantur etiam ſpiritus, quibus facultas omnis, ac vita conſeruatur; hinc merito fit, vt maturius ſemper, tum opere, tum inſtrumento, ad prouocandos ſudores ſit procedendum; atque licet pro humoris copia, ſudatio procuranda ſit, per vnam tamen virium tolerantiam illa metienda eſt; Hæc autem tolerantia, nec ex his ſolum, quæ vniuerſim aliàs diximus, obſeruanda eſt; Inſuperque facta comparatione præſentium virium cum præteritis per ſanitatem proprijs, vt faciendum iam indicabamus, ſed adhuc magis ex illis, quæ ſudationi ſpeciatim aduerſari conſpicuum eſt; inter quæ dubio procul ſunt, partis alias afflictæ conditio, quæ per ſudorem fortaſſe peſſimè afficitur, ad eam ſcilicet aliũdè vocatis humoribus, vt non rarò contingit; Inſuper vniuerſus ægrotãtis habitus, ſiccus ille nimis, tenuiſque, & qui præſertim facilè diſſipatur, ac languet, maximè verò illius, qui per antecedentem morbum conſumptus valdè, & reſolutus extiterit; Et quidem potiſſimum per morbum calidum, ſiccumque, ne vt ille facilè in extremos langores perductus, prætereque rationem inflammatus, ita malo ſuo maximo difficilimũ poſtea incurrat inſtaurationis impedimentũ, quo caſu (dum ſudatio valdè cenſeatur neceſſaria, veluti certè eſt, quando pellendus humor à vijs latioribus diſtet, & habitum ipſum corporis potiſſimum occupauerit) non niſi poſt refectas vires, temperiemque ſatis aſſequutam, blandè, & leniter, perque epicraſim, tractandus æger eſt, & eo ſanè magis, quod epicraſis, interſudandum, naturæ ſit maximè propria, quippè nunquam illa omnẽ humorem vna ſudatione expellat, ſed pluribus, illiſque etiam interpolatis, vt longa obſeruatione comprobatum eſt. Adeſt euacuatio per vrinam, quæ & vniuerſalis eſt, & ſanè etiam modum ſuæ quãtitatis exoptat; Etenim redundans humor ex corpore vniuerſo colliquatus, foras per vrinam poteſt erumpere, at pro eiuſdem humoris copia, magis, aut minus, eadem via, ex arte tentanda euacuatio eſt, ne temere autem proſequatur, virium quoque tolerantia attendenda eſt, quando licet copioſam ſatis hanc vires quantum vis debiles cõmodè ferant, quod ex ea illæ parum fatigari videantur, nihilominus vt per ſudorem colliquatur vniuerſum, ita per vrinam illud ad tabem vſque aliquando deducitur, ne labefactatum ergo, eneruatumque nimis corpus, ex præcedenti malo, in ſimile (quãquam raro obſeruatum) incidat detrimentũ, non ab re erit, cautè, debitis inſtru-

tis inſtrumentis, ad opus deuenire; Sed de virium tolerantia vniuerſim ita ſit dictum, quoniam adhuc particulatim ea eſt perpendenda, conſiderandum enim quantum, & quam benè partes omnes huic vacuationi inſeruientes pro ratione conſiſtant, hæ ſiquidem partes vbi ſecundum naturam ſe habeant, aptè euacuationem tolerabunt, ſed ſi præternaturam affectæ ſint, proculdubio ſi per eas tentetur euacuatio, ægrotantis detrimento maximò, labefactabuntur. Vt igitur tutò medicina ſuccedat, vbi concurrant, quæ vrinam requirunt, cum his quæ ipſam minimè tolerant, pro quanto certè in quoque ſit ponderis, æxtimanda ſunt, ſenſimque procedendum, vel demum etiam ab opere abſtinendum, videatur. Ita quidem tum operis, tum inſtrumenti, ad communia vaſa purgãda, inſtituti, decernenda quantitas eſt, ſed vtriuſuis ad peculiaria vniuſcuiuſque partis vacuanda vaſa, eadem penè etiam ratione, debita quantitas ſit conſpicua; Namque tum humoris euacuandi copia prænoſcẽda, tum virium partis robur præmeditandũ, hinc quippè duntaxat, nec aliundè, & operum, & inſtrumentorum omnium regula habeatur; Siue igitur venter primus, nempe caput; Siue ſecundus, puta pectus; Siue demum tertius, ſcilicet abdomen, & quæ abdomine continentur, proprijs idoneis inſtrumentis ſit a colluuie expurgandus, ſemper humoris purgandi copia primum, robur deinde partium ſuo ventri contentarum, vacuationique præſertim ſeruientium, præcognoſcetur; Etenim verum eſt, quod humori multo, vacuatio magna, illique ſufficiens inſtrumentũ deſideratur; Verum tamen certum eſt, aliquando partes ipſas debiles eſſe, vt puta morbis afflictas, quamobrem quin vlterius affligantur, medicamentis irritari, difficile poſſe; quoties itaque, ex adhibito medicamento, deterioris conditionis euaſuræ ſint, toties vtique ab opere, & inſtrumento abſtinendum, vel quatenus ſuſpitio minor fuerit, opus audentius aggrediendum, vſque quo tandem per manifeſtũ partium earundẽ robur, ad opus integrè proſequendum, liceat medicamentis vti deſideratis; Ad hæc autem quoties partes corporis ſuo ventri contentæ, remedijs ad expurgandũ conſuetis, vacuari proprijs ductibus nulla ratione queant, ſed quod his altè nimis per habitus poros vacuãdus humor collocetur, vt potius digerentium medicamentorũ, ſeu diſcutientium vſum expoſcant, aut fortaſſe etiam continui ſolutionẽ, profectò iuxta aliàs in ſuperioribus annotata procedendum eſt, vt ſi de continui ſolutione in extima corporis parte exercenda ſermo ſit, tunc primum ex humoris copia conſtat quonam vſque opus debito inſtrumento aggredi, ac proſequi ſit operæ pretiũ, vt nempè totus qui afficit humor foras erumpat; deinde autem ex virium partis robore idem clarius decernitur, & proprius etiam an ſimul, & ſemel, an mauis paulatim, & ſenſim, integrum opus, ob ſuſpectam viriũ diſſolutionem, ſit abſoluendum, aut ne quidẽ minimum aggrediendum; Copiam humoris ipſa parte collectam, vtique poſt alia, ſatis ſuperque indicant, pondus, tumor, ac tenſio; Sed ipſum robur ex cõſtitutione partis indicatur, eo quoniã ſæpe talis ſit, qualis per ſe, ſuaque natura, nuſquam continui ſolutionem tuto ſuſtineat, vt potè per quam non parum ea ſit labefactatura; contra ſæpe eadem talis eſt, vt ſolutionem ipſam vtiliter, ſed modo recto inſtitutam ferat, qualem profectò ex dictis prudens medicus bellè agnoſcet; Verum ſi per digerentia, aut quomodolibet diſcutientia moliri vacuationem oporteat, non dubitandũ quin ea tanta eſſe debeant, quanta digerendo humori, illi vè aliàs, quomodolibet diſcutiendo, ſufficiant; inſuperque quanta vires ipſæ ferant; Sufficere autem

medicamenta hæc credi par eſt, vel intenſiuè, vel extenſiuè talia, vel inquam quatenus ipſa multos, aut paucos actiuitatis gradus habent, vel quatenus eadẽ maioribus, aut minoribus partibus ſubiecti, in quod agunt, ſe ſe cõmunicare poſſunt; quorum certè primũ ineſt medicamentis per ſe, ſecundum verò non item, ſed ex accidenti, qua nempè ratione longius, aut breuius in agendo hæc illa perſeuerant; adeo vt licet ex his validiora aliqua per ſe ſint, & aliqua minus, tamen vel vna ſaltem actionis duratione, quæ imbecilliora ſunt, validioribus ex æquo reſpondent; Sed prætereà virium partis tolerantia, ex conſtitutione, ſede, atque conſenſu optimè patet, ſi tamen humoris conditio annectatur; Nam conſtitutio, quæ tenuior, eaque calidior, ac ſiccior fuerit, digerentium, diſcutientiumque, aut aliàs humorẽ parti infartum diſſipantium medicamentorum vim, non niſi debiliorẽ fert, quia hæc calidiora, ſicciorapue, & ad penetrandum valdè prompta cum ſint, quandocunque modũ exceſſerint, parti labem ſemper allatura ſunt, non autem ſi conſtitutio denſior, frigidior, & humidior extiterit; Inſuper cum pars extrinſecus, & intrinſecus collocetur, ſanè vt eam medicamenti virtus attingat, certa menſura virtus ipſa donari debet. Si enim intrinſecus medicamentum adminiſtretur, quia ſedes ipſa ſit intimior, certum eſt, & intenſiuè, & extẽſiuè vim medicamenti validam deſiderari; at re aliàs ſe habenti, ſufficere extenſiuam, ne intenſionis exceſſus, vt puta nimius, fortaſſe lædat; Dein partis, qua reſidet vacuandus humor, cum alijs conſenſus non negligendus eſt, ne dum vni prodeſſe intendimus, alijs ſibi maximè conſentientibus noxam inferamus; Quamquã hæc ad indicandum maiorem habent vim, vbi humor diſſipandus non operi duntaxat, verum & inſtrumento ipſi conſenſerit; quoniam per denſitatem, atque craſſitiẽ, non ſola vis extenſiua ſat eſt, ſed inſuper ad propius penetrandum requiritur intenſiua, at per raritatem, ac tenuitatem, ſufficit extenſiua, quippè intenſiua, quæ tunc modum excedit, non digerat, nec diſcutiat, ſed ſępiſſimè potius condenſet, viasque obſtruat, & diſſipatis partibus tenuibus, craſſas magis infarciat, rebellesque reddat.

DE OPPORTVNITATE OPERVM, ac inſtrumentorum, ad cauſam coniunctam ex arte funditus abolendam diſſeritur.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SED opportunè agenda ſunt omnia, ne intempeſtiua operatio ægris detrimentum importet; Quare ſi cauſa coniuncta, per ſeceſſum, pharmaco vacuanda ſit, ſanè tunc opportunitas ſtatuenda primũ, per quam humor, qui hæc ipſa cauſa eſt, tutò euacuandus indicetur, interim autẽ euacuatio ipſa à viribus toleretut, à virium inquam, tum vniuerſi, tum partium, ipſi vacuationi deſeruientium, robore; Hæc ſiquidem tolerantia neceſſaria adeo eſt, vt (quod ſæpiſſimè dictum) præter eam pernicioſſimum ſit, quamuis euacuationem aggredi, vnde vt illius occaſione, vacuatio affatim, & tuto plerunque commoda, & ſalubris eſt, ita plerunque etiam ſenſim, & paulatim

latim ſolum tentanda eſt, vt pedetentim refectis viribus, tutius illa ſuſtineatur; Verum vnde tolerantia hæc ſufficienter dignoſcatur, alibi ſatis, ſuperque expræſſum eſt. Sed ne humor ipſe, coniunctæ cauſæ rationē habens, iam tuto vacuandus indicetur, ex his certè conſtabit, ex quibus, poſt tolerantiam virtutis, inſuper optima ipſius ad vacuandum diſpoſitio colligetur, ex demonſtrantibus inquam eum iam tū propria, tū impropria coctione elaboratum, ſuperatū, in modūque ita redactū exiſtere, vt nec morbum ſeruare amplius valeat, nèc itē vltro detineri, ſed omnino vacuationi accōmodatus ſit, quia puta conditionem eam ſit adeptus, per quam ipſe inutilis, excrementitiuſque, & perinde facultatis pellentis beneficio vacuandus, atque ita etiam fluidus, vt per vias apertas ille expulſioni commodus æſtimetur; Ex humore ergo ſic ſe habenti, ne recurſuri morbi periculum impendat, euacuatio eius per pharmacum aptè indicatur, quippè tunc tutò, & facilè ea ſit ſucceſſura. Atqui quonā potiſſimū morbi tempre hæc præſto ſint omnia, vt perinde medico tunc opportunum, ac neceſſarium ſit deſideratam euacuationē aggredi, non difficilè erit intelligere, ſi dum humoris coniunctæ cauſæ rationem habentis aptitudinē, corporiſque habilitatem, & tolerantiam inquiremus, inſimul tempus morbi, quo hæc omnia ſufficienter adeſſe ſolent, in apertū deducemus; per coctionē equidem tū propriam, tum impropriam, humor qui præter naturam eſt, morbumque facit, & cauſæ coniunctæ rationem habet, tandē ita diſponitur, vt appoſitè, vel ſpontè, vel arte veniat euacuandus; Nam per coctionē propriam, humor inprimis qui inutilis eſt, & expurgandus, caloris innati ope, & facultatis coquentis vi, ſecernitur ab vtili, & iudicatur inutilis; præterea etiam ille ſucceſſiuo opere, & coctione impropria, tum tenuis, tum fluidus ita, caloris, ac facultatis coquentis beneficio, fit, vt demum nihil habeat, ex quo euacuatio eius retardanda videatur; Immo coctionibus vtriſque peractis, ductus quoque corporis omnes, ſeu viæ, quibus euacuandus eſt, neceſſario ita apertæ, patenteſque ſunt, vt nullum etiā extraneum reliquum ſit euacuationi impedimentum. Tempus autē morbi, quo adſunt hæc, declinationis morbi tempus eſt, tunc quoniam morbus palam ſanitati cedat, quoniam eius coniuncta cauſa, nempe humor vnde excitabatur, propriam, qua lædabat, pernitiem amiſſit; Sed hanc verè non amittit, niſi quando perfectè, & omniquaque coctus extiterit; per declinationis itaque morbi tēpus coctio iam perfecta adeſt, ſubſequēterque tunc ita humor qui peccabat, & morbum faciebat, diſpoſitus, ſecretuſque eſt, vt per id temporis, opportunè veniat expurgādus; Quod vtique alijs morbi temporibus minimè conceſſum eſt, quando tunc ſi in venis purgandus humor collocetur, adhuc ille vtili humori adeo permiſceatur, vt deturbari ſolus per delectum nequeat; Si autem extra venas, puta in primis ipſis vaſis, perindeque ab vtili ſegregatus ille reſideat, adhuc tamen infarctus vijs eiſdem, renitenſque ideo, & rebellis ſit, vt nullo modo inde deturbari valeat; Et quamquam ab initijs, per augmentum, ad ſtatum vſque morbi, multæ peccantis humoris partes, ſic ſe habentes, ſucceſſiuè conficiantur, cōcoquanturque, vt ſubinde etiam ſponte illæ foras toleranter, & euidenti ægri leuamine, quomodolibet expellantur; Interea tamen nullo modo eas, arte ſalubriter, pharmaco aggredi conceſſum eſt, quando non ſemper naturam benè operantem irritare medicum deceat,, ſi preſertim tunc detrimentum aliquod graue, quod euitare non liceat, palam ex opere patrando immineat. Vnde cum per ea tempora cruditas ſemper maior, &

vrgentior ſit, coctio verò minima, & valdè imperfecta, atque nondum
ob id cauſa morbi coniuncta aptè diſpoſita, pharmaco irritanti ſit obtem-
peratura, ſed colliquaturum potius corpus cenſeatur, & ab omni opere
recto natura interim deturbatura, maximo virium detrimento, iure per-
fecta coctio ad manifeſtam declinationē vſque expectanda eſt; Nec quo-
niā per initia licet pharmaco cauſam morbi antecedentē aggredi, & pro-
pè augmentum quoque (ſi pridem tamen id ex arte minimè tentatum ſuf-
ficienter ſit) propterea & coniunctæ euacuatio etiam ex atte conceſſa eſt;
Quoniā vtique longè diſpar vtriuſuis cauſæ ratio eſt; Antecedens enim,.
quæ nundum morbum facit, (vbi excrementitius humor cenſeatur) ad-
huc ſatis apta euacuationi eſt: Atqui coniuncta, quia iam ſua pernitie,
puta viſciditate, craſſitieque, & alia tandem praua qualitate adepta, mor-
bum facit, expulſioni omnino ideo inepta eſt; Si quo igitur morbi tem-
pore, ex arte, tentanda per pharmacum cauſæ coniunctæ erradicatio eſt,
ipſa declinatione morbi ſemper tentanda eſt; Vtrum modo perfecta ex-
pectanda totius peccantis humoris concoctio ſit, an quouis potius eiuſdē
declinationis momento, cum adhuc etiam coctio ex parte aderit imper-
fecta, conceſſum ſit pharmaco vti, quæſtione dignum eſt; De hoc tamen
ita cenſendum; Si morbi motus, mos vè, talis omnino ſit, vnde tempo-
rum eius diuturnitas arguatur, vt & declinatio ſimul cum cæteris longa
futura ſit, tunc proculdubio, vt per partes humor coquitur, ita neceſſario
per partes euacuandus eſt, nec exacta omnium partium eius expectanda
coctio eſt; Etenim cum ſæpè propter partium illius differentiam, & va-
rietatem, certum ſit, ex his vnam facilius, & citius, alteram difficilius,
& tardius à natura ſuperari, merito accidit vt humoris euidens, & nota-
bilis portio iam perfectè cocta quanto citius vtiliter expurgetur, etenim
ea tunc ad purgationē idonea exiſtente, non ſine periculo longius in cor-
pore detineatur, euidenti ſiquidem periculo recrudeſcentiæ purgatio tūc
difficiatur. Neque obſtat quod plerique fingunt, ideo ante perfectam to-
tius coctionem, nullo modo pharmacum conuenire, quod nuſqnam ſit
opinandum, illud ita prudenter, & temperatè, in coctas partes agere poſ-
ſe, vt cæteris, quæ adhuc crudæ ſunt, nulla confuſio, nulla vis inferatur,
poſteaquam phaimaci proprium eſt, coctioni vim facere, eam perturbare,
peruertere tum futurā remorari, & reddere difficiliorē, quandoquidē hoc
ſolum habeat veritatē, crudis partibus coctas longè ſuperantibus, tunc ſi-
quidem non dubitandū, quin leui ex cauſa, vel puta adhibito pharmaco,
quod tunc fortaſſe coctum eſt, rurſum recrudeſcat, non autem longè ſu-
perantibus coctis, quæ in declinatione morbi euidenter ſuperant. Sed
iam locus eſt, vt de opportunitate excitandi ex arte ſudores, vrinamque
prouocandi, ſermo ſit; Etenim quamquam in omni morbo, qui ex re-
pletione contigerit, à principio, in finem vſque, harum vacuationū vtra-
que vtilis ſæpe eſt, quod ferentibus viribus, repletioneque vrgente, ſem-
per vacuatio proſit, attamen vt fæliciter, & proſperè ſuccedat opus, nuſ-
quam illud aggrediendum, niſi quando, omni remoto impedimento,
iamque omni habilitate præſenti, operi natura futura ſecunda ſit; Hoc
autem maximè euenit per euidentē morbi declinationem, qua humor ip-
ſe euacuandus iam factus eſt habilis, & euacuationi cuique, per ſudores-
que inprimis, ac per vrinas, promptus exiſtit, (humorē quidem dico,
qui in venis ipſis, hoc eſt, ſecunda vaſorum ſerie, continetur, quoniam
qui in prima, meſenterio nēpe, & adiacentibus vaſis, reſidet, & ſi ſpon-
te plerunque, ſola naturæ induſtria, occultis, latentibusque ductibus,
hac ea-

Digitized by Google

hac eadem via pellatur, propius tamen per ſeceſſum, in quem vaſa illa breues, & patentes habent ductus, eijcitur) namque humor ante hoc tẽpus, nundum ſcilicet perfectè celebrata coctione, quoniam crudus, & euacuationi imparatus exiſtit, ſi per ſudorẽ, vel vrinam mouentia perturbaretur, hæc quoniam, ſi interna ſint, attenuent, detergantque valẽter, ſi verò externa, attenuent ſaltem, & colliquent, ac in tenuiſſimas partes conuertant, nulli dubium quod illo adhuc multo, ac crudo exiſtente, per hæc intempeſtiuè adminiſtrata, extenuaretur quidẽ, quadantenusque foras educeretur, attamen inſimul ille omnimodè euacuationi inobediẽs maiori ex parte altius parti cui hæret figeretur, impingereturque, vt inde poſtmodum difficilius dimoueri poſſet; Et inſuper, quod magis eſt, ille tunc, cum ob copiam, per coctionem etiam bene diſpoſitam, nulla vi regi, gubernarique rectè poſſet, è loco vbi reſidet dimotus agitaretur, hucque, & illuc perperam diffunderetur, & è ſede fortaſſe ignobili, in nobiliorẽ perduceretur, magno ægri detrimento; quare per tempus perfectæ coctionis, & poſt euidentẽ morbi declinationem duntaxat, ſudor, & vrina opportune, ob humoris habilitatem, ſi tolerantia adſit, excitatur; Sed præterea tunc opportunè magis idem fit, ſi remotum omne impedimentum fuerit, ex quo detrimentũ aliquod ægrotanti immineat, ſi quãdo inquam peccantis humoris, quamquã cocti, & ad euacuandũ benè diſpoſiti, copia, per vias patentes, hoc eſt per ſeceſſum, pharmaco foras expurgata, ſatiſque diminuta ſit, ne porrò cum remedia hæc externa, vel interna, ſudorem, vrinamque mouentia, attenuantiaque perinde, & humores fluxiles efficientia, tunc vigente adhuc copia, non per vrinas ſolum, aut per ſudores appoſitè ducant, ſed præterea vltro, propter copiam eandem nimiam, (vt dictum eſt) & ſimili euacuationi longè imparem, huc, illucque per omnem viam, in corpus vniuerſum deferant, vt eorum perinde purgatio difficilior euadat, indeque non tantum recidiua prætto ſit futura, verum & nouorum morborũ, atque ſimptomatum origo promptè ſucceſſura. Et quidem omnia hæc opportunitatis occaſione prærequiruntur, dum cauſam coniunctam in communibus totius vaſis reſidentem iam nos demolituri ſimus, atquí eadem in ſingula quaque corporis parte ſedem habente, in deque illam nos, proprijs ductibus, medicamentis idoneis, deturbaturi, ſanè præter vnam virium partis tolerantiam, & ad opus promptitudinem, cum vacuandi humoris diſpoſitione; adhuc alterum ſummopere deſideratur, nempe iam corpus vniuerſum ſecundum vaſa communia ab omni humorum coluuie liberatum exiſtere, ne ex ea adhuc perſiſtente, ob mox tentaturam partis vacuationem, noua quaſi attrahente occaſione aduentanti, nouus eiuſdem colluuiei in partẽ decubitus fiat, & morbus, aucta cauſa, recrudeſcat, in deteriusque proficiſcatur; Atque cum per ſolam morbi declinationem hæc ſimul omnia conceſſa videantur, per ſolam ideo declinationem eandem, coniunctam cauſam parti inhærentem medicamentis demoliri licebit; Veriſſimilè namque eſt, per declinationis tempus, ita vniuerſum ab omni colluuiei onere deoneratum, vt ſi quæ pridem antecedentis cauſæ demoliendæ occaſione peragenda fuiſſent, ex arte, ſuis temporibus, ſint à medico prudenti rite peracta; Inſuper & veriſſimile quoque videri debet, per id tẽporis, humorem cauſæ coniunctæ rationem habentem, coquentis facultatis vi, & inſiti caloris beneficio, ſufficienter ita confectum, diſpoſitumque eſſe, vt ipſi demum expulſioni ille obtemperaturus cenſeatur; At per eandem declinationem, virium partis tolerantia, eidem met euacua-

tioni,

tioni, integrè, aut partitè procurandæ, (quocunque illa ingenio proeuretur) congrua eſt. Per vnam itaque præſentis morbi declinationem, videtur maximè opportunum, cauſæ coniunctæ parti inhærentis vacuationem aggredi; Verum quod etiam ante declinationis tempus cogamur aliquando cauſæ ipſius coniunctæ demolitionẽ tentare, vel ex eo potiſſimum, quod morbus, atque ſimptomata, ob cauſæ vitium vrgeſcant ita, vt niſi vacuantibus ingenijs quam celerrimè occurramus, omnino parti ſummũ diſcrimen impendat; Vtique quod tunc vacuatio ea coacta, & minimè ſecundũ naturam fiat, illius ideo opportunitatis ratio, alia, ac alia omnino eſt; Etenim poſita virium tolerantia, dum ea proficua magis, quam noxia ſit futura, ſi præſertim quod peccabat, per eam, ſi non tollatur penitus, minuatur ſaltem, vt natura dein melius valeat ſupra reſiduum, fit, vt quilibet opportunam eam, & propè ipſum morbi principium, & in augmento, ad ſtatum vſque, iure optimo opinetur; Sed quo potiſſimum opere, & inſtrumento, ex iam propoſitis, id tentandum ſit, explorandum prius, ex ſede præſertim humoris, & modo, quo ille inde dimoueri quanto citius valeat; Etenim vel ita humor in parte reſidet, vt inde ille patentibus vijs ſit, medicamentis irritantibus, detergentibus vè, expurgaturus, vel potius iam partis ſubſtantiam ita ſubijt, altèque ei fixus hæreſcit, vt non niſi latenter, per digerentia, & attrahentia, aut manifeſtè, per continui ſolutionem facientia, foras educi valeat; Si quidem primum, non dubitandum quin ſublato omni antecedentis cauſæ decubitu, maximè commodum ſit, ad generoſè cauſam coniunctam ammouendam, medicamentis irritantibus, vel detergentibus vti, quando præſertim fluxilis in vijs ipſis humor ſtet; Si autem ſecundum, quamquã digerentia & attrahentia idem quoque præſtare apta ſunt, quod ea nihilominus lentè nimis, & ſenſim agant, & ſuis viribus tunc attractionẽ quandam facere, nouumque decubitum excitare humoris in partẽ poſſunt, propterea nec voto ſatisfaciunt, nec quocunque morbi tempore adminiſtranda ſunt, ſed per omnimodam declinationem tantum, vt alibi etiam dictum ſuit; Reſtant continui ſolutionem facientia, de quibus ſic habeto; Vel adeo morbus, vitio cauſæ, viget, vt iam parti ſumma pernities immineat, atque tunc quamprimum fuerit conceſſum, nec partis excellens præſtantia obſtet, eadẽ pars, immediatè, appoſito inſtrumento aperienda, vt nempe ex ea, tanquam ex fracto vaſe, abundè exeat, quod lędit. Vel ſi huic operi partis præſtantia impedimento fuerit, aliud ve, vtique tunc, eodem inſtrumento, aut ſimili, ex parte alia proximiori non impedita eatenus facienda euacuatio eſt, quatenus quod peccat, à parte læſa, quanto citius, generoſè derriuet; Hac enim ratione, imminenti partis detrimento ita prouiſum erit, vt dein ſi quid reliquum mali ex relicto humore ſeruati perſiſtet, ſine difficultate illud quamprimũ, vel ſpontè, caloris inſiti beneficio, vel arte adhibitis diſcutientibus, ſit ſuperaturum, diſſipaturumque. Quod verò hucuſque pluries, humorum diſpoſitionem, èx coctione, ante expulſionem, expurgationem vè, deſiderari ſuppoſitum eſt, quippè nihil vſquam expelli poſſe, citra præuiam diſpoſitionem, quæ per omnem exactam coctionẽ habetur, certum videatur, iure ideo nunc quæſtione dignum eſt, an diſpoſitio, ſeu potius coctio hæc, appoſitis inſtrumentis, illiſque ex arte adminiſtratis, adiuuari, accelerarique poſſit. Cui, iuxta iam à nobis alibi expreſſa, reſpondere licet, & poſſe, & deberi. Namque vt coctionis omnis, inſitus noſter calor, poſt facultatem ipſam, autor, & opifex eſt, calor verò, atque facultas,

cultas, proportionatis quibuſuis & ſi foueatur, ſpiritibus tamen potiſſi-
mum conſeruatur, & viget, ita dum ſpiritibus ipſis fauor ex arte accedat,
coctioni quoque fauorem adeſſe neceſſe eſt; per conuenientem nutritio-
nem autē multiplicatur ſpirituum ſubſtantia, conuenienti ergo laboran-
tis nutritione fauor coctioni præſto eſt, atqui ſublatis omnibus, tum con-
tingentibus, tum neceſſarijs, vnde vel oppreſſio, vel reſolutio ſpirituum,
& caloris, adeſſe poteſt; ijs quinimo omnibus perquiſitis, adhibitisque,
ex quibus ijdem ſpiritus, vnà cum calido, vel primo, atque directè, vel
ſecundo, & indirectè, fouentur, coctio ipſa generosè viget; viget inquā
inprimis coctio, quæ propriè coctio nuncupatur, per quam ſcilicet inuti-
le ab vtili aptè ſecernitur, excrementitiumque ita decernitur, vt tandem
quomodolibet facile diſſipari valeat; viget itidem ſecundo coctio, quæ
impropria coctio dicitur, per quam nempè vltrò quod diſſipandum eſt,
ita diſponitur, vt ſi craſſum fuerit, illud attenuetur, ſi tenuè, incraſſetur,
ſi demum qualitate donatum alia fuerit, ob quam ineptum expulſioni,
diſcuſſioni vè extiterit, tandem adeo corrigatur, & emēdetur, quod me-
ritò, & totò, & iucundè pelli, diſcuti, diſſipari vè poſſit; Cæterum vt
hæc, per rectum victus regimen, toto progreſſu morbi, inſtitutum, ſatis
ſuperque præſto ſunt omnia; Ita adhuc eadem medicamentis, ſecundū
artem adminiſtratis, maximè ſolicitari poſſunt; Omiſſis autem ijs, qui-
bus virium quarum vis robur per nutritionē, & fotum ſuſtentatur, & cō-
ſeruatur, de quibus dictum alibi, ad alterantia, hoc eſt refrigerantia, ca-
lefacientia, attenuantia, detergentia, ac reſerrantia, quatenus ad præ-
ſens negotium faciunt, tranſeundum eſt, atque horum quoque vſus ape-
riendus, & tum qualitas, tum quantitas, tum demum opportunitas demō-
ſtranda, vt ſubſequenter appareat, qua ratione ex his talis, tantaque di-
ſpoſitio indatur humoribus, qualis, quantaque illis debellandis iuſtè ſuf-
ficiat. Etenim quod ad qualitatem ſpectat, certum eſt, euacuandos hu-
mores non ſemper eodem, ac ſimili detineri impedimento, ſimilemque
ideo ſemper expetere præparationem, quando illi ſæpe frigidi, craſſique,
& viſcidi cum fuerint, calefieri, attenuari, atque detergi potiſſimū exo-
ptent; contra ſæpe calidi, acres, tenuesque nimis cum ſint, refrigerari,
leniri, incraſſarique quodammodo cupiunt, vt nempè propriæ mediocri-
tati reſtituti, commodius naturæ, & arti obedientes euadant; vt quoque
viæ per quas illi vacuandi ſunt, eodem penè beneficio reſerentur, & pa-
teant; Quare medicamenta hiſce operibus idonea ſpeciei multiplicis
ſunt, exceſſui puta cuiuis ex æquo reſpondentia, quæ & multiplici for-
ma pro neceſſitate adminiſtrantur; Vniuerſim attenuant, ſiue calida, ſi-
ue frigida, quæ intrinſecus præſertim exhibita, partiumque tenuitate do-
nata, craſſum, & concretum humorem altius intro ſubeuntia illum exte-
nuant, & in minimas redigunt partes; vnde cum antea viſcidus eſſet, &
infarctus, iam poſtmodum fluidus, & vacuationi prōptus euadit; Quod
& extrinſecus ſæpe adhibita idem præſtare poſſe videntur, dum extenuā-
ti qua pollēt vi, quod nimis fortaſſe craſſum intus latet, emolliūt, & col-
liquant; Detergunt verò, quæ poſt partium tenuitatem ad penetrandū
accommodatam, quadam adhuc acrimonia prædita cum ſint, vi ſua, at-
tenuatum iam humorem, quaſi ſordem vijs hærentem luculenter abſter-
gunt, & eluunt, demumque euacuationis paratum reddunt, & vias libe-
ras, ac promptas efficiunt; Contra alia frigiditate ſua, viſciditateque
quadam facilè humorem calidum, tenuem, & acrem, ita leniunt, ac pe-
ne placidum reddunt, vt nihil in eo reſtet, ex quo euacuationi eius impe-
dimen-

dimentum ad ſit ; In horum & ſi remediorum alioqui maximè vtilium adminiſtratione, ne dum vnum aliudue vitium tollere procuramus, aliud tunc, & fortaſſe deterius adueniat, quod certè futurum videtur, ſi horum tum quantitas, tum opportunitas negligatur, vtriuſque idcirco in his deinceps habenda ratio eſt ; Namque licet ob pernitioſæ qualitatis in humore exceſſum, omnia hæc intenſiuè, & extenſiuè, tum validiora, tum minus valida intercurandum congruè decreta videantur, attamen eorumdem per ſingula morbi tempora indifferens vſus, nō parum obeſſe poteſt ; Si quidem ex his aliqua intrinſecus præſertim aſſumpta, quæ attenuant, detergunt, & reſerant, exuberanter nimis, etiam humoris peccato congrua adminiſtrentur, ſi quidē prioribus morbi temporibus, crudis adhuc valdè exiſtentibus ſuccis, adhibeantur, profectò tunc ſegregatos, & alicubi penè quietos humores coctionem expectantes commouebunt, perturbabuntque ita, vt illi ab incepto coctionis opere penitus diſtrahantur, & dum hæc impetu quodam nimio eos comminuent ; in tenuiſſimamque ſubſtantiam verſos, per anguſtos quoſque ductus, in occultas etiam corporis latebras manu quam facilè ducent, ibique vel nouum genus mali procreabunt, vel ſaltem inde non niſi difficilè medicamentis educi aliquando valebunt ; talia enim, & deteriora parit excellens, & intempeſtiuus attenuantium, & detergentium vſus ; atqui mediocris à principio ad morbi ſtatum vſque opportunus, & vtilis eſt, cum ſenſim, & paulatim agat, atque adeo humorem extenuet, quod inſimul coctioni apprimè faueat, quod inquam vt comminutio carnium ad elixationem, ita extenuatio ad coctionem maximè faciat ; Cæterum declinante iam morbo, humoreque ipſo iam magna ex parte concocto, ad vacuationemque diſpoſito, vt nihil impediat, quin vacuatio eius per pharmacum, ſi nō integra, ſaltem partita fiat, ea ſanè quauis poſſibili, & vtili iam celebrata, cum nihilominus humoris craſſi partes craſſiores adhuc ſtent, operæpretium certè tunc eſt, humoris reliquum viſcidum, & craſſum nimis, ideoque rebellem, valentioribus attenuantibus, & detergentibus, aggredi, cum tunc iam nulla copia vrgeat, ex qua deterioris alicuius damni ſuſpicio oriebatur ; à leuioribus itaque, hoc ordine, nos inchoantes, fælicem ſemper euacuationem aſſequemur ; Ita quippè non tantum humores ipſi fluidi futuri ſint, ſed & viæ, per quas in ſeceſſum illi derriuandi ſunt omnes, liberæ erunt, & expeditæ ; nec harum obſtructione, humores pharmaco concitati conſiſtent, & corpus iactatione multa, vel damno grauiori, denuo fatigabunt ; Et de internis medicamentis attenuantibus, & detergentibus ita cenſendum, quoniam quæ leniunt, & incraſſant, aliàs omnino adminiſtranda ſunt, vt enim per initia tenuiores, acrioreſque ſemper humores ſunt, & quo magis declinat morbus, eo hi magis lenes, placidique, & craſſi, (quatenus ſaltem per coctionem licet) euadunt, merito per initia, quæ leniunt, & incraſſant, ſemper validiora, pro humoris neceſſitate, conueniunt, deinceps verò perpetuò minus valida, vſque quo ab his omnino abſtinere æquum videatur. Reſtarent externa non minori cautione adminiſtranda, vel enim hæc ideo extrinſecus adhibentur, quod latentem humorem per conſenſum ſaltem attingant, & immutent, vel quia humorem externam ſedem habentem immediatè, & per ſe alterent, atque ita vacuationi magis commodę eum facilem reddant ; Vtrūuis quidem horum fuerit, vtique tale id medicamentum eſſe neceſſe eſt, quale humori potiſſimum reſpondeat ; humor autem vel frigidus, & craſſus eſt, & perinde parti valdè impactus, vel calidus eſt, & tenuis, ideoque

partem.

partem, qua reſidet, altè nimis ſubiens; Quare ſi primum, ſanè tunc medicamentum quod calidum, & humidum potius, quam ſiccum, tenuiũque partium fuerit, operi aſſequendo erit accommodatiſſimum: At ſi ſecundum proculdubio medicamentum quod frigidum, itemque humidum potius, quam ſiccum, partis poros permeare aptum ſit, tunc humorem in modum rediget; Dum tamen medicamentum quoduis, tum humori ipſo, tum conſtitutioni partis, cui ineſt, illud proportione reſpondeat, & opportunè adminiſtretur, quandoquidem omnis exceſſus ſemper malus, vt etiam defectus inutilis ſemper eſt, & aliquando etiam noxius; Inſuper & intempeſtiuus, localium medicamentorum vſus morbũ difficiliorem, & diuturniorem reddit; Calidiora enim frigidioraque, in fine potius, quam in principio, effectum pariunt omnino prauum, in frigidis quoniam humoribus calida corruptionem inducunt; at in calidis frigida condenſationem nimiam efficiunt; Mediocria autem, & proportioni reſpondentia, quæ & tempeſtiuè adminiſtrentur; in calidis, vel ad vacuationem inſenſibilem humorem perducunt, vel ſaltem in pus laudabile conuertunt; in frigidis præterea ad digeſtionem humoris, & inſenſibilem euaporationem euidenter diſponunt; tandemque illud omne vbique præſtant, quod ars ipſa, cui ſecunda natura ſit, per ſuam prudentiam, præſtare contendit.

OMNI QVIDEM SVBLATA cauſa morbus deſinit, cum ſimptomatibus, interea tamen vigentibus illis, & cauſa, qua arte obuiam eis ſit eundem, explicatur.

CAPVT VLTIMVM.

QVA ergo arte omnis morbi cauſa, & morbus deniq; ipſe totus, cum ſimptomatibus, diſſipetur, ex his quæ hactenus dicta fuere, ſatis abunde colligi poteſt; Et quamquam non dubitandum quin ex quo, vt plurimum, ab humorum peccato morbus contingat, cum ſimptomate, adeo quod peccato ipſo ſublato, morbum vnà cum ſimptomate deſinere neceſſe ſit, illius ſcilicet proxima deſinente cauſa; Quoniam tamen interea non rarò morbus vnà cum ſimptomatibus vigeat, vt difficilè ſit cauſæ ipſius demolitionem, longius fortaſſe protractam, expectare; Idcirco tunc, hoc eſt dum huiuſmodi depopulatur cauſa, neceſſe eſt morbum, reqquiſitis medicamentis, ad omnem eius demolitionem aggreſſum inſequi vltro; Verum tamen id nequaquam temerè exequendum, præſertim ſi opus, quod tentatur, demolitioni cauſæ plurimũ ſit aduerſum; tunc quippe morbus licet quadantenus leniatur, curatio tamen eius perfecta, & propria difficilior fit, & omniquaque etiam ſæpe intercipitur; Quamobrē diligenti incumbendum eo temporis cura eſt, vt morbus quidem propellatur, quam tamen magis fieri poſſit, cauſæ demolitione non impedita; Quo itaque pacto ille, hoc eſt qualibus artis ingenijs, quantis, & qua opportunitate adminiſtratis id habeatur, facile vniuerſim indicatur; Etenim ex morbi ſpe-

Digitized by Google

cie, qualitas ipſa patet; verũ eſt enim morbos alios eſſe ſimilares, & alios diſſimilares, eosque inſuper omnes ſuo tantum dirimi contrario; Quamobrem ſimilares, qui ſolius temperiei ſunt, vna alterantium remediorum ope, ad naturale temperamentum vſque, dirimentur; Diſſimilares autem, quaniam varij, alij ſiquidem ſint in figura, alij in quantitate, alij in numero, alij in ſitu, vt alibi dictum eſt, quilibet ex his merito indicat in contrarium verti, vſque quo tandem pars læſa integritati ſuæ reſtituatur, ad quod præſtandum, non vnum ſed multiplex requiritur medicamentum, quod, poſt vnum regimen victus vbique deſideratum, (hoc enim ſolo plerunque ſatisfit omnibus neceſſitatibus) aut pharmaceuticum, aut chirurgicum eſt, & ſi quale ex his illud ſpeciatim conueniat, non niſi ſpeciatim ex recognito morbo indicetur, quoniam quodlibet, nuſquã cuilibet ſit contrarium, ſed certum duntaxat, & detrimentum, ſiue per ſe, atque directè, ſiue per accidens, & indirectè illud tale ſit; Quod præterea ad remedij quantitatem pertinet, nulli dubium quin diceſſu partis à priſtino naturali ſtatu rectè præcognito, proportionatam remedij indicati menſuram decernere liceat; Vtrum autem illam ſimul totam integramque miniſtrare, an mauis pedetentim per partes, oporteat, profectò virtutis ferentis robur euidenter oſtendit, quod quidem robur, aliud in vniuerſo, aliud in parte, vt alibi diximus, eſſe poteſt, quamobrẽ ex vniuerſis medicinæ regulis, cuicunque morbo, & corpus vniuerſum, & quamlibet corporis partem, occupanti, proportionatum indicabitur medicamentum; Attamen vt ad votum ſuccedat opus, opportunè ſemper adminiſtranda ſunt omnia, hoc eſt, non intempeſtiuè, nec præter ordinem, ſed ſuo ſemper tempore, ſuoque loco; Ordo verò, & tempus hoc deſumetur ex operum, inſtrumentorumque, ad morbi deſtructionem indicatorum conditione, & neceſſitate, ſiquidem plerunque eueniat, morbum non vno, eoque ſimplici, tum opere, tum inſtrumento, deſtrui poſſe, ſed multiplici, eoque vario, quorum puta vnum licet intenti finis potiſſimus auctor cenſeatur, ideoque primo loco tentandum videatur, alterum nihilominus dè neceſſitate ſupponit, ſine quo illud perperam adhiberetur; Verum addas his omnibus temporum etiam morbi contemplationem, quoniam iuxta horum varietatem ſemper melior, tutiorque medendi opportunitas in omnibus decernitur; De ſimptomatum curatione pauca generatim veniunt aduertenda, ea quoniam ad inſtar eorum ſint, quæ ex ſuis ita cauſis fiunt, conſeruanturque, vt non niſi his penitus recedentibus, ipſa recedere, at quomodolibet cõſiſtentibus, conſiſtere neceſſe ſit; Etenim ſimptomata morbos, eorumque cauſas ita conſequuntur, vt, exempli gratia, vmbra ſequitur corpus, atque niſi corpus auferatur, vmbra ipſa perpetuo durat; Quamobrem neceſſarium videtur, eodem tum opere, tum inſtrumento, hæc cũ morbis, & cauſis aboleri; Cum itaque de morborum, & cauſarum potiſſimum curatione hactenus loquuti ſimus vberrimè, nihil profectò videtur ſupereſſe amplius, quod ad ſimptomatum curationem pertineat; verum tamen quando ex his quædam moleſta adeo ſæpe contingant, adeoque viribus ægrotantis, & perinde vitæ eiuſdem infenſa ſint, quod non ſinant, cauſarum, morborum vè, expectari curationem, quæ ſæpe numero tardius eſt ventura; tunc meritò vt ægrum ab intollerabili moleſtia vindicemus, & ab impendenti ſæpe periculo liberemus, poſt habito morbo, cum cauſis ipſius, ad ſimptomata reſpicere cogimur, & porrò lenitione quadam potius, quam curatione; quod curatio, radicalis quædam

ſimpto-

ſimptomatū deſtructio ſit, quæ per ſolam omnimodam eius originis deſtructionem fit; Lenitio vero quædam eorundem placatio, ſiue remiſſio ſit, quæ adhuc, vigente origine, ſimptomati eſt concesſa; Fit autem lenitio hæc, operibus, & inſtrumentis, certa tum qualitate, tum quantitate, tum opportunitate adminiſtratis; Sanè qualitas ſimptomati contraria eſſe debet, vt ſi fuerit ſimptoma actionū puta naturalium diminutarū, vel expulſionis, vel retentionis, aut alterius, tunc remedium, vel expulſionem excitabit, ſi opus ſit, vel retentionem fortiorē efficiet, veluti cū actionem animalium diminutarum ſimptoma adſit, vt ſomni, vigiliarum vè, tunc neceſſario ſomnus, remedijs opportunis, augendus, & vigiliæ excitandæ ſunt, in reliquisque ſingulis ſuo contrario occurrendum, quà verò contrarietate id remedia præſtent, vtique generatim hic exprimi nequit; poſteaquam nunquam directa illa ſit, & immediata, ſed indirecta omnino, mediataque, quod ſcilicet per ſe nunquam, ſed per accidens ſemper finem intentum conſequantur; Vtcunque tamen res ipſa ſe habeat, adhuc certum eſt attentè incumbendum, vt operum omnium, inſtrumentorumque, leniendis ſimptomatibus deſeruientium quantitas neceſſitati reſpondeat, quoniam ſi horum vis infra ſubſiſtat, credibile eſt eā finem intentum minime aſſequuturam, contra ſi vltrò, quam par ſit, modum ſuperet, non dubitandum, quin ſemper ægro noxam maximam inferat, aut enim rectè curationi infertur vis, aut aliud omnino ſimptoma, quod præſenti fuerit aduerſum, neceſſario expectandum eſt; Ergo tum operum, tum inſtrumentorum proportio, quæ ipſi neceſſitati congruat, procuranda eſt; Inſimul autem ne illa tolleretur à viribus perpendendū eſt, quando, viribus ipſis non ferentibus, fruſtra medicina fatiget; immo ſi præter has, aliquid tentetur, illud in ægri pernitiem euidenter ſuccedat; Tolerantia autem virium, ſiue hæ totius, ſiue partium fuerint, quanta nam æſtimanda ſit, iam à nobis aliàs generatim indicatum eſt; Quamquam ſpeciatim adhuc ſæpe aliud experitur illius examen, ſine quo determinatam ſimptomatis lenitionem aggredi, ob certas vniuſcuiusque ægri proprietates, difficilimum eſt; Quod ſi ob hanc, vel aliàs cauſas, ſufficiens proportio ipſa remediorum ſimul tota non feratur à viribus, iam ratum, firmumque eſt, licere ſenſim eam, pluribus repetitis vicibus, miniſtrare, præſertim quod, quæ paulatim, ſed ſæpius, ac ſucceſſiuè, repetita ſunt, ſemper æquè reſpondeant, ſimul, & ſemel, integrè perpetratis; Opportunè dein facienda omnia ſunt, vt ad votum res ipſa ſuccedat, Sed opportunitatis occaſio, ex ſimptomatis vrgentia pendet, quippè ſimptoma ſæpe morbo ſæuius ſit, vt indè morbi curatione poſthabita, vt dictum eſt, ſimptomatis lenitionem aggredi ſit operæ pretium, quod quando contingat, tunc opportunè factam lenitionem cenſendum eſt; Verum enim verò ſimptomatis vrgentia, ex læſæ functionis dignitate primum colligitur; Etenim ſi ſimptoma ſit, quod functionem vniuerſum gubernantem proſternat, vireſque vniuerſim frangat, quarum conſeruatio maxime eſt neceſſaria, illud ſanè omnium pernicioſiſſimū eſt; Hoc ipſum ſequitur, quod magnum quidem eſt, & ægrum valdè fatigat, ſed citra præſtantis functionis, aut virium iacturam, afficit; Ex his ergo vnū quandocunque intercurandum aderit, quod vires nimiopere conuellat, & valdè proſternat, illi neceſſario, & diligenter, lenientibus appoſitis, occurrendum, morbo ipſo quadantenus prætermiſſo; Atque ideo attētè vniuerſim obſeruandum, quod quamquam ſolum ſublato morbo, cauſa vè eius, protinus euaneſcat ſimptoma, vt vltro nuſquam, ſubſiſtat in cor-

pore ; Vigente tamen adhuc morbo , ſi nimium graue, inſenſumque ſimptoma ſit, ne violentia, pernitieque ſua ægrum iugulet, vt diximus, leniendum protinus, rectaque curandi methodus iure inuertenda , ea licet, quandiu robori fidimus, obſeruanda ſit, nec contra artis præſcriptũ, in ægrotantis gratiam, vni vacandum ſimptomati, vt contrà, ſi iam vires cadant, illico occurrendum, tantiſper omiſſo morbo, cauſaque eiuſdẽ, quia ſcilicet omni ratione vires fulciendæ, rectificandæque, vt illæ morbo obſiſtere, totoque curationis ſpatio, ſatis eſſe poſſint ; Etiam ſi ſemper ſic tẽperanda omnia ſint, vt neque laborans, malorum ſæuitie, crudelius torqueatur, neque delicata mollique medicina, quæ conſanuiſſe videbã-tur, recrudeſcant ; cuius porrò rei certior erit euentus, quando præſidijs ijs, ſimptoma minus fiat, quibus & morbus eſſe deſinat, quod ſanè expetendum, optabileque eſt, quia tunc eodem operé, & inſtrumento, vtrique ſimul medeamur . Atque iam de morbis, ſimptomatibusque curandis, deque tota affectuum internorum præternaturam humani corporis medicina, quatenus vniuerſim methodo tradi, exprimi vè poteſt, hæc dicta ſint ſatis.

DEME-

DEMETRII CANEVARII

Philoſophi Medici in ſuam

Cognoſcendarum, præſagiendarum, corandarumque febrium methodum.

PRAEFATIO.

IAM quidem nos communia artis medicæ præcepta ſufficienter tradidiſſe omnia, quæ ad cognoſcendos præſagiendos, curandosque humani corporis præter naturales affectus, neceſſaria videbãtut, eaque in ordinem methodo noſtra prudenter digeſſiſſe, cuique ingenuo medicinæ ſtudioſo videri non inſulsè opinamur; quando à ptimis ipſis artis principijs opus aggreſſi, quid quid fuerit huic noſtro negotio congruum æſtimatum, per ſummam diligentiam, attigerimus, explicauerimusque, vt inquam nihil, quod in tractandis ægris, ad ſanitatem vſque, deſiderari poſſet, intactum illud, prætetmiſſum vè, re vera, cenſendum videatur. Verum enim verò quod vniuerſalium artis cuiuſque præceptorum ſola notitia nemo artificis nomine dignus habeatur, vt nec ille in arte ipſa quidquam magna laude dignum conſequatur, & in medica arte præſertim, ſine vſu, & exetcitatione, hoc eſt, ſine præceptorum medicæ ar- artis appoſita, ad quamuis, pro tempore, corpori, præternaturalem affectionem aduentantem, cognoſcendam, præſagiendam, curandamque, applicatione, & opere, quod proculdubio non indifferens, ac in omnibus idem, & ſimile, ſed varium, & in ſingulis certum, determinatumque eſſe neceſſe eſt; Iure merito factum, vt quod hactenus ego agendũ in morbis, per communia præcepta, optimum eſſe duxi, illud iam ſpecialis morbi aperto

bi aperto exemplo, vt appoſitè dictum, ita, quoad liceat, ſenſato experimento apptimè conſonum, ob oculos ponam; Sic etenim artis cuiuſque explanatorem, & alijs, & ſibi, illam ſcriptis exaraſſe, maximè deceat; Itaque quamquam innumeræ affectiones ſunt corpori præter naturam aduentantes, in quibus depopulandis, per ſummam prudentiam medicina inſudat; Sanè tamen hoc loci, vt propoſito conſilio ſatisfiat, in ſingulis artificium vel digito indicare, demonſtrare vè, minimè neceſſarium eſſe crediderim, ſi quando ſaltem in febribus, & aliquot eas comitantibus ſimptomatibus illud palã indicatum, demonſtratum vè omnibus expoſuero; Cum præſertim febris morbus ſit nobis mortalibus omniũ familiariſſimus, notiſſimuſque, & qui, ob multiplices, ac promptas cauſas ſui, nos frequentius affligat, in quo dein ſemper totum afficitur corpus, & multifariam ſæpiſſimè, atque ex totius eiuſdem corporis partibus tunc aliqua, vt plurimum, grauius languet, vnde vt actiones facillimè labefactantur, ita ſimptomata febricitanti non pauca apertè contingunt, vt tandem vel ex eo potiſſimũ, quod tam ſimilaris, quam diſſimilaris corporis conſtitutio per febrim lancinetur, ampliuſque ipſa humorum innata proportio longè valde deficiat; vel hinc porrò eueniat, vt per febrim, ea ægrotantibus omnia adſint, quæ in ſingulis quaſi morbis præſto eſſe conſtat apud omnes, vtque ſubinde tunc facilè contingat, omne ferè genus mali poſſe ægrotantem quomodolibet pati; quare veriſſimum cenſebitur ſemper, medicum in homine febri laborante, vt per exemplum idoneum, ad cognoſcendos, præſagiendos, curandosque morbos, methodum omnem traditam appoſitè admodum experiri poſſe, & denique omnia ferè opera, artisque inſtrumenta vſui rationabiliter applicanda dignoſcere, poſteaquam cognoſcendorum, & præſagiendorum, curandorumque demum quæuis morborum occaſio non raro tunc, vt præmittitur, offerat ſe ſe; Quod cum ita ſe habeat, ordo doctrinæ expoſtulat, vt dum exemplo methodum adaptamus, tot in exemplo meditemur, quot methodus ipſa proſequenda proponit: Quamobrem hæc tria cum ſint, cognitio videlicet, præſagium, atque curatio, in febribus meritò tria potiſſimum expendenda proponemus; Et horum primũ quidditas erit, & eſſentia febris, cum differentijs, ac cauſis ſuis, & ſanè per vias ad cognoſcendũ accommodatas. Secundum febris erit exitus, lethalis ne ille futurus, an ſalubris, & ne demum ſerò, an quam citiſſimè euenturus, vt ne perinde febris curanda ex arte ſit, vel naturæ muneri potius relinquenda; Erit autem tertium, & vltimum, eidem febri cum ſimptomatibus molienda curatio, vt nempe qualis, quanta, quibus operibus, & inſtrumentis, & per quam denique opportunitatem, vt rectè, tutò, atque iucundè ſaneſcat æger, illa facienda ſit, ſufficienter innoteſcat; quia certè his diligenter examinatis, coſilio, quod noſtræ ſolum commoditatis ergo proſequendum propoſuimus, erit adamuſſim ſatisfactum.

DE

DE NATVRA ET cognitione febrium.

PARS PRIMA.

QVE, CVIQVE FEBRI COMMVNIS ſit definitio, eaque vt explicanda, vt inquam ſublatis omnibus difficultatibus, quid febris generatim ſit, ſufficienter pateat, priori loco proponitur.

CAPVT PRIMVM.

PRINCIPIO itaque vt febris quidditas, & eſſentia ſit cōſpicua, non ab re erit diſfinitionem eius ante oculos poſitam accuratius præmeditare, quod in ea præſertim, quid febris ſit, & præciſe, & quam breuiſſime repreſentetur. Porrò febris morbus eſt ſimilaris, calida inquam cordis intemperies, quæ corpori vniuerſo facilè communicata, manifeſtam operibus laberfactationē infert. Quæ diffinitio, vt exprimatur, ſanè ab eo exordiendū, quod certum eſt, & vel vnius ſenſus præſtantia confirmatū; Nobis nempè hominibus ſtata naturæ lege tributū, vt interni potiſſimū caloris vi vitā agamus, eadem quippè dum ipſi vita fruamur, calore intrinſecus efloreſcenti, perſundamur, per mortē verò conſumpti, hoc prorſus extinto, refrigeremur; adeo vt per vitam, vel vnius caloris beneficio planū ſit nos conſeruari, alimentū putà trahere, conficere, eoque nutriri, ac ſuſtineri, augeri inſuper, & procreare, præterea quoque cognoſcere, & loco moueri, vt perinde quanto perfectiora hæc fuerint noſtri munia, tanto iā caloris vim vberiorē adeſſe oportere non dubitandū; Quare vt ſenſim deficiente calore, deſinunt hæc, & proportione illius, ipſi met fruimur vita, & quas diximus ſunctiones magis, vel minus validas extrinſecus repræſentamus, ita demū eo per mortē extincto, in nobis hæc ceſſare omnia, deficereque, ita certū, vt penè merito nonnulli, mortē caloris extinctionē deficiendam eſſe, omnino ſint opinati; Verumtamen internū calorē hunc non vnū eſſe, illumque ſimplicē, ſed multiplicē, ſaltemque numero, & magnitudine diuerſum; atqui ex aggregatione pluriū, vnū exiſtimandū eſſe neceſſe eſt, quando corpus humanum non ſimplex, & ſimilare corpus ſit, ſed diſſimilare, ex varijsque corporibus compactū, quorū non vnus calor eſt omnibus ſimilis, ſed numero, & magnitudine varius, atque diuerſus, & ſanè per tēperamentū vnicuique illorū ſecundū propriam conſtitutionē à primæuo originis inditum, & ſi proculdubio ex multiplici horū ſimul vnitorū corporū, vt putà partium humanū ipſum corpus integrantiū, calore, vnus prorſus calor nobis naturalis euadat, quo potiſſimū viuimus, vitæque opera omnia exercemus; Inſuper autē, & à natura ſecundum rationē factū cenſeri debet, quod li-

cet integrantibus quibusque corporis partibus calor quidā certus, ad munia propria animæ obeunda, inditus videatur, attamen quod nuſquā ſolus munijs eiſdē perpetuo generosè exercēdis aptè ſufficeret, iure nouus aliunde effluxus ſibi cooperarius ſuperueniendus erat, cuius beneficio, manca; diminutaque ſui agendi potentia augeretur, & robuſtior fieret; Et quamquā ille altero parti cuique innato longè valdè maior videatur, & ſit, non ei tamen, conuenientē interturbans proportionē, vim aliquā infert, vt ſubinde quaſi partē, propria iam caloris ſymmetria amiſſa, à proprijs retrahens munijs, præter naturā ipſi occurrat, ſed calori eidē potius, multo forſam vndique humore perfuſo, cui ſcilicet humori iā ille nimis, partis eiuſdē, ſeu adiacentis alterius, tēperamenti occaſione, immerſus eſt, vegetiorē, & validiorē impertitur vim, vt tandē ille, quaſi emerſus, reuiuiſcat, ne aliàs inquam penè ſubactus, ſubſtantia ipſa partis, cui inerat, marceſcente, extingeretur, & ne demū ob id mancam in corporis noſtri fabrica naturā arguere quis forſam auderet, ſi quando præſertim ſufficientē hunc parti cuique calorē ineſſe nouerit impoſſibile; Ergo quod partes noſtri corporis omnes ſuū habeant tēperamentum, proindeque propritum calorē habeant, per ſummā induſtriam factū quilibet cōfitebitur; Quod verò calor hic nuſquā ſingulis illis ſit proprius; at alijs cōmunicatus non parum prodeſſe valeat, hoc verè maximū naturæ artificiū fatebitur ſemper; ita vt tandē de calore nobis innato, quo inprimis viuimus, & operamur, illud ſtatuendū videatur, nēpè illū quibuſque noſtri partibus vnū quidē eſſe inſitum, & propriū, attamen eiſdē alium forè influxū, & non ſpecie, ſed numero, & magnitudine ſolū diuerſum, aliundè emiſſum, & quidē ex partibus alijs eum vberiorē poſſidentibus, inter quas certè primū, non teſtes, non hepar, ſed vnū cor, mira induſtria ad hoc ſabricatū apparet, vt porrò, & calorē in ſe maximū, validiſſimūque contineat, atque conſeruet, & vt demū eundē vniuerſim pro neceſſitate cōmunicet; Siquidē conſeruationis gratia calor multus vētilatione egebat perenni, ad hoc ideo pulmones, trachea, cū toto pectore, cordi adnaſcuntur, vt validiſſimus ſcilicet calor longius in eo per euentilationem perſiſteret, vt verò inde cōmodius ille omniquaque diffunderetur, arteriæ, tanquā viæ, per quas aptiſſimè ſpiritus, calorē in ſe continentes, quocunque tranſmittuntur, ſuperadditæ ſunt, vt inquā, pro neceſſitate, caloris deſiderata diſtributio vbique partiū celebraretur; Atque hæc vera cū ſint, ſequitur calorē ad vitā, eamque ſanam producendā exoptatū, illum merito forè cenſendū, qui ex omnium quidē partiū caloribus conſociatis, vnus quaſi per aggregationē factus, ſingulisque partibus pro neceſſitate cōmunicatus, viget in nobis, attamen præcęteris illū, qui è corde, tanquā ex fonte emanans, & quacunque diffuſus, vniuerſam corporis noſtri conſtitutionē moderatur, & regit; Adeo vt ille quandiu inditā mediocritatē retinuerit, vt aliunde ea minimè fuerit perturbata, tamdiu nos optima, illaque beata ſanitate fruamur, quoties autē, vel per defectū vel per exceſſum à mediocri ille deceſſerit, toties nos velimus, nolimus miſerè ægrotemus; Atqui non raro multiplicibus quibusque pręter modū calefacientibus aduentantibus, euenit, vt feruor in corde tantus accendatur, vt inquā non eiusdē met ſolū cordis tēperamentum perperā afficiatur; Sed prætera quoque illud corporis vniuerſi maximè peruertatur, non ſine manifeſto operū omniū noſtrorum detrimento; Affectio autē præternaturalis hæc, febris nomine, cōmuni conſenſu appellatur, eaque demū eſt, quā in ſuperioribus diffiniuimus, Morbū ſimilarem eſſe.

calidā

calidā nempe cordis intēperiem, quæ corpori vniuerſo facile cōmunicata, manifeſtā operibus eius labefactationē infert. Nam ſimilaris affectio eſt, quoniā ſimilarium partiū omnium, & potiſſimum cordis ſymmetriæ, hoc eſt tēperamenti, perturbatio eſt; Eſtque intēperies calida, quod per eam cor, & vniuerſum incaleſcens, quaſi ferueat, vt perinde febris nomine rationabiliter nuncupetur, (frigore nāque interdū per febrim corporis extrema tentari accidens eſt) Et quamquā certū eſt, febrim velimus, nolimus calori adiunctā habere ſiccitatē, vt poſt ſenſum, ratio etiā monſtrat, attamen quod per calorē inprimis febricitantes labefactentur, dein per ſiccitatē, vt manifeſtū eſt; hinc febris affectio calida potius, quā ſicca nuncupatur, & ſi dū dicimus calidā, ſiccitatē quamlibet ab ea non excludamus; Cæterū cor primū illud eſt, in quo febrilis feruor accenditur, deinde enim corpori vniuerſo, ex corde, ipſemet feruor, medijs præſertim arterijs, neceſſario cōmunicatur; Vnde quāuis ſæpe contingat alibi, puta aliqua alia corporis parte, affectu calido præternaturā laborante, ante cor, feruoris eſſe principiū, nuſquā tamen inde cencenda febris eſt, niſi tandē cordi feruor cōmunicetur, ſiquidē non niſi ab eo ille corpori toto impertiatur; Quare calor in nobis etiā magnus, quo pedes, manus, & facies plerunque excandeſcunt, ſiue ab intrinſeco ille, ſiue ab extrinſeco, ortū habeat, quia minime vniuerſalis, ideo nuſquā febrilis medico cenſendus eſt; Sed qui duntaxat ex corde corpori vniuerſo cōmunicatur, vt ſubinde operibus animæ ille inferat vim; At merito ex febri opus animę in corpore lædi dicendū eſt, calore quia ex corde, per ſpiritus, in omne corpus effluxo, potiſſimū opus quodcunque inditū exerceri certū ſit, & quidē integrè, dū calor ipſe intra propriæ ſymmetriæ terminos operibus debitos contineatur, ſed eodem, terminos ſuæ mediocritatis ſiue per ſuperabundantiā, ſiue per defectū, excedenti, neceſſe eſt ipſa opera labefactari; Quod autē opera eadē in febribus, vbi iam calor excedit, nuſquā ſemper omnia, & vbique, ſed aliqua duntaxat, aliquando, & in aliquibus, euidenter talia conſpiciantur, hoc ſolum euenit, ex quo non omne opus caloris proportionē eandē, ſemper, & vbique deſideret, vel reſpuat, at modo maiorē, minorē modo, adeo vt mirum vederi minime debeat, ſi febre quamquā preſente, aliqua tamen adhuc opera integrè exerceantur, immo aliqua meliora fiant, qualis ſæpe augmentario in adoleſcentulis obſeruatur, cum ſanè adhuc proportionatus operibus calor, & ſæpe melior, ſufficienter ſuppeditetur; & ſi quandocunque eueniat calorē iam improportionatū operibus eiſdē, demumque omnibus incongruū redditū eſſe, opera omnia ſimpliciter labefactari conſtet; Quod ergo ſit dictū febrim inflāmationem cordis manifeſtā exiſtere, eāque neceſſario corpori, & operibus eius læſionē importare, eſt profectò ſecundū rationē dictū; Vtcunque autē res ipſa ſe habeat, facit tamen difficultatē modus, quo febris opera lædit; Quoniā inprimis, partiū ſimilarium ſolū febris ſit affectio, at diſſimilares partes ſunt, quæ operibus exercendis inſeruiunt; Inſuper, quod magis eſt, experimento conſtat febrim ægro aliquando ſuperuentā, eum ab aliquo ſimptomate liberaſſe; Quinimo dato febrim ſemper lædere, vtique lædit, quia calor eſt præter naturā, cuius ſanè propriū eſt, vitiare actiones, deſtruereque vitā, vt contra, naturalis caloris propriū eſt cuſtodire omnia, eaque peficere, & viciſſim, pro neceſſitate, refficere; atqui vel calor hic præternaturā, ipſeſemet eſt naturalis calor, quatenus per externū additamentū talis euaſerit, vel eſt ipſe ſolus calor à naturali omnino diuerſus, ſeparatus, denuoque ſuperuentus; Primū nō

facilè admittes, ex quo impoſſibile videatur vnũ, & idem effectiuũ contrariorũ eſſe principium, calorem nempe vnũ aliàs quidem ſecundum naturã, at iam præternaturalẽ effectum, vnius eiuſdemque rei moliri deſtructionẽ, ſimul & conſeruationẽ, moliri inquam opera vitæ, quæ adhuc certa in ægris ſunt, & illis nihilominus aduerſari, cum interea eadẽ opera manca celebrentur; Secundum ſi dixeris, quoniã calores in febrientis corpore confunduntur, nec ex his vnus ab alrero ſeorſim ſeiunctus ſtat, ita vt ſeiunctim poſtea quisque, pro more, ipſis adſit operibus; hinc ideo cuique inexplicabilis forſam videbitur modus, quo ex febri æger præternaturã afficiatur; Verum tamen hæc nihil facienda videntur, quando inprimis, & ſi certũ videatur, febrim partiũ ſimilarium affectionem eſſe, quia tẽperamenti earum vna perturbatio eſt, attamen cum partium ſimilarium optima conditio, ad diſſimilarium, & organicarũ edendis operibus conſecratarum, appoſitã conſtructionẽ deſideretur, ea idcirco per febrim deprauata, trahit in conſenſum alterã, cui inſeruit, atque ita febris rectis actionibus aduerſatur; Præterea quamquã interdũ ex febri quis à ſimptomate quopiã liberetur, hoc nihilominus contingenter euenit, ex quo tunc eius forſam cauſa per febrim diſſoluatur, per ſe tamen ſemper ex febri opera animæ perperam (vt diximus) afficiuntur; Sed quod ad lædentem calorẽ pertinet, ille vtique præternaturalis eſt, attamen non à naturali, & re, & ſede, diuerſus, illi vè contrarins, cum ipſemet ſit naturalis, cordisque proprius, per exceſſum præternaturalis effectus, qui nihilominus, & actionibus fauet, & illis quoque, citra complicantiam; eſt aduerſus; Fauet inquam quatenus nondũ ita præternaturam factus ſit, vt perindè forſam cadauerofus operibus exercendis prorſus ineptus exiſtat, ſed adhuc ſatis ſuperque talis, vel tantus ſtet, qualis, & quantus ipſimet naturæ operanti quadantenus ſufficiat; poſteaquam minora ſemper ad conſeruationem requirantur, quam ad productionem; adeo vt licet ad opera vitæ de nouo inducenda, requiſita omnia deſiderentur, ad illarum attamen conſeruationem longè pauciora ſat ſunt; Atqui calor naturalis noſter factus præter naturam, vitæ operibus quodammodo etiã aduerſatur, vt interea merito illa deprauara obſeruẽtur, quia ſcilicet illis ex æquo, & ſecundum naturam, ipſe non reſpondeat, cum iam per exceſſum ſit à propria ſymmetria deturbatus; quare non mirum ſi, ipſo quidem progreſſu i febris, opera animæ celebrentur, atqui vt plurimum, euidenter perturbata.

.·.

DE CAVSIS FEBRIVM, tam externis, quam internis omnibus agitur, inſuperque agitur de modo, quo illa febrim vniuerſim inferunt, atque conſeruant.

CAPVT SECVNDVM.

ET porrò vniuerſim de febris quidditate, eſſentiaque, ſic ſtatuendum eſt nobis, indagandæ modo ſunt febris eiuſdem cauſæ efficientes; Sunt cauſæ hæ febrium multæ, vt multa ſunt ea, quæ in nobis calidum preternaturã facere apta nata ſunt; Hæc autem ad remota ſimul, & proxima, minime ſemper reducenda, ſanè quia vt multorum morborũ cauſæ, aliæ remotæ, præincipientes vè ſolum, & aliæ adhuc proximæ penèque comites eſſe conſueuere, ita febrilis calor ipſe, ſiue febris, vt præſto ſit, ex cauſis huiuſmodi, vtramque ſæpe, atque non raró vnam, vel alteram ſolum præſupponit; immo vt conſeruetur, nullam aliquando requirit; nihilominus vt in ordinem quomolibet redigantur, quæ calorem febrilem hunc, ſeu febrim, in nobis procreare apta ſunt, iurè animaduertendum eſt, ex his, externa, remota vè omnia, ad ea inprimis referri, quæ interuiuendum nobis vel neceſſario, vel contingenter occurrunt, inſimulque qualitate actuali, vel virtuali, qua pollent, nos palam alteros reddunt; aut quidem quod ſuo nos ambitu calefacere ſoleant; aut quod aſſumpta, receptu ſuo, nos ad calidum immutate conſueſcant; aut tandẽ quod in nobis ita ex ipſis met facta iam ſint, vt effectu nos ſuo euidenter calefaciant; Ad hæc ſiquidem tria, quodcunque refertur, quod nos per vitam, ſua immoderatione, licet extrinſecus, concutit, morbisque omnibus, & perindè febri obnoxios reddit, vt contra, ſi probè, & appoſitè adſit, ſanitatem incolumem, & inprimis calidi noſtri temperiẽ, in nobis perpetuò ſeruat; Cæterum quandocunque ex his calor ita in nobis augeatur, vt febris tandem euidens adſit, vtique vel per ſe id fit, vel omnino per accidens; Si quidẽ per ſe, quod eſt, aut quia actu calidum illis ineſt, aut quia idem virtute futurum ex eis eſpectetur; Si verò per accidens, id fit, quia ſaltem ex multiplici, & vario illorum agendi modo, calor excitari, & adaugeri prężternaturam valeat; In nos itaque tum neceſſario, tum contingenter, interuiuendum ambientia febrilem calorẽ aliquando inferunt, & per ſe, & per accidens; per ſe quidem ambiens aer, qui dum actu ex ſole, vel igne iam calidus, ſiccusque nimis, nos quoque per contactum, vel inſpiratũ, neceſſario calidos prætermodum reddit; per accidens verò, vt quoduis ambiens frigidum, vel ſiccum, ſubindeque condenſans, & aſtringens, quod per vndique circonfuſam compræſſionem (id enim ſæpe euenit) calorem internum adauget, quia ſcilicet poros corporis extimos conſtipet, ſubindeque caloris innati ventilationem prohibeat; quo certè modo cõtingentia adhuc multa alia occurrunt, vndè nos alias ſuo contactu, & quaſi ambitu, contingenter præter naturam incaleſcimus; Succedunt ambientibus, quæ intro recipiuntur, quæ ſanè nos valdè magis calefacere apta ſunt, tum ſi per ſe actu ſint calida, vt puta potio calida nimis, tum

ſi per ſe virtute, aut etiam ex accidenti talia ſint; per ſe virtute id præſtãt, acria, amara, vel aliàs ſe habentia non pauca, ſuis viribus calida; ex accidenti autem idem præſtant innumera, tum alimenta, tum medicamenta, dum hæc præſertim ſeu exſiccent, ſeu aſtringant, & planè cõdenſent, ac ſtipent, ſeu demum infarciant, & repleant, ita vt obſtructiones quomodouis pariant in nobis, ex quibus ſubindè recluſus calor adaugeatur, & meritò præter naturam feruent, & adhuc quidem magis, dum eadem iam recepta, vel quia inſito calore regi vltro nequeant, vel quia ſaltē praua qualitate donata ſucceſſiuè corrumpantur, quare & alienum calorem exuberantē adepta, exuberanter quoque calefaciant, atque inde calor cordi communicatus, tandemque ſufficienter per venas, & arterias, quacunque diffuſus, febrim faciat; Vltimum locum tenent, quæ ex nobis in ipſiſmet fiunt, de quibus conſequenter dicendum eſt; Sunt etenim hæc, quæ medicis animæ opera nuncupantur, vt mentis, & ſenſus affectus omnes ſunt, vtque motus corporis omnes, vnde ſæpe vehementius, & corpore concuſſo, & ſpiritibus interturbatis, calor ex accidenti augetur, adeo quod plerunque excandeſcat; Itaque & ſi tot, taleſque ſint præcipui externi febrium fontes, ex illis attamen non vbique, nec ſemper, calor tantus eſt, quantus ille febri ſufficiat, quippe niſi aduſque eo calefaciendum valeant, & ad fauorem inprimis in cor quomodolibet excitandum ſe ſe debito modo præſtiterint, puta per debitam diſtantiam, ſufficientemque durationem in corpus egerint, tantum abeſt, quod febrium aliquando pariant, equidem morbum alicubi partium corporis calidum producent, febrim autem minimè; Quamquam adhuc niſi corpus, ſua propenſione calefacientibus hiſce aptè reſpondeat, impoſſibilè eſt febrim in eo excitari: reſpondet autem quod ipſis ſymbolum fuerit, vt proinde per modum agendi illorum ſufficientē recipere caliditatem aptum natum videatur, & fit. Verum & ſi hæc penè extrinſecus contingentia, calorem præter naturam, hoc eſt febrim, vi ſua, in nobis parere apta nata ſunt, ſanè tamen vlterius ab his non raro internæ, permanentes, ſeu proximæ cauſæ aliquot excitantur, quarum vi, deſinentibus licet externis, febris tamen ipſa adhuc conſeruatur & viget; Interea licet nulli dubium videatur, calorem præter naturam hunc, ſcilicet febrim, per ſolas ſæpe externas, vel adhuc internas, tam remotas, quam proximas eiuſdē cauſas, tam altè fixari, tamque valenter ſolidis corporis partibus imprimi poſſe, vt quamquam prædictis ipſis cauſis omniquaque deficientibus, vlterius nihilominus ſe ſe, vi propria, generosè conſeruet, & difficilè corrigatur; atque ideo ſæpe febrim ſine comitante principio longius conſiſtere, vigereque certiſſimum eſſe; Vt plurimum autem conſiſtentes, ac perſeuerantes febres omnes, principium aliquod, quo illæ longius ſeruentur, & durent, perpetuo annexum habere, verum eſt; Oſtendit hoc ipſa ſanatio, quæ poſt ſublatam prægreſſam externam cauſam, non niſi quoque alterius internæ demolitione abſoluitur; Id ipſum verò principium, ſeu cauſa, quam proximam, & internam appellamus, duplex eſt, quando præceteris duo ab externis agentibus in nobis impreſſa reſtent, perſiſtantque, vt plurimum, quibus facta iam febris, vel inchoata, longius conſeruatur; Vnum ſcilicet per accidens, & alterum per ſe; Principium internum proximum per ſe, eſt vna humorum, qui vaſis noſtri corporis continentur, manifeſta putredo, hæc enim conſiſtentium, & perſeuerantium febrium proxima ideo cauſa eſt, quod dum calorē præternaturalē importat, eundē ſimiliter ſua præſentia ſeruat, & nutrit, tandē-

que

que communicat cordi, & neceſſario febrim facit. Porrò quiſquis noſtro corpori humor inſit, ex ſe ille hactenus putredini obnoxius eſt, quatenus alteratione extranea, illaque inordinata, ſecundum qualitates corruptiuas proprias, tum manifeſtas, tum à toto tẽperamento, permutatur, in omnimodam ſuimet, euidentẽque tendẽs diſſolutionẽ; Putredo quippè nuſquam eſt rei corruptibilis alteratio quæuis, quia non ea ſecundum quam res eadẽ immutata ad corruptionẽ tendit, quæ generationi eſt præuia, ſed ea ſolum alteratio, putredo cenſetur, qua res ipſa perperam, & inordinatè, ſecundum proprias, vt dictum eſt, qualitates, immutata, nulla intenta generatione, ad vnum duntaxat tendit interitum; Vnde quamquam ab vno eodemque agente vtraque ſæpe alteratio moliatur, illa tamen ab ordinato, proportionatoque, hæc verò ab inordinato, & improportionato fit; atque vt illa ſuaui, ac placido modo quodam ſuo fine terminatur, ita hæc violenter, & per vim vltro proficiſcens, efreni quaſi modo ſe habet, non niſi cum omnimoda rei diſſolutione terminatura; Idque præſertim obſeruamus dum modis hiſce calefaciens aliquod agat in humidum, quod inſuper & etherogeneum fuerit, tum quia calor præceteris qualitatibus ſit in opere vehementior, tum quia humidũ alienis quomodolibet recipiendis impræſſionibus ſit aptiſſimum, tum quia demum etherogenea inæquali intemperiei maximè ſint obnoxia ſecundũ quam facilè inordinatam hanc, ad omnimodam diſſolutionẽ, patiuntur alterationem; Itaque cum verum ſit, humores, corpora humida, etherogenea, in nobis perpetuò, caloris naturalis beneficio, confici, & immutari, vt demum illi, ſi vtiles, veluti bonus ſanguis eſt, in carnes, neruos, & oſſa, perfectè, placidèque conuertantur; Sin autem excrementitij ſint, vt bilis, pituita, & melancholia, in quid ſaltem redigantur, quod nobis innoxium exiſtat; Sanè autem dum aliquando calor in nobis ſic præter naturam ſe habeat, quod omnino rectæ, & deſideratæ mutationi humorum minimè ex æquo reſpondeat, vtique quoniam in eos tũc improportionatè agat, eoſque alteret quidem, ſed alteratione inordinata, & tranſmutationi in carnes, oſſa, vel neruos, aut in innoxium quid ſaltẽ, minime congrua, & qua ſolum ipſi ad omnimodam tendant diſſolutionem, alio ſcilicet prorſus, quam expectato fine, terminaturam, merito iam illi omnino putreſcentes æſtimabuntur. & quidẽ ſecundum portionẽ putredini magis obnoxiam primum, ab hac deinde ſecundnm aliã bono humori permixtam, quæ ſcilicet minus quam illa fuerat vitioſa, ita vt hoc potiſſimum modo ſenſim putredo obrepens ſimul cum calore præternaturali augeatur, & inualeſcat; perinde atque in phlegmone, in quo collectus ſanguis non ſtatim totus, ſed eius pars alia citius, alia tardius, & putreſcit, & ſupurat; porrò autẽ ſenſim modo hoc augeſcens putredo in ſummum vigorẽ fertur, humoremque putredini aptum ſucceſſiuè omnẽ occupat, veluti & dum ignem accendimus, aridiores primum ſtipulæ, deinde virgulta, poſtremo ligni materia, ſuo queque ordine concremantur, & ſi tandem, repreſſa putredine, ſemper ea humoris portio maneat, quæ quoniam minus erat putredini obnoxia, & interea merito nutritioni accommodata, huic ideo inuiolata reſiſtit, & quamquam alteri ipſa permiſceretur, illius contagione tamen minimè computruit, ſed incaluit dũtaxat, vt reſtinta, ſedataque putredine, facilè in priſtinam illa puritatem redeat; Et ex hoc itidem meritiſſimè factum, vt hoc ipſo putredinali calore, per exceſſum improportionato; in humores impetum facienti, iamque euidenti inflammatione, illis ad corruptionẽ tendentibus, neceſſa-

rio

rio flamma ab his quomodolibet ſe ſe cordi communicet, vt ſubinde ſeruor vniuerſim accendatur, qui febris eſt; Quamquã etiam aliunde, quã ab excellenti calore, putredo in ipſis humoribus fiat, ſiquidem etiam ab eodem calore, ſed deficiente, & quodammodo marceſcente fiat, vt cum humor qualis qualis ſit, iam bonam ſymmetriam amiſſs, alicubi partium corporis conſiſtens, nihil habeat, à quo regulari integritati reſtituatur, ſed magis, ac magis, omni deſtitutus auxilio, tandẽ extraneam quãcunque adipiſcitur conditionẽ, à putredine etiam venenata minimum diſtãtem, quæ cordi quomodolibet communicata, ſpiritibus omniquaque turbatis, & afflictis, febrim etiam facit, ſed fortaſſe minorẽ, mitioremque, & ſi omnino deteriorẽ; Et his certè modis, nec penitus alio, putris ipſe ſuccus viget, & vt principium febris proximum, febrim longius facit, tãdiuque conſeruat, quandiu putredo viget in eo; dum interea tamen ille nec expellatur, abſumatur vè, nec in quid ſaltem redigatur corpori innoxium; Principium internum proximum per accidens febris, aſtrictio, ſeu obſtructio corporis eſt, qua intercluſis conſuetæ difflationis ductibus, quibus corpus vniuerſum perſpirabile eſt, neceſſario intercluſus calor augetur, & præter naturam fit, quandoquidẽ calor in ſe ipſum reflexus, maior ſemper fiat, ſe ſe longè, latèque digeſto, aut ſaltem liberè difflante, nec enim ratione alia calor per obſtructionẽ accenditur, vt ſubinde febris euadat; Obſtructio autẽ duplici præſertim modo contingit, aut inquam per conniuentiam, denſationemque ductuum, aut per eorundẽ repletionẽ, & infarctum; Sanè modus prior adeſt, dum ex quopiam valenter, vel refrigeranti, condenſanti vè, vel demum ſiccitate, alia vè aſtringenti qualitate, pororum, ſeu ductuum corporis, conniuentiam facienti, fit conſtipatio; Atqui poſterior modus adeſt, quando ſuccis craſſis, viſcidiſque, ex cruditatibus oriundis, quibus facilè corpus noſtrum abundat, ductus ipſi, ſeu extimi, ſeu intimi, nimis repleti, validèque infarcti clauduntur; quod aliàs etiam in magna bonorum ſuccorum copia, ſæpe ex accidenti fit, dum putà vaſa exuberanter repleta extenduntur adeo, quod ſubinde extimi quique eorundem ductus conniueant, & occludantur; Vtcunque verò obſtructio ipſa fiat, ea ſanè ſemper ad excitandam febrim plurimum valet, quoniam raró ipſa ſine febri ſit, præſertim quando vel vniuerſalis fuerit, vel partẽ aliquam occupauerit, calore multo donatã, quæ ideo perſpirabilis eſſe plurimum debeat; Immo difficilè etiam febris ex putredine ſine obſtructione fit, quoniam penè ſemper craſſi, viſcidi humores ſunt, qui putreſcunt, ex his autem facilè obſtructio ipſa fit; Quare vt putredo raró ſine obſtructione eſt, ita febris ex putredine ſine eadem obſtructione difficilè reperitur; Non negandum tamen, ſine oſtructione, aliquando putredinem, ex cauſis idoneis, excitari poſſe, atque inde etiam febrim fieri vehementẽ, & prauam, vt ſanè non negandum, ſine putredine aliquando, ex vna obſtructione, febrim (& ſi non diuturnam valdè) vigere non leuem, & à putrida ipſa longè multum differentem; Verum qualis febris ſit, & quatenus ex his cauſis effecta dignoſcatur, deinceps aperiendum.

GENVS FEBRIS TRIPLEX, tranſfluentis nempe, conſiſtentis, & habitualis aptè decernitur, ſub ſuoque genere certa febris cuiuſque ſpecies collocatur.

CAPVT TERTIVM.

A quocunque principio, ſeu cauſa febris ducat originem, foueatur vè, iam præcipue ipſius febris differentiæ deſignandę ſunt; Verum cum eſſentiales hæ eſſe nullomodo poſſint, quando febris eſſentia ſit corporis vniuerſi inflammatio, & inflammatio ab inflãmarione, ſecundũ eſſentiam, non differat, iure ſolum accidenrariæ deſignabuntur; Neque ob id tamen ſimptomata febri annexa attendenda ſunt, ea quoniam longè nimis à febris natura diſtantia, minus etiam proprias eiuſdem conſtituunt differentias; Atqui ſanè proprię magis erunt differentiæ hæ, quæ ex modo ſe habendi febris, ita ſe offerunt, vt propterea medicina alia, atque aliâ neceſſario illis præſcribatur; Eſt autem modus hic nõ omnis, ſed quo febris firmius, conſtantius vè ſubiecto corpori hæret, quoniam propterea febris vel ſolã curationẽ expetat, vel curationem, & præſeruationem ſimul; Etenim dum valenter, & firmiter febris hæreat, ea merito conſeruantẽ cauſam habet annexam, medicinamque ideo curantem, vt morbus eſt, inprimis exoptat; dein autem propriæ cauſæ occaſione, ſiue eius quod cauſæ vices gerit, medicinam præſeruantẽ requirit; Et ſi dum quaſi ſuperficietenus impreſſa febris fuerit, ſolam vt plurimum curationẽ cupiat, vt potè quæ ipſi, vt morbus eſt, propria cenſeatur, quoniam interea, ob cauſæ leuitatem, nullam præſeruationem petit; Quamobrem probabiliter febris, vel ſubterfluens, nulloque penè ſtabili principio ſeruara, æſtimanda erit, vel iam conſiſtens, valenterque firmata, ſiue per ſe talis fuerit, ſiue alterius cuiuſque annexi conſeruantis beneficio; Ad hæc enim ſic conſtituta febrium genera, febres quæque humano corpori contingentes, commodè reducuntur; Namque ſub genere primo, quod ſubrerfluentium, & quaſi rranſeuntium eſt, omnes effimeræ, ſeu diariæ, vndecunque factæ, merітiſſimè collocantur, poſteaquam illæ quamuis modo lenes, & placidæ, modo vehementes, ac magnæ, vt nullo tamen ſtabili innixæ fundamento, ita omnium benigniſſimæ, & ſaluberrimæ ſunt, ferè quippè die naturali, ſenſim miteſcente calore, deſinere ſoleant, & ſi dum validior fuerit occaſio, non nunquam in ſecundum, tertium vè diẽ protrahantur; Vnde licet multifariam nobis adueniant, extrinſeco nempe, & intrinſeco principio, vt interdum illæ febribus alijs ſecũdum originẽ ſimiles quadantenus videantur, veluti ſunt, quæ ex certis fluxionibus, quæ ex congeſtionibus, omnis generis, & quæ ex earundẽ congeſtionum ſupurationibus, alijsque doloroſis afflictionibus, plerunque contingunt, quæ inquam ſimptomaticæ vulgo nuncupantur; Nihilominus dum earum nulla ſtabilis ſit origo, per quam ſcilicet vltro ſtent, longiuſque durent, adhuc effimerarum, ſeu diariarum conditionẽ retinent, atque vt tunc quædam veluti tranſiens flamma febris eſt, tenuiſſimis puta, ad incendium-

que

que aptiſſimis, tum ſpiritibus, tum ſubtilioribus ſanguinis partibus im-
præſſa, ita omnino etiam illa breui diſſipabilis eſt; quamquam interea dũ
viget, cum cæteris febribus, è corde in reliquum corpus inuadens, eius
functiones interpellat, aliàs quidẽ leuius, alias grauius, pro flammæ, aut
feruoris impetu, & modo, quo ille pridem accenſus quocſique vagatur;
Ita vt tamen illi curatio ſola, eaque ſimplex optimè ſufficiat, qua ſcilicet,
caloris ſaltem exceſſu quanto citius emendato, ſanitas amiſſa reſtituatur;
Sub genere autem febrium ſecundo, omnes illæ collocantur febres, quæ
dum ſe ſe longius ſeruant, merito ſtabiles, & coſiſtentes appellantur;
Verum quod omnes hæ neutiquam vno, eodemque modo ſe habeant,
ſed aliquæ ſe ipſas, vi propria, valenter cuſtodiant, aliquæ autem (qua-
rum maxima pars eſt) alterius beneficio duntaxat, manuteneantur, & du-
rent, quare & illis non ſimilis, ſed diuerſa conueniat medicina: Hinc
ideo prudenter factum ſi de his ſingulis expreſſius, quantum febris diffe-
rentia poſtulat, verba fecerimus; Ab ijs febribus autem exorſi, quæ al-
terius ope vigent, duo rememorabimus, vnde illarum perennem pende-
re tutelam dicebamus; Obſtructionem ſcilicet: atque putredinẽ; Quid
verò obſtructio ſit, & quatenus contingat; Quid item putredo, & qua-
tenus adueniat; & quomodo demum ex vtriſque febris ipſa fiat, & con-
ſeruetur, iam ſatis indicatum, explicatumque eſt, & inſimul demonſtra-
tum, putredinem ſine obſtructione aliquando quidem adeſſe poſſe, diffi-
cilimum attamen eſſe obſtructionem longius perſeuerare, abſque ſequẽ-
ti putredine; Quare & febres, diu, longèque, aliena ope, perſeuerantes,
tes, veriſſimile eſſe vtramque ferè ſemper cauſam conſeruantem adiun-
ctam habere, videlicet obſtructionem, atque putredinem omnes licet
eas ab excellentiori cauſa, communi nomine, putridas nuncupare con-
ueniens ſit; Cæterum quoniam obſtructio, putredoque, aliam, atque
aliam expetunt medicinam, ob vnam præſertim etiam peccantis humo-
ris ſpeciem, ſedemque obſtructionis, vnde itidẽ varia febris forma adeſt;
quales idcirco ex his proueniunt febrium huiuſmodi differentiæ attendẽ-
dæ erunt omnes, eiſque ſingulis propria curationis methodus decernen-
da; Itaque primum vel vnius ſedis occaſione, qua putreſcens humor re-
ſidet, putrida febris diſſimilẽ, ac maximè differentem habet ſuæ condi-
tionionis imaginẽ, quia perennis interdum, ac nuſquam deſinens ſit, &
interdum intermittat, ægrum prorſus immunẽ relinquens, iterum tamen
recurrat; Etenim dum putris quiſque ſuccus, vel cum obſtructione, vel
citra, in venis, ſiue maioribus, inter alas, & inguina percurrentibus, ſi-
ue minoribus aliquibus, per corporis habitum diſtributis, ſedem habeat,
certè vt iam extraneo calore immutatus, & euidenti feruore accenſus,
adhæſu quodam, quo bono, & integro ſanguini mixtus, illi ſe ſe facilè
communicat, ita patentibus vijs, per partẽ poſt partem, perpetuò flam-
mam cordi impertitur, & neceſſario perennem febrim facit, eamque tam-
diu conſeruat, quamdiu ipſe talis, nec dum incendio conſumptus, diſſi-
patus vè, vel foras expurgatus, aut quouis modo ſaltẽ domitus, & emen-
datus, ibidẽ perſeueret; auget quin potius febrim, aucta in eo putredine,
quæ vtique & intenſiuè, per euidentes pernitiei gradus, ad ſummum vſ-
que, creſcit aliquando, & extenſiuè etiam quoad omnem ſibi ſymbolum
ſuccum ſenſim per partes fuerit depopulata, augetur; Et hae quidem ra-
tione putridi humoris præſcriptæ ſedis occaſione, febris putrida continua
fit, ac conſeruatur; Alibi autem putredine ſedem habente, in locis nẽ-
pe à venis longè diuerſis, cordi nihil, vel difficilè conſentientibus, qui-
bus

bus inquam illa, ſuis quaſi teminis circonſcripta, arctè adeo detineatur, vt niſi inde per vim aliquando egreſſa in venas eruperit, ſubindeque ſe ſe cordi communicauerit, minimè vſquam febrim efficere apta ſit, vtique vt id ratum firmumque cenſetur, ita cum, ſecundum putredinis perſeuerantiam, per interualla, eiuſdem fiat eruptio, ſubindeque cordi communicatio, per eadem itidem interualla, febrim præſto adeſſe neceſſe eſt, illāque iure intermittentē medicis nuncupatam; Sunt autē hæc loca tum vniuſ meſenterij cauitates, tum inſuper vaſa alia prima noſtri corporis regione contenta, vt circa ventriculum, inteſtina, hæpatis cauum, liem, & alibi; Etenim quoniam illa tetris, fædiſque excrementis recipiendis, retinendiſque dicata, vt potè in quæ perpetuo humorum colluuies congregatur, adeo vt illi à primæua origine aſſueta, nihil inde laboris, nihil detrimenti, (niſi modum exceſſerit) vnquam ſentiat, cum immo vndequaque membranis circonuallata, quaſi parietibus non facilè admittentibus conſenſum, vt nec ex vaſis eiſdem facilis eſt ad intra venas tranſitus, meritò rationabile æſtimandum, inibi humores putridos, ſuis quaſi terminis, clauſos aſſeruari, & quidem (dum illi præditis vaſis conquieſcant) citra omnem febrilē affectum euidentem; Contra autem dum ijdem met humores, caloris extranei feruore vltro accenſi, excandeſcenteſque, & extenuati, vt iam quaſi efferati, impetu præternaturali dimoueantur, & penè turgeſcentes, è foco ſuo quomodolibet foras erumpant in venas, cordique per has ſucceſſiuè communicentur, vtique iam febrim ab his tunc excitari maximè neceſſarium eſt; eamque adhuc tandiu foueri, quandiu communicatus humor, ſenſibiliter, vel inſenſibiliter extirpetur, aut mauis etiam ibidem naturæ fauore ſufficienter euincatur; adeo vt veluti ex vna humorum inibi locorum quiete, nulla febris adeſt, ita ex eorundē inde motu palam febris aduenit, ea autem ceſſarura, ſuperueniētè quiete, iterumque recurſura, ſuperueniente denuo motu; Atque de perennitate, & intermiſſione in putridis, ex humoris peccantis ſede ita cenſendum; Verum præterea ob vnam putreſcentis ſucci ſpeciē euenit, vt tam continuæ, quam intermittentes, differentem adhuc habeant modum, & conditionem, quæ etiam intercurandum minimè contemnenda ſit, & per quam meritò inuicem certa differentia diſtinguantur; putà ſi continuæ fuerint, vel hæ vnum, & eundem, penèque ſimilem ſtatum, toto progreſſu, obtinent, vel iam apertè ſingulo quoque die, certis nempe eiuſdem diei horis, exacerbantur, vel potius tertio, vel demum quarto excandeſcunt; Sed quæ intermittunt, aut quotidie per certum tēporis ſpatium, aut quouis tertio, aut tandem quarto quoque die, penitus abſentes, iterum recurrunt; Et quidē hoc verum eſt, ex quo certa humoris ſpecies, certam febrim pariat, nec quælibet ex quolibet, liberè proficiſcatur; Quare vt humoris proprius eſt mos, ita febris ex eo proprius quoque modus eſt; hic verò motum quendam repræſentat, per quem vt febris vna ab altera ſatis diſtat, ita huic potius, quam illi certa præſcribitur medicina, Ratio antem motus huiuſce humorum pater; Suppoſito enim, rebus quibuſque generabilibus, & corruptibilibus inditū eſſe, eadem ferè vi, & modo, ſe ſe conſeruare, quo ab agente proprio producuntur, & fiunt, quippè eadem rerum (ſecundum analogiam ſaltem) tum productionis, tum conſeruationis principia ſemper fuerint, quorum ſubindè vires, moreſque agendi, in eiſdem rebus producendis, ita certi, & ſtabiles ſint, vt quoque non vagus, nec indifferens conſeruationis earundem modus, ſed omnino certus eſſe debeat; Hoc itaque iam ſuppoſito,

eum humor quiſque putreſcens ad manifeſtum tendat ſuæ conditionis interitum, meritò iuſtum, æquumque eſt, illum interea, vi eadē, eodemque ferè modo, ad ſui conſeruationē moueri, quo illemet in ſui productione moueri conſueſcit; Duorum autem generum cum ſint humores ſua putredine febrim facientes, alij puta alimentitij, & excrementitij alij, atque alimentitij vna boni ſanguinis maſſa contineantur, excrementitij verò ſint, vel pituitoſi, vel bilioſi, vel melancholici: Sanè quoniam in procreando ſanguine, facultas concoctris intra terminos ſuæ actiuitatis poſita, ſemper vniformis eſt, per eandemque penitus calidi tēperantiam operatur, citra, vel vltra quam, non niſi excremētitium humorē permittir; ſimili ideo naturæ vi, & modo, eundemmet ſanguinē conſeruari eſt operæpretium; hoc eſt, dum per putredinē tendit ad interitum, vniformiter, & ſucceſſiuè ſe ſe tueri, nec iam quidē maiori, mox autē minori ad reſiſtendum inſurgere vi, ſed perpetuò ſimili, niſi vltro ille corruptioni ſuccumbat, aut mauis intro corrigatur, tunc quippè licet maior. & minor reſiſtentia ſit, ea nihilominus vſque in finem, proportione quadam, vniformis ſemper eſt; atque ita febris ex ſanguine in venis putreſcenti producta, eadem ſemper eſt, nec vſquam exacerbatur, niſi ſucceſſiue creſcat ad interitum, aut minuatur ad ſalutē; Verum quod in humoris excrementitij permiſſione, concoctris facultas nunquam vniformiter agat, nec calore vtatur ſimili; ſiquidē ad pituitam, quæuis facultas immutans, & quæque eidem calefactio diminuta ſufficiat; ad bilem etiam, quæuis immutans potentia, attamen cum exurenti calefactione; admittatur; & ſi maior exuſtio in generatione melancholiæ ſit neceſſaria, quam in generatione bilis; (quæ autem pituita hæc ſit, quæ bilis, & quæ demum melancholia, infra patebit) Meritiſſimè itaque factum, vt iiſdem humoribus excrementitijs putreſcentibus, motus in illis varius obſeruetur, vt videlicet, dum putreſcens pituita febrim excitat, facilè, ac ſpatio breui, moueatur, & ad ſe ſe conſeruandā, impetu proprio, inſurgat; difficilius, ac longiori ſpatio, ſi bilis; & longè valdè difficilius, ac longius, ſi melancholia; Sed cur nam præcisè pituita die quouis moueatur, & bilis tertioquoque die duntaxat, vt melancholia quolibet quarto, ſi quæras; Vtique reſpondendum, quod vt gradatim humores hi, inter producendum, ſe ſe habere conſueuere, ita gradatim ſe ſe quoque illos conſeruari, nec citius, nec tardius id illis contingere poſſe, ita diſponente natura; Id autem quanto citius peragit pituita, nempè vnius diei naturalis curriculo, etenim, illa & ſi perpetuò de ſui conſeruatione anxia, perpetuò ad reſiſtendum moueri omnino credatur, nihilominus tamen ſuæ productionis modum ſequuta, non niſi certo impetu ad reſiſtendum inſurgit, atque vt penè diurno quouis paſtu fit, ita meritò vnius diei curriculo ſemper mouetur; Succeſſiuè ſe habet bilis. & dein melancholia, atque ita neceſſario præciſus humoribus motus, per quem illi, dum ſibi conſulunt, aduerſentur contrario, à natura inditus eſt; Hincque conſequenter euenit, vt dum in venis putreſcentes hi febrim continuam excitauerint, ordine præſcripto, excandeſcant, febrimque acerbiorem reddant; Sin verò extra venas, in vaſis nempè meſenterij, aut ſimilibus, ſedē habeant, ideóque intermittentem febrim faciant, vtique fit, vt dum per dicta interualla exturgeſcentes è proprio egrediuntur foco, tunc febrim euidentem inferant, at poſtmodum propriæ quieti reſtituti, immunē penitus ægrum ſtare ſinant, neque profectò ordinem hunc mutari obſeruatum vſquam eſt, ſic diſponente, vt diximus, ipſa natura; Et quamuis ita ſæpe exacer-

batio,

batio, acceſſio vè febris antegrediatur, vt tempus melioris quietis, in tēpus maioris motus permutatum videatur, de præſcripto tamen ordine dubitandi locus nuſquam eſt, ille immo eodem omnino ſeruato modo fit, & ſi cum celeritate maiori, quæ certè celeritas, multiplicati, tenuioris vè facti humoris, vel auctæ putredinis cauſa, maximè euenit, vt contra, retardatio, diminutis his potius adeſt; Quod ſi præterea aliqua interdū febris intermittens abſque ordine adoriatur, aut quæ continua fuerit, quodammodo confuſa videatur, ob id minus de præmiſſi ordinis incertitudine ſuſpicabitur, quoniam tunc febris, quæ intermittens æſtimabitur, ad tranſeuntem, ſeu diariam referenda eſt, cum ſcilicet nondum certum, ac idoneum, ſed fortuitum dumtaxat, illumque tranſeuntē fomitem habeat; iam enim illo, certo, ac ſtabili exiſtente, pro humoris ſpecie, præſcriptus ordo ſemper obſeruabitur; Idem dicēdum de continua, ea quippe ſolum confuſa videatur, cum fomitem multiplicē, qui inequaliter accendatur, obtinuerit, eumque longè diuerſis ſedibus collocatum, vt perinde non niſi differenter cordi flammam ſuam communicet, quia ſi fomes conſtans, & ſimilis ſit, eadēque ſede locatus, tunc eodem penè ordine febris ſemper exacerbabitur.

VLTRO DE FEBRIVM differentijs proſequitur ſermo, vt ſpecies quæuis earum, tam ſimplicium, quam compoſitarum, clarius eluceat.

CAPVT QVARTVM.

ET ſi autem re vera, febrium putridarum omnium, aliæ ſint continuæ, & intermittentes aliæ, ob humoris peccantis ſedē variam, vt dictum eſt; Et rurſum quæ continuæ, ob diuersā humoris ſpeciem, aliæ ſemper ſimiles, & vniformes ſint, vt quæ à ſanguine, & aliæ quotidie exacerbentur, diſſimileſque ſint, vt quæ à pituita, vel tertio quoque die, vt quę à bile, vel demum quarto, vt quæ à melancholia, excandeſcant; Quæ verò intermittunt, tum quotidie, quia à pituita, tum de tertio in tertium, quia ex bile, vel de quarto in quartum, quia ex melancholia, recurtant; Et quidem ob vnam humoris peccantis ſpeciem, vt præmiſſum eſt; Hæ nihilominus ſæpe aliæ, atque aliæ nobis apparent, quoniam plures ex his inuicē complicantur, atque ita in multis variam ſpeciē febris repræſentant; Complicantur namque interdum intermittentes continuis, nec non & intermittentes inuicem, adeo quod frequenter duplici, vel quoque triplici æger febri affectus obſeruetur; Id autem iurè fit, ſi aliquando humor qui febris efficiens principium fuerit, tum in venis, tum extra has, vel à primæua eiuſdem febris origine, vel de recenti translatione, peccet, quare & continuam, & intermittentem febrim ſimul adeſſe oportet, eas autē, vel vnius, vel diuerſæ ſpeciei, pro humoris peccantis conditione; Vnde ſi humor ipſe extra venas ſolum, locis tamen varijs, & minimè inuicem conſentientibus, aliquando putreſcat, dum vnius ille ſpeciei fuerit, vtique pro foci varietate, duplicatam, triplicatam vè intermittentē febrim

ſimilem adeſſe oportebit ; At ſi diuerſæ humor ſpeciei ſit, diuerſam omnino febrim euidenter efficiet intermittentem ; De mixtura continuarũ eſt difficultas, quandoquidẽ humores qualeſcunque, cum tunc ſolis ipſis venis collocentur, febres nuſquam diuerſæ ſpeciei plures conficere apti ſunt ; Siquidem illi, ſi ſpeciei eiuſdem fuerint, vnam, vniuſque ſpeciei febrim efficient, ſi verò diuerſæ, proculdubio dum inuicem permiſcẽtur, vt confuſi, ita non mouebuntur, niſi virtute prædominantis, arque itidẽ vnam febrim parient ; Niſi forſam diuerſis venarum ſedibus, vnius, aut alterius ſpeciei, humores ſtare ſuppoſuerimus, vt perindè minimè ſimul ſinguli excandeſcant, ſed vel ſucceſſiuè, vel aliàs ſuo modo diuerſo, ita enim interdum magna etiam in continuis varietas obſeruatur ; Ex his autem rurſum febres omnes, vel ſpuriæ, vel exquiſitæ ſunt ; Spuriæ enim ab exquiſitis apertè diſtant, quod exquiſitæ, vt puta à ſincero, & ſimplici humore prouenientes, ſinceram, & ſimplicem repræſentant ſui imaginem ; Spuriæ verò non item, ſed vt ab humoribus mixtis habent originẽ, ita propriam ſui ſpeciẽ, quaſi degenerẽ, oſtendunt ; atque febres huiuſmodi, modo continuæ, modo intermittentes ſunt, cum ſcilicet locis varijs, ſæpe ſinceri, & ſæpe mixti peccent humores, vt plurimũ autẽ quoniã mixti, & raro ſinceri, & his ideo febres ferè ſemper ſpuriæ, ſiue intermittentes, ſiue continuæ, æſtimandæ ſunt. & raro ſinceræ; quæ nihilominus ex vnius, aut alterius prædominantis humoris more, ſeu motu, hanc vel illam febris ſpeciẽ induunt, vt quæ plus bilis putreſcentis, quam cæterorum humorum nacta ſit; ea tertiana appellabitur, ſed ſpuria, ac illegitima ; & quotidiana ſpuria, in qua nõ ſincera pituita, ſed alterius quidpiam humoris vna putreſcet ; Quartana dein ſpuria, in qua melancholia alijs etiam humoribus perſundetur ; Cæterum quæcunque putrida febris ſit, ea vtiquę præcæteris febrium generibus actiones noſtras ſummè perturbat, & ſanè non vno caloris feruore ſolum, vt potè qui alijs etiam febribus communis videatur, ſed mauis vitioſi humoris febrim fouentis, parteſque noſtri corporis, quaſi inſtrumenta, actionibus inſeruientes, pertinaciter deffatigantis præſentia, conſenſione vè, quæ inquam tanto validius, vehementius vè afficit, quanto, aut copia, aut malitia, humor ipſe vrget ; Et ſi enim febris ſit corporis totius affectio, humor tamẽ vnde ſit, & conſeruatur, non in omne corpus æquabiliter funditur; quare nec ſemper in partem certam neceſſario impegit, pro cuius dein conditione operum determinata perturbatio ſubſequarur, ſed ex ſe potius ad partes omnes cum ſit indifferens, meritò quoque corporis noſtri partẽ quamuis indifferenter aprus eſt afficere, licet debiliorem ex his, & iam affectionibus obnoxiam, ille promptius afficiat ; Verum quo ordine, per has febres, vt plurimum, in nobis actiones labefactentur, & quo inſuper modo labefactatio contingat, nos dum notitiam febrium huiuſmodi ex effectis perquirendam indicabimus, ſatis apertè monſtraturi ſumus ; Et hucuſque de febribus, quæ ex putredine fiunt, ac conſeruantur, dictum ſit ſatis : de ea modo dicamus febri, quæ facta quidẽ ex cauſa, per eam tamẽ non ſuſtentatur ; ſed vi propria tantummodo, ſe ipſam diutius ſeruat, ſuſtinetque. Hanc porrò hecticam nuncupant medici, quaſi habitualem, & fixam, quandoquidẽ vbi præternaturalis calor cordi primum, & ex eo dein corpori toto, potiſſimumque ſolidis omnibus partibus eius, à calefacienti præternaturam valido impertiatur, adeo quod ille ex impræſſione iam penè familiaris euaſerit, profectò febris adeſt, quam hecticam, & habitualem nuncupamus ; Siquidem ea licet affectio præter naturam ſit, &

quidem

quidem ſanitati ſimilarium partium inprimis aduerſa, que nuſquam amica nobis, & familiaris eſſe poteſt, ea nihilominus poſtquam ita altè fixa, impreſſaque fuerit, vt intima iam quæque, cordis ſcilicet, atque ſolida totius inuaſerit, adeo ſanè ſtabilis, firmaque eſt, quod ſe ſe, vi propria, conſeruet, atque ſuſtineat, penèque familiaris appareat, & non niſi difficilè, vel etiam diligenti, & aſſidua artis ope, amoueatur, idque fit, ob ſubiecti, cui feruidus calor impreſſus eſt, renitentiam, ſiquidem quod denſum eſt, vt difficile alienas recipit qualitates, ita etiam eas iam adeptas vix amittit, quare cũ febris hæc, iam partes corporis ſolidas, vt præmittitur, altè occupet, in his ideo ea valdè ſtabilis eſt, nec ab illis facilè ſubmouetur, quod contra vſu venire conſtat, ſi ex humoribus febris fuerit, in quibus febrilis calor accenſus, ob eorum tenuitatẽ, non ita ſtabilis eſt, & facilius ab illis aufertur; Sed febrilis impreſſionis huius tam altè fixæ, aliquot præcipuæ conſueuere eſſe cauſæ, quæ licet, dum ipſa adhuc figitur ille neceſſario ſint comites, dum attamen iam fixa, firmaque fuerit, vt tueatur, vltro vè firmetur minimè deſiderantur; quando ipſa tunc, ad ſui tutellam, per ſe ſufficiat, nec niſi interdum, & contingenter, annexum habeat fautorem; Hæ autem cauſæ, ad calefaciens aliquod, exſiccansque proximè validum, reducuntur omnes, quoties attamen corpus habitu ſuo, ac temperamento ei æque reſpondeat; Verum quod valenter calorem impertiri aptum eſt, duplex eſſe poteſt; Aut nempè quod intenſiuè, poteiiter, vehementer vè calorem ita imprimit, vt facilè ad ſolidas quaſque corporis partes ſuã flammam immittat, id enim breui præternaturalẽ calorem altè figit; Aut dein quod quamquam non intenſiuè tale, tantum vè, attamen ſaltem extenſiuè, quia ſcilicet diuturnum, perenneque eſt, ſucceſſiuo, continuatoque opere feruorem perducit intimius, ſucceſſiua quippè continuatio æquiualeat validitati; Atque certè magis ſi his vltro ſiccitas maior quomodolibet acceſſerit, per quam præſertim humor alendo corpori idoneus, latenter, aperte vè, exhauriatur, vel ſaltem qui alioquin abſumitur, refici non permittatur, eſt enim ſemper ſiccitas lima caloris; Atqui ille præterea corporis habitus impreſſioni huic præcæteris aptus eſt, qui præſertim tenuis, & apprimè diſſolubilis eſt, dein autem magis ſi ſiccus extiterit, ſed commodius, vbi ad calidum euidentius, quam ad frigidum vergat; In hoc ſiquidem habitu, vt, exẽpli gratia, febris, quæ magna, & vehemens, ſummèque ideo calefaciẽs, exſiccansque fuerit, ſuo impetu, hecticæ febris origo plerunque eſt, ita etiam obſtructio, cum intemperie, & demum abſceſſus ſuppuratus in viſceribus latens, calorẽ, etiam ſi lentum, lenem vè, cordi, tandemque vniuerſo præter naturam impertitur, febrimque hecticam ſua diuturnitate producit, & ſanè commodius valdè, vbi latens, vel aperta comes adſit corporis inanitio, per quam vltrò nimis habitus exſiccetur, ſubindeque vlterius calefiat; Sed non repentim & tota ſimul febris hæc partibus ipſis ſolidis, poſt reliquas, imprimitur, ſed per gradus modo tamen citius, & modo tardius, pto calefacientis vi, & ſubiecti corporis habilitate; Nondum autem hectica, & habitualis cenſenda eſt illa, niſi poſteaquam feruidus calor ita iam pridem ex æquo partes eaſdem ſolidas, tum quo ad intima, tum quo ad extima, occupet omnes, vt præterea nulla in his reſtet diſſimilitudo, per quam triſtis ſenſatio exundantis caloris adeſſe poſſit; Et cum deinceps augeri, fixarique illa valdè magis valeat, meritò illa maior, ac minor cenſeri optimè poterit, hoc eſt magis, minus vè habituata, atque impreſſa; Talis profectò eſt hecticæ febris eſſentia, talisque eius

genuina

Digitized by Google

genuina conditio eſt, per quam demum in ægris ſequitur tum maior, tū minor actionum labefactatio, ea ratione potiſſimum, qua tam ſimilariū quam diſſimilarium partium actionibus inſeruientium ſymmetriæ inde ſequatur deprauatio; Similarium inquam per caloris, & ſiccitatis exceſſum, per quem ſcilicet iuſtum earundem tēperamentum operibus debitū interturbatur; Diſſimilarium autem, per eundem quidē exceſſum, ſed qua ratione magis, hæ inde propriam, operique congruam magnitudinē, vel item formam, ob ſubſtantialis molis conſumptionem, amittunt; At de actionibus præcipuè labefactatis ſuo loco dicendum, ſat nunc docuiſſe vnde in omni hæctica præſto ſit labefactatio; Et quidem de febri hæctica ſimplici hæc ſunt, quatenus inquam illa alteri nullo permixta malo eſt; Ea autem quamuis rarò vſu obtingat, frequentior verò alia ſit, & vt plurimum in ægris obſeruata, quæ malo alteri permiſcetur, nihilominus quod hæc à ſimplici ſecundum eſſentiam non differat, iurè, & meritò, quæ hucusque de ſimplici dicta fuere, huic itidem aptè conueniunt; Et ſi in hac ſpeciatim cui ſaltem miſceatur malo, & quo modo ex eo ipſa aliquando ceperit, tandemque vltro firmior euaſerit, expendendum nobis ſit diligenter, quippè id non ad eſſentiam, & productionem ſolum intelligendam apprimè faciat, ſed præterea ad curationem magis; qua ratione autem id habeatur, infra ſuo loco patebit.

QVIBVS NAM VIIS, ET medijs febris præſentia dignoſcatur. Inſuperque cuius illa generis, an inquam præterfluentium, vel conſiſtentium, & cuius demum ſpeciei cenſenda fuerit, demonſtratur.

CAPVT QVINTVM.

SED cum de febris eſſentia, proprijſque differentijs, ac cauſis, deque foco illarum, hucuſque ita ſtatutum fuerit; Iam qua via, & arte omnia hæc talia adeſſe noſcamus, aperiendum; Duas equidem methodo noſtra ſtatuimus ad cognoſcendum inditas eſſe vias; Vnam porrò ſenſus, quia nempe illi res quæſita primum talis offert ſe ſe, qualis ex ſe eſt, atque ita illi eſt conſpicua, vt nihil eiuſdem lateat; & altera intellectus, vt cum res per ſe in obſcuro fortaſſe recondita, ſenſus quoſuis ita effugiat, vt penè ſui nihil immediatè ſentiatur, atqui per coniecturas ſolum, ratiocinatione, ſeu diſcurſu, collectas, veluti per imaginem, ſimilitudinem vè quoquo pacto intellectui repræſentetur, ab eoque concipiatur; Duabus itaque vijs hiſce, tum febris ipſa, an adſit, & qualis ſit, tum cauſa febris (ſi quæ ſit) quæ nam cenſenda, tum denique cauſæ eiuſdem ſedes, ſeu focus, vbi nā corporis fuerit, præueſtigandum, quoniam tot etiam neceſſariò ad curationem rectè inſtituendam præcognoſcenda ſunt; Principio autem, an febris aliqua adſit, facillimum eſt, ſolo ſenſu, percipere; Febris quandoquidem morbus eſt ſimilaris, partium nempè ſimilarium temperamenti affectio

Digitized by Google

affectio præter naturam, ea enim exurens quædam vniuerſi corporis inflamatio eſt, inflammatio autẽ quia caloris proprius eſt effectus, ideo vel ſolius tactus illa obiectum eſt, atque vna tum laborantis, tum curantis tactione, febris commodè percipitur, quatenus inquam laborans ipſe ſentiat ſe ſe calóre exurenti, & acri, perindeque laborioſo, atque moleſto, præter naturam calefactum, quẽ: ſi medicus quoque tetigerit manibus, velit, nolit, acerbum illum eſſe, & à naturali longè diuerſum confiteatur; Et ſi illum modo maiorẽ, modo minorẽ, pro cauſæ ipſum fouentis validitate, extare planum ſit; cui inſuper manifeſta quædam totius corporis ſiccitas accedat, ex ipſo met ſcilicet exurenti labore quocunque diffuſo, oriunda, quæ proculdubio etiam, maioris, minoris vè feruoris occaſione, euidentior eſt futura; Attamen vt certius ſit conſpicua ipſa præſentia febris, ſanè tum ex effectis, tum ex cauſis illius, mente adhuc ea coniectanda eſt; Ex effectis autem proprijs, & inſeparabilibus, quibus quãdocunque præſentibus, neceſſario febris adſit, prætetitis verò, vel non adſtantibus, febris nulla ſit; Inter quos profectò primas tenet, arteriarum pulſus, qui cordis ſiſtolem, diaſtolemque, euentilationis ergo, ſequitur perpetuò, & quidem per ſanitatẽ proportionatus, ac iuſto hominis calori ex conſueto maximè congruus, verumtamen per morbũ, per quem, ob caloris præſertim feruorẽ nimium, vt ſemper in febribus euenit, cor euentilationẽ maiorem, validiorẽ, frequentioremque expetit, vt alius, atque alius ſemper eſt pulſus, tum putà frequentior, tum maior, tum denique vehementior, qui & talis tangenti eſt euidenter conſpicuus, ita febrim adeſſe tunc fateri neceſſe eſt; quamquam id verum duntaxat cenſeri debet, dum inſolita huic arteriarum pulſationi connectatur caloris præternaturalis ſenſus, qui triſtis, laborioſus, moleſtuſque fuerit, de quo dictum iam; quippè alias pulſu licet immutato, febrim aliquando nullam adeſſe poſſibile videatur, quando vel leui ex cauſa aliqua etiam externa (hæc ſanè multiplex eſt, & inter reliquas præcipua eſt oris ventriculi vndecunque procurata affectio) ſpiritibus aggitatis, pulſus arteriarũ alius, ac alius à ſano, citra febrim, factus obſeruetur; Cæterum poſt hãc pulſus in febri differentiam, & ſi alij caloris febrilis effectus quamplurimi adhuc ſe ſe offerant, & varij, quos in febri frequentes animaduertimus, & ex quibus non debile de febri argumentum conficere datum eſt, quod tamen hi minimè cõſtantes, & nuſquam in omnibus ſemper omnes, merito ideo ad communem febris præſentiam demonſtrandam, prætermittuntur, & ſanè cũ hi non febrim ipſam ex ſe, ſed cauſam eius, vt plurimũ, comitentur, adeo vt ad ſpecialẽ potius notitiam febris, quam ad genericam, ſiue communem, quam modò querimus, maximè illos facere certũ ſit; Sequitur febris notitia quam per cauſam nobis habere licet, quæ & ſi confuſa, & obſcura nimis æſtimetur, quia nihilominus aliam iampridẽ ex effectis adeptam quadantenus confirmet, adaugeatque, ea ideo minimè curanti medico eſt negligenda; Itaque expenſis, & examinatis quibuscunque antegreſſis, vnde ſibi æger paulo ante noxam eueniſſe obſeruarit, & inſuper illis in ordinem ita redactis, vt eorum ſubinde (à primo ſcilicet ad vltimum vſque) impetus, & modus in agendo ſeruatus euidens factus cenſeatur, vnde tandem ægro ipſi, forſam valdè in febrim prompto, & habili, non ab re, per id temporis febrim eueniſſe pateat, profectò de febris præſentia nos certiores redditos non dubitandum; Attamen quod cauſæ hæ plures, variæque, vt diximus, ſint, & in agendo diuerſæ, vt impoſſibile ſit omnino de illis hic quid-

piam

piam methodo tradere, ſat perinde vniuerſim de his nos ſupra loquuti, reliquum prouidentiæ artificis remittemus. Hac quidem ratione de febris præſentia generatim coniectandum, iã ſpeciatim notitia eiuſdẽ proſequenda eſt; Dicebamus autem febrim, vel ſubterfluentẽ eſſe, nulloque penè fundamento innixam, vel conſiſtentẽ iam, valenterque firmatam; Rurſumque hanc, vel per ſe talem, vel alterius cuiusque annexi conſeruantis beneficio; Haſque iterum in proprias ſpecies eſſe diuiſas; Vtriusuis ergo generis, vel ſpeciei cenſenda febris ſit, quæcunque illa ægrum afficiat, dum ſenſus pęnitus lateat, itidem mente, ex effectis, & cauſis, perueſtiganda erit; Sed quod ad ſenſum ſpectat, certum eſt, primo febris cuiusque inſultu, ſiue vnius ipſa, ſiue alterius generis, vel ſpeciei fuerit, nunquam rata, nunquam firma, quin varia potius ſemper, & inconſtantia adeſſe omnia, eaque per ſe ſimilia, & diuerſa ſæpe ſe ſe offerre ſenſibus, vt merito per eiuſdẽ inuaſionis primordia, perperam ſit, vel vno ſenſu (tanto minus mente) de febris genere, ſeu ſpecie, certam proferre ſententiam; paulo licet iam febri perſiſtente, eaque modum, ſeu morem ſe habendi proprium, & quidem conſtanter repræſentanti, cuius nam illa ſit generis, vel ſpeciei, facilius & ſenſu, & mente dignoſcatur; Sanè tamen febris, quæ præterfluens eſt, quæ & breui deficit tempore, (de qua primo loco agendum eſt) cum poſt vnam temporis breuitatem, per quam ipſa vix ſpectabilem profert ſe ſe, adhuc vltro multas, ac varias, tum externas, tum internas habeat vnde oritur cauſas, & eas ab his in omnibus rarò diſſimiles, ex quibus ſpecies quæque febris deſumit initium; Vnde nec vnum illa toto progreſſu ſuo ſeruet ſuæ præſentię modum, ex quo in conſpectum ſe det; quoniam interdum lenis, & placida, interdũ contra, acris, & valida eſt; Inſuper & ſi ſua natura continua eſſe ſoleat, interdum tamen illa, recurrente cauſa, recurrat; Ad hæc ea modo æqualis, modo inæqualis ſit, & aliquando breuior, & aliquando longior; Nec præterea effectus ſimiles ſemper pariat, quibus illa ſpeciatim demonſtret ſe ſe, at ſimiles interdum, interdumque diſſimiles; Cum inquam res ita ſe habeat, veriſſimum certè erit, præterfluentẽ, ſeu diariam, quã dicimus febrim, difficilè breui, quo viget, ſpatio, vel ſenſu, vel mente, dignoſci, à medico etiam exercitato, poſſe; Quamobrem febris hæc quomodocunque ægrum inuaſerit, ſuſpecta ſemper habenda, nec de ea ante deliberandum, quam conſtanter qualis ſit, euidentibus notis, appareat, apparet autem tertio, vel quarto die, quo vt plurimum ipſa eſſe deſinit, & ſi aliquando citius; Vtcunque tamen ſit, interea eius ſemper attendendus modus, & mos eſt, obſeruandaque origo, quoniam ſi præterfluens febris fuerit, quæ dum perquiritur, penè ſemper ſponte, ſineque artis auxilio deſſicit, ſanè & meritò prætereunda; Atqui ſi iam febris cõſiſtens ſuſpecta ſit, proculdubio ita inditia eius iterum atque iterum recognoſcenda, vt ex his ipſa febris eſſentia, firma, ſtabilique coniectura decernatur; Et porrò an de genere earum ſit, quæ ex annexa cauſa conſiſtente longè conſeruantur, & durant, quæ & putridæ dicuntur, quoniã ex putridis ſuccis eueniant, vt alibi diximus; An euidenter potius de genere earum ſit, quæ habituales cum ſint, vi ſua tantummodo valenter perſeuerant, ex putridaque ipſa frequenter habent originem, & raro per ſe ægrotantem inuadunt; Itaque cum tum ſenſu, tum mente, inditia omnia rectè percipiantur, ex illiſque notitiam, quam expetimus, ſufficiẽter aſſequamur; Sanè quod ad ſenſum attinet, veriſſimilè eſt. febrim preſentẽ, quæ præterfluentis iam terminos prætergreſſa ſit, conſiſtenſque

vera

vera compareat, non habitualem eſſe ſed putridam, vt putà quæ ex putredine excitata, ab eadem conſeruetur, & vigeat; ſi præſertim ea, tum modo, tum more ſuo, & quo ad intenſionem, extenſionemque caloris, & quo ad motum, diuerſa videatur; quandoquidem calor, qui putreſcentis ſucci occaſione fit, ille cæteris paribus, vel ex quo acri vapore communicat ſe ſe, acrior ideo ſemper, & validior eſt; Inſuper ob ſuccorum eorūdem cruditatē, cruditatiſque malitiam, quæ per tempus longum duntaxat emendatur, non vno ſolum, altero vè diè, ſeu etiam tertio, calor ipſe fouetur, verum longius, diutiuſque; & ille interea ægrum multifariam afficit; at quod magis eſt, non æqualis, ſuo progreſſu, eſt, ob putreſcentis humoris excandeſcentiam, (fallit ſincero putreſcente ſanguine, raro autē ille putreſcit) ſed inæqualis, etiam ſi perennis ſit, pro humoris ſpecie; plerunque autem etiam defficiens, recurrenſque eſt, vel vna inquā fomitis, & foci eius, varietate, qua humor putreſcens differenter ſe prodit; Qui autem calor ſimplex eſt, attamen febrilis, & nullum ex putredine fomitē habet, minus acris eſt, & magis lenis, ac placidus, vt ſubinde ægrum valdè minus afficiat, & opera eius minus interturbet; ad hæc ſemper ſibi ſimilis eſt, niſi dum creſcit ad ſtatum, vel diminuitur per decrementum, vnde nullum habet acceſſionis, vel exacerbationis ordinem, quippè omni fomite careat, vnde ordo illi contingat; Ita quidem ſenſus de febrili calore ex putredine facto, perindeque de febri putrida, ſatis euidenter ſentit; Quamuis neque ſenſui ſolum, ob multiplicē ægrotantium varietatē, ſtare tutum videatur, ſed vltro mente perſcrutādus, examinanduſque ille ſit, & ſanè ex effectis proprijs, itidēque ex cauſis, vnde ipſe ducit originē; Effectus putridæ febris ſunt multiplices, quod illa nuſquam incomitata, ſed pluribus præternaturalibus ſtipata affectionibus ſemper progrediatur, per quas palam à putredine eam habere originē eſt, conſpicuum; Nam & ſi febris ex ſe, calore naturali immutato, quæcunque in nobis ſecundū naturam ſunt, perperā afficiat, ſi tamen ea ex putredine ſit, multo ſemper magis, poſteaquam putreſcentis ſucci febrim fouentis aſſiſtentia valdè maiora, eaque euidentiora vbique præſtet, quam ſimplex intemperies; Itaque quamquam multa ſunt hæc, prævalijs attamen ſunt febrientis opera, non vitalia quidē ſolum, quæ in febri quauis neceſſario afficiuntur, ſed adhuc naturalia, & animalia quorum & ſi perturbatio in omni febri poſſibilis ſit, in putrida tamen, vt dicitur, valdè magis; Vitalia autem deprauari, ex pulſu potiſſimum, & reſpiratione patet, atque ex illis ſic deprauatis, putrida febris indicatur; Pulſus enim tunc, non ſolum vt in febribus quibuſque, & velocior, & maior, & vehementior pro tempore eſt, quam aliàs ex natura eſſe conſueſcit, ex quo nempè febrilis feruor ſemper, à principio ad ſtatum vſque, validior, & à ſtatu per declinationē remiſſior eſt, vt perinde etiam cordis ventilatio illi ex æquo toto progreſſu reſpondeat; Sed interea quoniam cor à plurimis vaporibus putridis vexatur, lancinaturque, & per acceſſiones, exacerbationes vè magis, per quas ex incenſa putredine, excrementa torrida multa, & fuliginoſa cor maximè petunt, quæ & ſpiritus vniuerſim præmunt, meritò illis validius natura incumbens, ea ita feſtinat, depreſſa arteria, foras excludere, vt nuſquam tanta neceſſitate nitatur, per dilatationem refrigerium allicere, præſertim ſi humor, qui putridus, vel cor, vel præcordia petens, tum multus, tum acris, & pernitioſus extiterit; neceſſario quippè in omnibus pulſandi differentijs tunc varietas magna eſt, eaque, re vera, vnius, vel alterius diei, certis horis, pro vario peccantis humo-

humoris ſitu, ac motu, ſenſibus conſpicua; Quia humore in venis poſito, vt feruidus calor perennis eſt, atque ex eo perpetuò arteriarum pulſus à naturali pulſu diuerſus apparet, ita per exacerbationes, dum humor ſuo more excandeſcit, calorque ſemper, ac alias, principio earum maior eſt conſpicuus, & ad ſummum excandeſcentiæ ſucceſſiuè augetur, dein per declinationem minor euadit, vtique illi neceſſario reſpondente arteriarũ motu, fit, vt & omniſariam pulſus augeatur primum, poſtea minuatur, priori ferè redditus conditioni; Cæterum humore extra venas exiſtente, quoniam ad ſolam interpollatam moris proprij excandeſcentiam, feruor febrilis inuadit, vnde etiam, niſi per euidentes acceſſiones, cor, arteriali pulſu, ventilationẽ maiorem expetit, eo ipſo aliàs quaſi omnino ſecundum naturam ſe habenti, vtique vt non niſi tunc poſt pugnam humor communicat ſe cordi, quare & frigus, horror, vel rigor antecedit, cum magna ſpirituum concentratione, oppreſſioneque, ita tunc primum minor arteriarum motus adeſt, dein ſucceſſiuè maior, indeque recedit, reuerſus ad conſuetum naturalem, & fortaſſe ſanum; Eadem quoque in his febribus ratio reſpirationis, & inſpirationis eſt, cum ſimiliter ad refrigerandum, & fuliginoſos vapores putres expellendos illa pertineat, quãobrem tunc nemini mirum ſi dum pulſus varius, & multiplex eſt, inſimul reſpiratio, ac inſpiratio varia vt plurimum videatur; quamquam in febribus is præſertim intermittentibus, in quibus humor prima corporis regione poſitus excandeſcens præcordia comprimit, ob aliam merito cauſam læſionem patiatur.

AN FEBRIS CONSISTENS, quæ putrida eſt, ægrotantem afficiat, vt clarius pateat, iiſdem propoſitis vijs, quomodo agnoſcendum, explicatur.

CAPVT SEXTVM.

SEQVVNTVR opera, quæ naturalia, & animalia nuncupantur, quæ porrò per febrim deprauata, putridi humoris præſentiam, ſubindeque febrim ex putredine natam, oſtendũt; Namque & ſi opera quæuis in ægto à ſolo præternaturali calore, qui febris eſt, neceſſario labefactentur, adeo quod illa in omnibus febribus præter naturam reddita, videri poſſint, ex calore tamen febrili per putredinem accenſo, aliàs euidenter, certo modo quodã, habent ſe ſe, atque ita præſentiam putredinis conſequenter oſtendunt, ſe habent inquam iuxta morem, ſeu motum humoris putreſcentis proprium, & focum item vnde ille excandeſcens foras erumpit, perindeque operibus ipſis conſecrata organa afficit; Etenim per febrim putridã omnem, & potiſſimum intermittentem, in qua putredo, vel vna prima vaſorum ſerie viget, hoc eſt, meſenterio, & illi adiacentibus vaſis reliquis ſanè merito hiſce propè ſtans ventriculus, inteſtina, & his finitima organa alia, prioribus naturalibus operibus inſeruientia præcæteris afficiuntur valdè, & eorum ſubinde opera, dein ſucceſſiuè alia reliquorum, perperã ſe habent; quatenus attamen mos, ſeu motus putreſcentis humoris eſt

proprius,

proprius, videlicet quotidiè magis, ſi pituita excandeſcat, de tertiò verò in tertium, ſi bilis, & de quarto in quartum, ſi melancholia, licet poſtea perennis reſtet affectio, non ſibi tamen ſemper ſimilis; Idem experimur in continuis, per quas humor peccans in venis collocatur, ſed varietate maiori, ac inconſtantia; Itaque dum per febrim putridam paſtus aſſumitur, nutritionis ergo elaborandus, opera naturalia ſi contempleris, ab ore primum ipſo in ventriculum, & rurſum à ventriculo, ac inteſtinis ad hepar, demumque per vniuerſum corporis habitum proficiſcens, omne penè opus mancum, & re vera ab integritate ſua longè diuerſum, vt plurimum apparebit; Et primum ſublato penè appetitu, non niſi per magnā difficultatem paſtus aſſumitur, quod non à calore ſolum nimio laxanti factum credi par eſt, verum maximè ex praui cuiuſpiam tunc ſucci ventriculum occupantis, perfundentiſque, ac ſaturantis præſentia, prouenire probabile eſt; Cum & ob eandem cauſam ſæpè nauſea præſto ſit, ſecundum quam æger paſtum auerſatur, & ab eo vel ſaltem viſo, aut olfacto, vel item ſolum audita illius mentione, horret, haud aliter qua à cibo corrupto, & putrido multis eueniat; Et ſi plerunque ſalubri, & vtili poſtpoſito, ſolus qui inutilis, & prauus eſt, ab eo deſideretur; Præterea aliquando ſequitur vomitus, vt paſtus licet aſſumptus, minime tamen ille recipiatur, amplectatur vè, ſed mauis reſupinato quaſi ventriculo, ex ingrata ſcilicet inhærentis, ac imbibiti humoris qualitate excitata; vnà forſam cum humoris eiuſdem portione, foras, quod illius fuerit aſſumptum, adhuc crudum, veluti noxium, euomatur; Et ſi non rarò ille met perperam detentus vltrò ſic facilè corrumpatur, vt vel iam fomitem præbeat putredini, vel mauis ſeceſſu, ſcilicet per inteſtina, cum flatibus, & torminibus (niſi quid peius euenerit) quaſi excrementum, tum ſubſtantia, vt dicitur, tum accidentibus; ab eo quod decet valdè mutatus, impetu defluat; Et ſanè ita frequenter per febrim putridam ventriculus ſe habet ad paſtum, de potu interea nimis interdum ille ſolicitus, ſiquidē tunc niſi præmagno pulmonū æſtu, quo ignei penè vapores, in palatum, & fauces euomuntur, lingua areſcens, bibendi deſiderium inferat, infert autē ſæpe inexplebile, profectò proprius, prænimio ardore, ventriculus exſuccus, aut ſalſo, amaro, vel acri quopiam imbutus humore, indeficientis ſitis eſt autor; Quamuis interdum præ nimia ſiccitate, vel humoris infarctu, ita linguæ, faucium, atque ventriculi ſenſus reprimatur, vt quaſi deficiens minimè ſitim animaduertat; Adhæc verò, quoniam ventriculi error nullibi vſquam rectè corrigatur, ideo paſtus perperam confectus ex eo decedens, ad hæpat ſucceſſiuè peruenturus, dum vaſis meſenterij ille recipitur, maiori ex parte obſtruit, conſiſtens in via, grauatque perinde hipocondria, & magno ægri malo, turgida, tenſaque reddit, vt & inde ſæpe lien induratur, & porus felleus intercipitur, vnde mala multa habent originem; Sed ex parte ille receptus in hepate, vt iam prauè diſpoſitus, ita nec rectè ab eo tunc pridem multifariam languenti in vtilē ſanguinem vertitur, qui nutritioni ſit aptus, quin potius vltro putredinis fomes fit, & febris pabulum; quare nec interea corpus vniuerſum rectè nutritur, ſed ex prauo vbique congeſto ſucco intumeſcit, vel mauis conficitur, atque reſoluitur, deficiente ſcilicet pabulo, quo bona, ſufficienſque deperditi inſtauratio ſubſequatur; Vnde vt tunc quæ per ſeceſſum excunt, aut per os euomuntur, mancum naturalium operum omniū exordium palam oſtendunt, ita quæ vrina conſpiciuntur, progreſſum operum eorundem deficientium manifeſtè docent; Siquidem vrina paulo poſt

Z 2 febris

febris initia, neceſſariò ſuccedit cruda, vt ex conſiſtentia, atque calore patet; Etenim iam vel tenuior facta, paucisque prædita contentis, paruam à calore inſito elaborationem interſanguificandum præceſſiſſe indicat, vel contra, vltra mediocritatem craſſior reddita, & contentis inſpiſſatis nimis, ita repleta, vt quia denſa, ſeu cõfuſa facta ſit, ideoque ſplendorem proprium amiſiſſe videatur, ſanè tunc perperam ſuccos in venis ab extraneo calore confundi, ad corruptionẽque potius, alterari, quam rectè confici monſtrat; Et ſanè magis ſi ad albidum, & lutulentum quam ſecus illa inclinet; tunc quippe defectum omnis penè elaborationis ſemper arguat; Quod ſi ſaltem primum rubra, dein crocea, præterea eruginoſa, viridis, vel paſſea, & tandem nigra appareat, (hoc namque ordine illa vt plurimum immutatur) elaborationẽ quidem humorum celebrari certum eſt, ab externo attamen calore magis, quam ab interno, & innato, ſubindeque defectum operis naturalis adeſſe euidentiſſimum eſt; Quod ſi præterea addas odorem, qui fœtidus ſit, de putredine tunc iam inducta non dubitandum, niſi forſam hæc & alia aliundè vrinæ contingant, quam defectu operis naturalis elabentis; Quamquam adhuc ſæpe, per febrim putridam, nihil vel parum vrina à ſalubri conditione diſtat, adeo quod minimè tutum inditium videatur, quod ex ea de naturalibus operibus aſſequi contendimus; Quippe licet dum putredo in humoribus viget, neceſſe ſit opera animæ omnia, & inter hæc naturalia, vt dictum eſt, affici plurimum; quod nihilominus interdum putredo ipſa, vel eius ſaltem fomes lateat, vt venis ipſis, & vaſis communibus, potiſſimumque hæpati, niſi difficilè, ob obſtructionẽ, ſeu ductuum inhabilitatem, communicet ſe ſe, adeo quod neque ita facilè ſanguinis maſſam inficiat, vt nec hepar afficiat, hinc eſt, vt licet interdum virus putredinis cordi inſenſibiliter communicatus peſſimam febrim faciat, adhuc tamen nondum hæpar, cum venis ipſis, ab integro opere apertè deficiat, atque nec vrina, quæ ſerum ſanguinis eſt, à ſua bonitate decedat; Et hac ratione, opera, quæ naturalia dicimus, per febrim putridam labefactantur, ſuntque febris huiuſmodi effectus euidentes; quamquam certè non ita proprij, vt ſine putredine, & febri, alibi illi minimè reperiantur; quare licet ex his certo modo dicto per febrim ſe habentibus, putredo ſat is appareat, exque putredine febrim fieri conijciatur, illis nihilominus ſolis minimè confidendum, ſed præterea effectu alij diligenter contemplandi; Non parum autẽ ad putridam agnoſcendam febrim faciunt opera, quæ animalia medicis nuncupantur, quorum ſanè ita varia ex febrili putredine præſto ſunt ſimptomata, vt ex his putredo ſatis apertè conſtet; Inter hæc licet quæ ad motum, & illi aduerſam quietem ſpectant, ad tactum inſuper, & guſtum præcipua ſint, dein enim ſequuntur reliqua quatenus ipſorum organa ab intemperie, cum putreſcentis humoris præſentia, afficiuntur; Porrò veriſſimum eſt, febrim ex ſe, quatenus ſcilicet intemperies calida eſt, à propria ſymmetria omnes etiam auertens ſpiritus, corpori euidentem toto afferre langorem, laſcitudinem vè, vt in omni quaſi opere tunc impeditus æger videatur, vt ſepè diximus, verum tamen febris ex putredine orıunda, dum putreſcentis humoris ipſam fouentis portio in tenues venas, quæ per ſumma ſunt corporis, excurrat, neceſſario laſſitudinem inducit, & eam (quod ad ſenſum tactus ſpectat) doloroſam, &, in partibus præſertim extimis, vlceroſam; Atque ita inprimis caput, nõ per conſenſum duntaxat, ſed & per eſſentiam, ſecundum partes ſenſiles, ſummopere afficitur, ac inſuper tum brachia, tum crura, quaſi contuſſa, dolent;

dolent; Niſi forſan humor ad magnas lumborum venas aliquando collectus, ibi ſaltem grauitatem maximam faciat, ibique exardeſcens nimiũ pariat incendium; Vt ex his demum omnibus, vel ſingulis vltro ſequatur corporis iactatio, & inquietudo, vt ſcilicet in alterutrum latus modo, modo in rectum, illud prorſus inquietum per id temporis deuoluatur, veluti ferè ſemper per putridas continuas, & earum potiſſimum exacerbationes obſeruamus; Cæterum per intermittentes, & earum præſertim acceſſiones, vniuerſi accedit concuſſio, cum frigore, horrore, rigore vè, quibus ſæpè dentium ſtridor comes eſt, ineſtque ei doloroſa interna contuſſio penè vſque ad oſſa perueniens, quoniam calidus, acer, putrisque ſuccus, in his, licet dum ſua ſede conſiſtens conquieſcit, corpus non exagitet, attamen dum quaſi efferatus, illinc præter naturam dimouetur, & (vt in acceſſionibus fit) huc, atque illuc delatus partes ſenſiles repentim ferit, eas merito affligit, concutitque, atque ille ſi paucus, parum ve acer extiterit, & lentè, ac languidè dimoueatur, vix extimum frigus inuehit, calore ſcilicet cum ſanguine, & ſpiritu ab externis partibus intro, quaſi in opem, & ſubſidium aduocatis, ſin copioſior, aut acrior, eiuſque ideo motus, ac impulſus concitatior ſit, iam euidens cum frigore vniuerſi cõcuſſio inuadit, illaque ſemper maior, ſi qui exagitatur humor, & multus, & is vehementer acer, ac mordax, magno impetu ſenſiles partes feriat; Hoc inquam in intermittentibus, occaſione ſedis humoris peccãtis, quaſi perpetuo ſit; Verum in continuis aliquando ſolum, & leuiter, ab inexpectata humoris peccantis motione in venis ipſis interdum excitata; Hæcque circa quierem, motum vè, & tactum, in febri ex putredine obſeruamus; Sequitur guſtus, qui in febri eadem peſſimè labefactatur, ſiquidem non rarò lingua, palatusque exſiccatus, & incruſtatus, ſenſum guſtandi ſapores nullum, vel diminutum valdè habet, at ſæpius, dum praui humoris perfuſione, aut amari, accidi, vel inſipidi, per ventriculi conſenſum, inquinatur, ſi nouo liquore aliquo perfundatur, iam qualis ex accidenti eſt ſapor inbibitus, interguſtandum talis cibi aut potus ſapor ſibi apparet; Cæterum & reliquarum animalium operum afflictiones, ſi non in ſingulis omnes, in omnibus ſaltem ſingulæ ſiue ad ſenſum illæ, & motum, ſiue quoque ad mentem ſpectent, pro febrientis corporis diſpoſitione, contingunt, & putredinem humorum apertè monſtrant, vt enim qui putreſcit humor non in omne corpus æquabiliter eſt effuſus ſed in partẽ præcipuè impegit aliquam, ita pro partis conditione potiſſimũ exurgunt ſimptomata, vnde ſi ante febrim pars corporis aliqua, vel natura, vel humoris cuiuſpiam, veteris vè mali vitio, imbecillior, ea omnium prima iacturam, & incommodum patitur, ſubindeque opus, cui pars neceſſario inſeruit, ſuis afficitur ſimptomatibus; Vniuerſim autem, & non rarò, vigilias adhuc, vel ſoporem, per febrim putridam obſeruamus, vnde palam opera quæque animalia indifferenter, magno ægri damno, vel opprimuntur, vel diſſoluuntur; Contingunt ſanè vigiliæ diſſoluentes ex cauſis omnibus, ſomnum, & quietẽ, per febrim interpellantibus, ex his nimirum, quæ ægro nimis ſunt infeſta, & quidem ex ardore, doloreque, & capitis inprimis, dein ex laſſitudine, & concuſſione totius, vnde ſpiritus agitati ſolitæ ſe quieti traddere minimè valent, vt delirium quoque pariãt, quod eſt ex ſpiritibus in cerebro perperam agitatis peruerſa mentis operatio; Ad hæc euenit febrienti ſopor, & interdum ſaltem ſtupor, ex multitudine præſertim humorum, aut craſſorum vaporum, cerebri vaſa, quibus ſpiritus, operibus animalibus celebrandis, ſubminiſtrantur,

ſtrantur, occupanti, porrò primum ex ea obliuioſi, & ſtupidi febrientes ſolum ſunt,, dein ſoporoſi, in profundum quoque ſomnū, quē lethargū dicunt, perueniunt, quod minorē primū ſpirituū oppreſſionē, leuior ſenſuum detentio ſequatur, huic dein nempè maiori, grauior ſuccedat, niſi vi morbi. vt ſæpe poſt delirium, aliter eueniat; Sed vt cunque ſit, ex putreſcentibus per febrim humoribus, cerebrum per eſſentiā, vel per conſēſum, labefactantibus, ſimptomata hæc tunc ſuam habent originē. Ita quidē putrida febris aprehenditur ex effectis, ex cauſis iam, qua ratione indicetur, demonſtremus. Sanè cauſæ febris aliæ ſunt externæ ſeu remotæ, & internæ aliæ, proximę vè, ſiue coniunctæ; Externas diximus, quæcunque regimini victus ſunt neceſſaria, hæc enim præincipientia calidorū morborum principia æſtimantur, quibus meritò etiam annectuntur fortuita; Internas autē poſuimus humores propriam ſymmetriā prætergreſſos, iamque ſubindè putridos. In his etenim quoniam calor præternaturalis accendatur, vt dictum eſt, illeque demum accenſus feruetur, ac vigeat, ex ipſis merito præcognitis, & quatenus id præſtare valeant, actuque præſtent examinatis, rationabili etiam coniectura licebit de putridæ febris præſentia notitiam aſſequi, quæ quamquam altera ex effectis obſcurior, vnà tamen cum ea pellucidam ſatis, & euidentem putridæ febris iam præſentis cognitionē importat; Quamobrē ipſo ſtatim medici ad ægrum ingreſſu, ſciſſitandus æger eſt, de regimine victus præuio, & alio quouis fortuito, ex quo ille dein ſe febri laborare aduerterit; Atqui vt per capita quod querimus ſe ſe ante oculos ponat, rememoranda ſunt quæ aliàs vniuerſim de febrium cauſis præmeditauimus, nempe ad tria potiſſimum reduci ea, ex quibus extrinſecus, tanquam ex cauſis, febris queque habet originē; Vel ſcilicet ad quæ ſuo in nos ambitu per contactum agunt; Vel ad quæ à nobis aſſumpta, receptu quouis ſuo immutant nos; Vel ad quæ tandē à nobis met, in ipſiſmet facta, ipſos item met ſubſequenter afficiunt; Ad hæc enim tria, cauſas febrium omnes externas, remotas vè primū, & ſucceſſiue ex his internas, ac proximas belle deduximus; Sed de externis, ſiue remotis, quæ ex ad regimē victus ſpectantibus præſtò ſunt, primo dicamus; Hæ porrò ſi ex ambientibus ſint, (horum autē præcipuus eſt aer) quæ ſiue per ſe, ſiue per accidens, ambitu ſuo, ægrum ita calefeciſſe potuerint, vt ſi quid in eo fuerit, per feruorem, corruptioni, ſeu putredini aptum, illud corruptum, putrefactum vè iuiſte credibile ſit; & magis adhuc, ſi ambitu eodem, veneficæ cuiuspiam qualitatis ſemina illi impertire valuerint (ſanè autem hoc illorum conditio, vis, ſitus, & ipſa denique mora, indicabunt) iam vtique tunc, his ſic febrilem calorē præcedentibus, febrim adeſſe putridā fateri licebit; Quod ſi præterea ex cauſis eiſdē externis, illas præceſſiſſe, quæ intus aſſumuntur, ingeruntur vè, audiuerimus, paſtum puta, potumque, & horum iam inſimul error, vel in qualitate, vel in quantitate, vel opportunitate, conſtet, vtique cum certum ſit, ex erroribus ingeſtorum, ſiue per ſe primo putredinē excitari, cui poſtmodum ſuccedat febris, ſiue per accidens, nēpe obſtructione quomodolibet ſubſequente, calorē præternaturalē accendi adeo poſſe, quod ex eo ſucceſſiuè putredo adueniat, iurè febrim eſſe putridam inde colligere conceſſum erit; Vltimo dum ex his præcedāt aliqua, quæ à nobis in ipſiſmet facta (hæc ſunt animi affectus, & corporis exercitationes, vel otia) nos forſam alteros reddere aliqua ratione potuerint, profectò dum primum talia, tantaque illa fuiſſe, iuſto mentis intuitu, prænoſcantur, qualia, quantaque, per ſe, vel per accidens, calo-

rem

rem in nobis accendere, & ſubinde putredinē inducere apta ſint, cum, pro ſubiecti corporis ægrotantis diſpoſitione, verum ſit, ex his, præternaturalem calorem, atque putredinē potuiſſe contingere, profectò quoque putridam febrim ſucceſſiue fieri potuiſſe, æſtimandum eſt; Cæterū quod extrinſeca, remotauè hæc putridæ febris principia, rarò ita febri ipſi ſunt contigua, vt certò, ex præcedentibus ipſis, febrim ſequutam quis valeat arguere, quinimo potius, vt plurimum, longè adeo à febri diſtantia ſint, quod vix poſſibilem cenſeas horum cum febri adeſſe connexionē; Attamen quod nuſquam cauſa, quæ proxima, ſinè remotis quandocunque prægreſſis, ſit putridæ febris effectrix, hinc ideo minimè negligenda ea eſt putridæ febris præſentis coniectura, quæ ex remotis cauſis dictis haberi aliqua ratione poſſit, vbi præſertim omnia ad victus regimen pertinentia, eatenus expendantur, examinentutque, quatenus ſcilicet ex his, vel ſaltem aliquibus, putredo, quæ proxima morbi cauſa eſt, in ægro potuerit aliquando accendi; Et quamquam coniectura hæc obſcura ſatis, longeque nimis fortaſſe petita, vt ex illa ſubinde putridæ febris notitia non niſi obſcura habeatur, ea nihilominus qualis, qualis fuerit, ſuperaddita alteri ex cauſis proximis habitæ, meliorē proculdubio pariet febris eiuſdem ex cauſis cognitionem; Igitur vltro de cauſis ipſis internis loquendum eſt; has autem diximus putres iam ſuccos exiſtere, cæterum putredinem multifariam contingere, at ab obſtructione potiſſimū; Quare vbi ſatis pateat ipſa putredo, ſi non ſenſibus, ſaltē menti, per effectus, de quibus multa in ſuperioribus dicta fuere, profectò tunc neceſſario febrim putridam adeſſe fatendum; Interea autem an obſtructio præſens ſit, quamquam obſcurum, attamen ex præcognitis ſaltem præincipientibus cauſis obſtructioni fauentibus, ſatis apertum fiet, & ſanè magis ſi præterea obſtructionis effectus euidentes in viſceribus præſto fuerint, in viſceribus inquam illis, vbi peccantes humores propriam ſedem habuerint, cuius equidem ſedis dignotio, vt medico valde neceſſaria eſt, ita obſtructioni detegendæ maximè idonea cenſetur, ſed de hoc inferius.

INQVIRITVR PRAESSIVS quæ putridæ febris ſpecies ſit, cum eius variæ differentiæ ſint, quæ ex cauſis præſertim proximis, illiſque varijs, habent originem, quare & de cauſarum earundem omnium cognitione, modoque cauſandi ipſarum vario, abundè agitur.

CAPVT SEPTIMVM.

VBI ſufficiēter conſpicua putrida febris fuerit, vt dein eius ſpecies clarius pateat, neceſſario cauſa illius, propria, proximaque inquirenda erit, certa nempe putridi humoris conditio, per quam etiam magis ratio curationis eluceat; Etenim humores noſtro congeſtos corpori, propriam iam ſymmetriam amiſſos, quod in apertam tendant putridam corruptionem, iurè diuerſos

eſſe

eſſe diximus; Sunt enim alij alimentitij, vt ſanguis, & excrementitij alij, vt pituita, bilis, & melancholia, qui omnes, aut dum ſinceri, aut, & quidem ſępius, dum mixti, obnoxij ſunt putredini; Qui ergo ex his fuerit, qui per febrim peccet, non eſt difficilè, iuxta doctrinam alibi traditam, intelligere, tum inquam vno duce ſenſu, tum præterea mente, ex cognitis videlicet cauſis, & effectis illius peccantis in ægro: Quantum ſpectat ad ſenſum, quamquam humor, qui peccat, febrimque facit, in recondito corporis collocatus, valdè multum latet, vt ſanè illius, quatenus eſt febris cauſa, nihil prorſus appareat, ex his nihilominus, quæ tanquam ſuperuacua, ſenſim, atque perpetuo foras pelluntur, quid nam humoris peccantis lateat, (niſi etherogeneitas aliquam difficultatem pariat) fit aliquando ſatis ſenſibus conſpicuum; excreta quandoquidem ſemper eorum, quæ intus continentur, conditionem redoleant, repræſentētque; tum per ſe quatenus talia, tum ex accidenti interdum, quatenus ſcilicet conſequuntur hæc, aut illa; Si potiſſimum foras ijs pellantur vijs, quæ vaſis cōtinentibus, vel quomodolibet contentis ſuccis bellè conſenſerint. Corpus licet noſtrum, dum præſertim viuimus, intro, foraſque, ita ſpirabile ſit, vt per robuſtam naturam totum quibuſque facilè purgetur ductibus, atque ita apparens excrementum omne, ex quauis ſede, cuiuſque humoris peccantis purgationem eſſe poſſe credibile ſit, perindeque ex quauis ea, de contentis iudicare conceſſum videatur; Itaque de humore in venis per continuā febrim putreſcenti, ex vrina excreta, ſenſu aliquid forſam percipitur, quippè ea ex venis generosè effuſa, conditionem humorum in illis oſtendat; Atqui humore regione prima collocato, ex ijs potiſſimum, quæ per ſeceſſum, & vomitum eijciuntur, de eo ſenſilis coniectura commodius permittatur; hiſce quoniam ductibus regio illa expurgetur; Attamen dato vrinam contemplari oportere, ex ea ſanè difficilè aſſequimur quod cupimus, quando ſiue alimentitius, ſiue excremētitius humor peccet, vrina tunc, vel quo ad ſubſtantiæ conſiſtentiam, vel quo ad accidentia reliqua, (hæc enim ſenſus percipit) indifferens, vt plurimum ſit, vt perindè rarò illa humorem ex prædominio peccantē repræſentet, at mauis frequentius, ſi quem humorem ſibi aliquando permixtū proferat, illum bilioſum eſſe oſtendat; In febri enim quæ putrida (à quouis illa humore peccanti contigerit) vrina ſemper, quo ad ſubſtantiæ cōſiſtentiam, vel mediocris, vel craſſa, tenuior vè eſt, nec humoris peccantis conſiſtentiam imitatur neceſſario, porrò interdum imitari poſſibilè eſt, atqui penè ſemper inditi caloris vim, facultatiſque coquentis robur, ſequitur, quod cum ita ſit, iurè qualis humor peccet, ex vrinæ conſiſtentia non patebit: Cæterum quod ad colorē ſpectat, quoniam color ex determinata conſiſtentia, ſubindeque diaphani, & opaci mixtura reſultat, propterea fit, vt cum vrinæ conſiſtentia, ex quouis humore peccanti, indifferens, & varia eſſe poſſit, ita & indè conſequens color multiplex adeſſe queat, vnde nec ex colore, peccans humor certò colligi poteſt; quamquam cum ex febri corpus exuberanter caleat, humores autem in eo valentius exutantur, adeo vt ita bilis inter hos potiſſimū vigeat, & creſcat, vt & ſi quiuis alius humor abundet, putreſcatque; bilis nihilominus ipſa, quæ valdè per ſe tenuis, partes permixtioni ſummoperè congruentes ad ſerum promptè inficiendum habet, & vbique ferè præſto ſit, & præ cæteris humoribus ſe ſe, ſuo ſcilicet colore, per vrinam proferat, principio quidem rubro, dein citreo, poſtmodum ærugineo, ac nigro; hoc ſanè gradu exuſtione ipſa in deterius proficiſcente; Ex odore, quantum ad

hoc

hoc ſpectat, nihil prorſus habetur; Atque his demum ſic exiſtentibus, per vrinam de humoris ſpecie nihil certi ſenſu colligi poſſe veriſſimũ eſt; Atqui ex his quæ per ſeceſſum, vomitum vè, excernuntur, fortaſſe clarius de peccantis humoris ſpecie aliquid ſpectabile eſt, tum nempè ex ſubſtantiæ conſiſtentia, tum ex accidentibus aliquibus, excreta ipſa comitãtibus; quoniam ſi quæ excernuntur, aut euomuntur, alba, tenuia, vel craſſa ad muci inſtar extiterint, planum eſt exquiſitam monſtrare pituitã; at ſi flaua, citrea, eruginea, vel porracea, præſertim ſi cum acrimonia, & amarore ſint, bilem magis, minus vè exuſtam indicare; Tandemque ſi craſſa, nigraque ſint, de melancholia non dubitandum; Huic autẽ nõ abſimilis eſt ſanguis, qui extrauenatus ſit; Et ſi præterea tunc, & aliàs, humores, vt plurimum, inſimul miſceantur, & raro ſinceri peccent, vnde & horum aſpectus non parum confuſus videatur; Quamobrẽ vt hæc de his per ſenſum agnita humori peccanti dignoſcendo minimè ſat ſunt, ita vltro mente alia pequirenda, expendendaque ſunt, effectus nempè, & cauſæ, ad proximam videlicet, coniunctamque putridæ febris cuiuſque cauſam efficientem pertinentes; hac namque via de humoris ſpecie certior erit notitia; Ergo ab effectis ſumpto principio, præmittendum humoris putreſcentis, febrimque fouentis effectus eſſe non paucos, & quidem ex his multos communes eſſe, de quibus ſupra, dum putridæ febris præſentiam demonſtrabamus, abundè diximus, attamen aliquos eſſe proprios, determinatum nempè peccantem humorem indicantes, ex quibus iam præueſtiganda illius deſiderata cognitio eſt; verum hi ad febrilis feruoris morem, modum vè facilè reducuntur omnes; Quamquam non ob id negligendi quoque ſunt alij, qui contingenter febrim ipſam ex certo peccanti humore natam comitantur, veluti ſunt ſimptomata plura, & forſam quoque morbi tam ſimilares, quam diſſimilares, qui & intrinſecus, & extrinſecus per febrim ex certo humore putreſcenti contingunt; qui inquam ex ſanguine phlegmonis naturam ſapiunt, ex bile ereſipelatis, ex melancholia carcinomatis, demumque ædematis ex pituita, quẽadmodum propria monſtrant inditia; Sed quod horum tam morborum quam ſimptomatum ſilua multiplex eſt, & indeterminata, eam meritò exercitatis ſaltem ex tempore obſeruãdam præcauebimus, at interea morẽ, ſeu modum ipſum feruoris præternaturalis, atque febrilis, diligenter expendemus, poſteaquam humoris cuiuſque ita mos diuerſus ſit, vt etiã feruoris ex eo modus diuerſus ab illo alterius euidens ſit; vndè per hanc præſertim diuerſitatem, de humoris certa ſpecie ſufficientem licet habere coniecturam; Ipſe etenim feruor ſi tunc acris quidem, quia putà febrilis, verum non valdè longè diuerſus ab illo ſimplicis, leuiterque impreſſę febris, quod videlicet ex eo cutis adhuc non ſqualida, ſed mollis, blandoque madore perfuſa ſentiatur; Inſuper ſi ſua magnitudine valenter ſatis, ægtum exerceat (hoc ſanè magis, & minus eſſe poteſt) vt palam corpus vniuerſum, maximèque facies, inflammatione, ac rubore ſuffundatur; Demum ſi ille met ad dies extendatur, & continuo perſeueret, vt attamen interea ſemper in eodem ſtatu conſiſtat, vt inquam licet ad augmentum proficiſcens, nuſquam tamen tractu toto remittatur, exacerbetur vè aliquando, dubio procul ex ſanguine in venis peccanti eius origo eſt, quando præſertim ex ſanguinis temperie, ac more, talia prouenire obſeruatum ſit, quoties tamen ille putreſcens in venis febrim inſerat; etenim effuſus è venis, ibique corruptus, tum ob longè degenerẽ ſui conditionẽ, tum ob ſedis poſitum valdè diuerſum, varia hæc, & maximè dif-

ferentia patit in ægro ; Et ſi veriſſimum ſit, rarò in venis ſanguinem ſincerum putredine aſſici, quin vltro ipſi, præ alijs ſuccis, bilis non paucum admiſceatur, cũ difficilè ſine bilioſi ſucci, vel à bile non multum diſtantis præſentia, febris putrida accendatur, adeo quod ſit conſequenter vt exquiſitam putridam ex ſanguine rarò obſeruemus, at frequentius, permixta bile, notham, ſeu ſpuriam, quæ longius diſtans ab exquiſita, & ad bilioſæ naturam, ſua facie, ſuiſque notis, propius accedens appareat ; Verum de pituitæ peccato ex ipſo met febrili feruore deſiderantes coniecturam prçmittemus primũ, pituitam putredini forè quidẽ obnoxiam, vt aliàs dictum, difficilè attamen ex ea febrim excitari, præſertim ſi ſincera, & alterius ſucci permixtione careat, nec dum minus exuſtionẽ aliquam paſſa, ex ſalſedine, & acrimonia, videatur ; quippè frigida nimis ex ſe illa cum ſit, & humida, ac per ſe minimè inflãmabilis, longè ideo, & valdè, ad calorẽ extraneum ſuſcipiendum, vt ſubinde alterius calidioris ſucci more febrim foueat, inepta eſt ; Quamobrẽ obſcurum de pituitæ peccato ex febrili feruore argumentum eſt ; Verum tamen quod ſæpius, crudorum, pituitoſorumque humorũ colluuies, tum in venis, tum extra venas abundet, cui bilis tantundem permixta eſt, perindeque ea vt calorum extrema ſulfure illinita ignеſcunt promptius, ita ex bile adiuncta, putreſcentique, calorẽ præternaturam, ad febrim faciendam, & continuam, & intermittentem, accommodatum adipiſcitur, illamque ita aliquando & facit, & fouet, modo longiorẽ modo breuiorẽ, pro pituitæ copia, & maiorem validiorẽ vè, pro bilis exceſſu ; Et licet febris huiuſmodi vi bilis potius accendatur, quam vi pituitæ, ex prædominante nihilominus pituitæ copia, pituitoſa iure cenſetur ; Ex ea quamquam pituita febris imprimis ducat originẽ quæ ſiuè alicubi corporis congeſta, ſiue per deſtillationẽ à capite in ſubiectas partes effuſa ; obſtructiones eas tamen parit, quibus tranſpiratione intercepta, calor neceſſario excandeſcit, feruetque, tum quidẽ intermiſsè, quatenus per interualla deſtillatio ipſa recurrit, atque interuallo eodem, quod per deſtillationẽ effuſum eſt, calore etiam extraneo adiuuante, abſumitur, deſinitque ſubinde obſtructio, & denique feruor ; ſi præterea continuo, abſque intermiſſione, ſi continuo, ex quomodolibet vigenti pituita, ipſa quoque vigeat obſtructio, & item feruor, qui quidem & ſi forſam ſine putredine, at ex obſtructione ſola, per initia, eſſe poſſit, progreſſu dierum tamen, putredo bellè accedit, craſſis nempe, bilioſiſque iampridem congeſtis, cõmixtiſque aliquot ſuccis, ad putredinẽ aptè diſpoſitis, mox obſtructionis meritò putreſcentibus ; Sed vt cunque, ſanè pituitæ huius prædominium, ex vno feruoris modo, eatenus patet, quatenus ob humoris frigiditatẽ, ille (vel continuus, vel intermittens ſit) non acris omnino, & pungens, ſed mauis lenis, & halituoſus, quaſi ex ſuccenſis viridibus lignis vapor ſubleuatus tãgenti primum occurrit, poſtea verò aliquantum mordax, & acer ; Inſuper ille quamquam iam in vniuerſum effuſus nullatenus ita vehemens eſt, vt corpus nudare cogat, quod hebes potius ſit, placiduſque, quare nec ardoris compunctio idem corpus variè iactare facit, nec inſpiratio frequẽs multum frigidum aerem ducere, nec ſitis vehemens frigidam aquam expoſcere ; quare ob eiuſdem humoris lentorẽ, atque craſſitiem, feruoris acceſſio, vel exacerbatio, non repentim, ſed ſenſim, pedetentimque inuadit, & lentè, ſeu tractu longo augeſcit, atque minuitur, magna interdum inæqualitate, qua putà non ex æquo partibus omnibus internis, & externis, calor feruidus percipitur, idque toto ferè progreſſu febris, præ-

ſertim

ſertim ſi intermittens ea fuerit, & à deſtillatione orta, etenim ſemper deſtillatio vrgeat inæqualiter; Ad hæc verò quod vniuerſim pituitæ mos ſit, die quouis moueri, febris ideo ſi quotidianum impetum fecerit, vel exacerbatione noua, vt in continua, vel acceſſione, vt in intermittenti, quã vtique acceſſionem præcedat leue ſaltem partium externarum frigus, raro autem horror, & ferè nunquam rigor, ob humoris ſcilicet excandeſcẽtis lenitatem, ſpiritus quidem intro vocantẽ, at parum, vel nihil partes ſenſibiles lancinnantem, nulli dubium quin ex pituita febris originem habeat. Sed cum ſæpe pituitoſæ febris facies hæc, adhuc bilioſæ febri communis videatur, ſi potiſſimum bilis craſſa fuerit, eaque vario loco putreſcẽs febrim quolibet die efficiat, quæ ideo quotidiana ex pituita cenſeri facilè poſſet, attamen cum duplex tertiana ex bile extimanda ſit, eo quod ſaltẽ alternis diebus varia (hæc porrò frequentiſſima omnium eſt) hinc iure effectus alij obſeruandi ſunt diligẽter, (erunt autem hi exercitato non pauci) qui pituitæ adeo ſint proprij, quod non bilem, ſed pituitam præ alijs humoribus peccantẽ certius oſtendant; Sequitur vt bilis peccantis præſentiam, ex ipſo etiam febrili feruore, colligamus; Sanè putridarũ omnium febrium principium bilis eſſe videtur, ex quo præſertim illa præ alijs ſuccis promptè externam ſuſcipiat inflammationẽ, quia nempè calida ſiccaque ſit, & igneę impreſſioni præ eiſdẽ ſuccis commoda, quam ob rem vt niſi ſuccis alijs admixta febris fuerit, difficillimum eſt eos inflammari, ita nulla putrida febris euenit, quam putreſcens bilis quomodolibet non foueat, quaſi bilis humores reliquos ad inſtar ſulfuris igni concipiendo, & conflagrationi idoneos reddat, vnde rarò ex ſola pituita, & rarius ex ſola melancholia febris fir, quamuis dum bilis ipſa febrim facit, ea rarò ſincera, exquiſita vè cenſenda ſit, ſed vt plurimum potius alijs humoribus mixta, nec parum repreſſa, minuſque ideo expreſsè propriam ſpeciem repræſentet; Si etenim feruidus calor ægrum præhẽderit, qui ſiccitati maiori adiunctus, acer valdè, & pungens ſit, vt manum adiectam verè acriter feriat, ſubinde autẽ corpus ita exurat, vt omnino nudari cogat; Et inſuper qui facilè accenſus vehementius excandeſcat, & in omne corpus effuſus mox ad vigorem feſtinet, breui tamen mitior euaſurus; Intereaque licet perennis, de tertio tamen in tertium exacerbetur, at ſi intermittar, interuallo eodem manifeſta acceſſione recurrar; Atque adhuc ipſum acceſſionis aggreſſum, partes ſenſiles, humoris lancinnantis acerbitate, rigor validè concutiens antecedat; talis ſanè febrilis calor ex bile habet originem, & porrò ab exquiſita, quæ tenuis, calidus, & acer valdè humor eſt, caloris perinde valentis, vehementis, ac celeris auctor; quoniam ſi alio quouis humore nempè pituita, repreſſa bilis fuerit, (id enim penè ſemper fit) equidem feruorẽ corpori impertitur præternaturam, ille attamen vt leuior, mitior, placidiorque, & denique longior, ita quaſi ex pituita peccanti obortus offert ſe ſe; & aliquando etiam quotidianę febris imaginem, vel vno quotidiano eiuſdem impetu, repræſentat; niſi aliundè duplicis tertianæ, ex bile oriundæ, conditionem retinere, euidentiſſimis argumentis alijs, appareat; quare ex ſolo feruore febrili minimè ſufficienter bilis præſentia indicatur, ſed adhuc alijs eget inditijs; Iam de melancholia peccanti ex caloris ſenſu inquirendum, ille ſiquidem ex putreſcenti melancholia exortus, quamquam alius, ac alius eſſe poteſt, ex quo porrò melancholicus ſuccus in nobis vnus exiſtat, qui quaſi limus, & fæx ex ſanguificatione reſtat alter, qui ex potentiori caloris impetu in quemuis oblatum ſuccum facto, ſucceſſiua exuſtione, torrefactis parti-

 bus

bus non paucis, ſæpè congeritur, qui ſubinde vt longè ſatis ab altero diſtat, ita calorē in nobis varium neceſſario infert; eſt etenim ille craſſior, frigidior, hebetiorque, ſemper, tenuiore, calidiore, acrioreque iſto vbique exiſtente; quare & calor ab hoc ipſo maior, vehementiorque, ab illo contra minor, & mitior fit; ab vtrouis attamen oriatur, hoc vnum ipſi meritiſſimè conuenit, quod nempè non acerrimus, nec ex ſe pungens valdè eſt, vt nec flammeus valdè, veluti ſi ex bile ſincera produceretur; nec minus adhuc repreſſus nimis, obtuſusque, vt ex pituita, obſeruatur; ſed quod vniuerſim ab acri, ac craſſo humore ſit, inter calores ideo penè medius eſt; Inſuper dum excandeſcit, non repentim, & vehemēti impetu, at mauis ſenſim, & lentè, ad ſuam magnitudinem perdncitur, ſi quidem continuus, quartarijs exacerbationibus, verum ſi intermittens, quartanarijs acceſſionibus euidentibus, (& ſi ſedis, & copiæ ſucci peccātis cauſa, frequentius excandeſcat, & ſæpe quotidie) quarum certè initiū à frigore eſt valido, quod eouſque inualeſcit, dum vehementē rigorem inuehat, non eum quidem, vt in tertiana ex bile, pungentē ſed potius contundentem ita, vt dum corpus vniuerſum tremore concutitur, ſolidę inſimul partes omnes ferè obteri ſentiantur; At in has eaſdem calor & ſi expandatur, neque tamen is corpore toto æquabilis eſt, & longius quam alius quiuis febrilis calor perſeuerat; Talis equidem eſt caloris facies, qui ex putri melancholia habet originem, & ſi adhuc ad melancholiæ peccantis præſentiam certius agnoſcendam, vltrò effectus alij eius, ſi qui fuerint, non negligendi ſint.

DE EARVNDEN CAVSARVM *cognitione ſequitur ſermo, & illarum in ægris occaſio explicatur.*

CAPVT OCTAVVM.

SED reſtat vt peccantem humorem per cauſas inquiramus, humor quandoquidem, ſiue excrementitius ille, ſiue alimentitius fuerit, ex prægreſſis euidentibus occaſionibus, de facili, tum quantitate creſcit, tum qualitatem aliam, atque aliam adipiſcitur, vt inde morbi cauſa fiat, & quidē pro occaſionis eiuſdem modo, & vi, determinatum illi vitium præſto eſt; Itaque ex obſeruatis, præcognitisque antegreſſis ſingulis, prudens medicus, de humore peccantı, non obſcuram aſſequetur coniecturam; Antegreſſa autem hæc, ſiue ex neceſſarijs, ſiue ex contingentibus ſint, ad tria capita olim ea deduximus omnia; Scilicet ad ea, quæ ambitu externo ſuo in nos euidenter agunt; Ad ea item quæ intus aſſumpta, vi ſua afficiunt nos; Et ad ea demum, quæ dum à nobis met perpetrantur, neceſſario etiam nos alteros reddunt; Quamquā ſanè nuſquam ſimpliciter hæc ſemper tanti roboris ſunt, vt qualiacunque fuerint, promptè ipſos humores efficere apta ſint, ſed vbi duntaxat vires illi ad agendum ſufficiant, & præterea modus ad ſe ſe communicandum aptus ac commodus non defficiat; Vires dico tum actuales, tum virtuales, ſiue per ſe, atque dirĉtè, ſiuè ex accidenti, indireĉtè vè agentes ſint; Modum verò ad commodè communicandum ſe ſe habilitatem ſupponit,

tum

tum ex parte agentis, tum ex parte patientis, tum demum ex parte medij, penes quæ ſingula ſimul ſemper modus attendendus eſt; Porrò ex ambientibus neceſſarijs, vnus eſt aer, cui dein contingentia accedunt omnia, quæ alias extrinſeco occurſu alterant; Inter quæ autem neceſſariò aſſumuntur primas tenent cibus, potusque, quibus addenda vltrò etiam ſunt contingentia reliqua à nobis aſſumpta; A nobis verò quæ perpetrantur multa ſunt, eaque ad operationes noſtras ferè omnia reducuntur, de his autem in methodo latius; Itaque ab ambientibus quibusque ægrum antegreſſis, ſumpto principio, quoties hæc, vel actu, vel virtute, aut per ſe, aut per accidens, vt dictum eſt, eo tantummodo ægrũ calefeciſſe certum fuerit, quo tamen nullus caloris exceſſus in eum imprimi aliquando potuerit, ſed mauis iuſta totius, ac partium optima temperies confirmata adeo, ſeruataque ſemper ſit, quod meritò generationi ſanguinis optimi plurimum ſemper fauerit; vt puta ſi verna aeris tempeſtas paulo ante præceſſerit, vel ſaltem æger alicubi longius fortaſſe vixerit, vbi ambientis aeris temperies, ratione ſitus, perpetua ſit, nec aliàs ipſe ex contingentibus quibus vis intemperanter affici vllomodo potuerit, vtique tunc ſanguine bono ægrum abundare credibile eſt; Et certè magis in eo, qui aſſumptis, & paſtu inprimis diutius fuerit vſus, qui ſua temperie, & æqualitate bono procreando ſucco, ſubindeque bono multiplicando ſanguini ſit maxime accommodatus; ſi adhuc attamen huius nec quantitas, nec opportunitas impedimento fuerit, ſunt hæc autem ſatis exercitato cuique conſpicua; Cæterum valdè magis ſanguis temperatus, & vtilis multiplicatur, ſi quæcunque ab ægro in ſe ipſo perpetrantur, ea alia habita ſint omnia, quæ nuſquam indita naturalis facultatis opera à laudabilis ſanguinis genereatione deturbare aliquando potuerint, ſiue inquam illa ad corporis, vel mentis exercitationem, ſiue demum ad quietem ſpectare viſa ſint; Immo ita ex æquo ſingula optatæ proportioni caloris inſtrumentorum facultati eidem, ſeruientium pro conditione reſpõderint, vt non niſi temperiẽ omniquaque ſeruauerint, induxerint vè, quæ ſanguini optimo generando fuerit valdè idonea; Et vtique adhuc magis ſi adoleſcens ætas fuerit; Inſuper & partium naturalium omnium, pabulo, vel ſanguini conficiendo deſtinatarum, puta ventriculi, hepatis, aliarum vè illis cooperantium omnium, optima, ad calidum potius quam frigidum vergens, ad ſit ſymmetria, & optima demum conſtruſſio, quam ſanitas integra, bonusque ſenſus, nullibi exceſſum, ſeu præternaturale quidpiam indicans palam ſequatur; Veluti certè tanquam ab euidenti effectu conſtat, ſi ſucci plenus, ſolidæque ſubſtantiæ corporis vniuerſi habitus interea ſit, & ille omniquaque floridus apparuerit; Et adhuc ſi excretorum ſuccorum colluuies nulla, at mauis interdum hemoragia contingat; Etenim ex omnibus his, vel maiori ſaltem ex parte præexiſtentibus, proculdubio ſanguinis copiam abundare apertum eſt argumentum; Atque tunc ſi fortè fortuna ſucceſſiuè acceſſerint aliqua, quæ temperiẽ peruertere omnem, & calorẽ præternaturalẽ inferre apta nata ſint, aut per ſe, atque directè, aut per accidens, & indirectè, vtique ea, vt reliquis ſuccis, ita quoque ſanguini eidem euidentẽ ammetriam inferunt, & ſubſequenter in eo putridum feruorẽ excitant, ex quo febris, quę iam facilè cenſetur ex ſanguine, dum vnus ſanguis bonus, ex cauſis præuijs, præalijs ſuccis, vrgere videatur; De pituitæ peccantis præſentia, ex cauſis proprijs deinceps arguendum eſt, atque vt pituita ſuccus eſt in nobis, ex oblato pabulo ſemicocto, congeſtus, ſiue coctio, quæ prima in

ventri-

ventriculo, ſiue ſecunda in hepate, ſiue demum tertia in ſingulis partibus, & potiſſimum cerebro, celebretur, ſic ſanè quæcunque præceſſerint coctionem ex his aliquam intercipientia, vt ſemper, & vbique, inter cauſas congerendæ pituitæ cenſenda ſunt omnia, ita eadē præcognita, pituitam congeſtam neceſſario indicabunt; Diligenter hæc igitur præueſtiganda, ſiue itidē ad ambientia, ſiue ad aſſumpta, & geſta referantur, vel porrò per ſe, directèque, vel per accidens, & indirectè, illa coctioni ipſi ex æquo celebrandæ impedimēto fuerint, quandoquidē multifariam, valdèque leui ex cauſa, cruditates adſint, ex eo quod calor, qui in nobis præcipiuum coctionis inſtrumentum eſt, ab opere recto, ac iuſto, tū diſſolutione, tum oppreſſione, facillimè auertatur, oppreſſio autem, ac diſſolutio hæc, non ex vna occaſione contingit; Etenim ex ambientibus inprimis, quæ intemperiē quamuis, tam calidam, quam frigidam, aliam vè præternaturam imprimere apta ſunt, non ſingulis tantum partibus, ſed & corpori vniuerſo facilè coquendi imbecillitas aduenit, cum ex his ſcilicet calor inditus quomodolibet impotens fiat. Longè facilius autem ab aſſumptis, ex quibus & calor innatus ſummoperè, tum diſſolutione, tum oppreſſione afficitur, & præterea ſuccis quibus vis materia ſubminiſtratur; verum id qua ratione contingat, in methodo noſtra, dum vim erroris, tum qualitatis, tum quantitatis, tum opportunitatis aſſumptorum, demonſtrabamus, copioſè expreſſimus; Et ibidem etiam ſufficiēter demonſtrauimus, quo pacto nos ex geſtis à nobis, in ipſiſmet, caloris coquentis impotentiam adeo patiamur, quod ſubinde cruditatibus abundemus; Quamobrem ſi iuſto, rectòque medentis iuditio, aliqua ex dictis hactenus ſatis præceſſiſſe creditum ſuerit, quatenus ſcilicet ex illis pituitæ congeſtio facta conuincatur; & præſertim ſi poſt ætatem inclinantem, ægri adhuc habilitas fauerit, vel quia corpus vniuerſum illi frigidū, humidumque ſit, ex hepate fortaſſe, per ſe, vel per accidens, pabulum eidem ſimile longius ſuggerente, veluti habitus mollis, flacidus, & laxus, cum lentore, ſegnitieque, apertè oſtendit; vel quia particulatim illi, quamquam aliàs meliori habitu prædito, ventriculus attamen ita ex frigore tunc temporis languet, vt facilè ex oblato paſtu, quantum vis idoneo, congerat cruditates, quarū notas in methodo aperuimus; vel quod demum cerebrum ex intemperie quauis, ſed frigida magis, eidē ita quomodolibet imbecillum ineſt, vt deſtillationes meritò pariat frequentiſſimas, quas ex effectis agnoſcere non eſt difficilè; Profectò ſic ſe habentibus hiſce, vt de pituitæ copia non dubitandum eſt, ita febrim iam præſentē ex eadem oriri omnino cenſendum, ſed ne præciſe per putredinē, vel obſtructionē, aut modo vtroque factum, in ſuperioribus ſatis explicatum eſt. Quod ſi poſt hæc, intemperanter, ante febrim, d u calefactus, ex ſiccatusque æger fuerit, vt porrò ille non ex ambientibus ſolum, ſed & ex aſſumptis, & inſuper geſtis, ſiuè per ſe, & directè, ſiuè per accidens, & indirectè, calorē nimium cum ſiccitate, euidenter paſſus videatur; Aſſentiente adhuc ætate, diſpoſitioneque corporis, proculdubio de bilis prædominio non dubitandum; Etenim ambiens, qui vniuerſim calidus, ſiccusque ſit, vt æſtiuus, aut huic penè ſimilis, puta alicubi ex igne, aut aliàs calidior, ſicciorque redditus, ſemper humores exurit, bilioſosque facit; Præſertim ſi vſtioni paratiores humores ſint, nempe ſi ex aſſumpto paſtu, aut ſua natura calido, & ſicco, aut quomodolibet recipiendæ inflammationi accommodato, conficiantur; bileſcit ſiquidē paſtus hic facillimè, & humores bilioſos, vel ad bilem aptos multiplicat,

modo

modo magis, modo minus, pro eiuſdem aſſumpti paſtus errore, in qualitate, quantitate, & opportunitate, ſecundum quē dein vna, vel altera deterior bilis ſpecie conſequitur; hæc autem exercitatis ſunt conſpicua; Accedunt aſſumptis quæcunque geruntur, ex quibus certè non obſcura congerendæ bili occaſio præſto eſt, vt inprimis ex motu corporis inordinato, dein ex animi intemperatis ſolicitudinibus, atque item ex vigilijs; poſteaquam inde calor facilè ita accendatur in nobis, augeaturque ſubindè ſiccitas, vt penè quicunque ſucci in ægro fuerint, illi promptè exuſti bileſcant; Et valdè quidem magis, ſi ægri diſpoſitio faueat; fauet enim maximè ſecundum partes, quæ ſuccis procreandis, congerendiſque, & expurgandis, ſunt inſtitutæ; Nam ex iecore, illique inſeruientibus partibus, præcalore nimio, bilis propriam habet originem, vnde non in venis ſolum illa redundat, ſed & in meſenterio facilè coaceruatur; Notis autem plurimis, tēperamentum hepatis, & partium circonſtantium, calidius eſt conſpicuum; potiſſimum verò ſi ex accidenti tale factum contigerit; patet enim id, ex ardore partium internarum inſueto, qui extrinſecus etiam facilè communicat ſe ſe, quoniam vt intrinſecus calidiore, tenuioreque ſanguine vrgeſcente, excandeſcenteque, vigiliæ, inquietudines, & alia eueniunt multa, ita ille extrinſecus ex parte transfuſus, & rubicondiora, calidioraque extima omnia, & ſæpe vltro cutaneę infectiones ob oculos fiunt; idque præſertim euenit etate conſiſtenti, per quam calor, vt plurimum, naturaliter viget, & omnia calidiora comparent; At ſi innatum fuerit, ex habitu vniuerſi, eſt conſpicuum, ille enim quia vt ex tenuiori ſanguine reficitur, ita facilè reſoluitur, & macer ideo, ſeu gracilis ferè ſemper eſt; Amplius autē, licet partes, quæ procreandę bili aptæ ſunt, benè ſe habuerint, adhuc nihilominus ſi ductus, quibus bilis iam coaceruata, expelli per ſeceſſum ſolet, ſiue hi, folliculi fellei, ſiue meſenterij ſint, intercipiantur, nec ſufficienter fuerint expediti, quod ex viſcerum tenſione, grauedine, atque duritie palam ſæpe colligitur, inſuper ex facie, quæ ex fędato per bilem ſanguine pallet, citrea vè eſt potius, quam florida; atque item ex fęcibus per ſeceſſum excretis, quæ ſolitam ex bile non recipiunt tincturam; at ex vrina quoque, quæ tunc valdè craſſa, croceaque eſt, cum per illam bilis multa effundatur, idem ſatis apertè conſtat; tunc porrò neceſſario bilis coaceruatur, & abundat in corpore, in quo maximè illa facilè procreatur; Quare tunc ſi forte fortuna eadem ipſa bilis quomodolibet congeſta, eo aliquando perueniat, quod exundans nequeat, gubernantis facultatis beneficio, certis ad ſanitatem requiſitis terminis contineri, vtique putreſcit facilè, & feruorem febrilē inducit, qui ſine dubio ex ipſa bile factus cenſendus eſt, cum bilis iam pridem aperta ex cauſis præceſſerit abundantia; Sequitur peccantis melancholiæ, per febrim, ex proprijs cauſis inquitio. Melancholia autem duplex eſt, vna ſcilicet naturalis, quæ limus, & fęx ſanguinis eſt, & præternaturalis altera, quæ ab exuſta bile prouenit, eſtque illius veluti cinis, Ab vtraque itaque melancholia febris fit, à præternaturali quamquā magis, ea quippe cum bilis atra ſit, nempe exuſta nimis, facilius inflammatur, & feruet; difficilius quæ naturalis, huic ideo ſępiſſimè illa interfebriendum permixta eſt. Vtcunque verò putreſcens melancholicus ſuccus febris auctor ſit, quoniam ille duplex, meritòque varias habet cauſas, ideo quæ ex his euidentes præceſſerint vnius potius quam alterius ſpeciei melancholiæ effectrices, conſeruatrices vè, ex quibus congeſtio eius argui poſſit, accuratę prænoſcendæ ſunt; Igitur cum præternaturalis melancholia,

cholia, bilis atra ſit, quæ nimis nempè exuſta eſt, ea ideo ex prægreſſis cauſis bilem procreantibus, vltrò autē nimis exuſtionem, quæ atræ bili cogendæ ſat ſit, imprimentibus, indicabitur; Cum verò naturalis melancholia, ſuccus craſſus, terreusque ſit, & veluti humorum fex, iurè dū cauſas antegreſſas feculentam materiē hanc producere aptas animaduerterimus, non difficilè erit eius iampridē adeſſe abundantiam intelligere; Principio autem, ex calefacienti cauſa, impreſſio exuſtionis, per cauſæ eiuſdem validitatē, præcognoſcenda erit, & ſi dum illius exurendi poteſtas aliquando defecerit, facilè eiuſdem in opere diuturnitas ſuppleat defectum; & quamquam validitas, & mora hæc multifariam obſeruetur, vtcunque fuerit, omnibus ſanè diligenter expenſis, vnde calor, & quo pacto inde exuſtio imprimatur, non difficilè erit præternaturalē melancholiam, ſeu bilem atram, eſſe febris præſentis originē, argumentari; Sed naturalē melancholiam cauſas longè diuerſas habere certū eſt, quando ipſa vt procreetur, ſiccitatē inprimis adeſſe validam neceſſe ſit, calore tamen duntaxat à frigiditate repræſſò præſenti; adeo quod quæ tum per ſe, atque directè tum per accidens, atque indirectè modo hoc afficiūt nos; & humores potiſſimum in nobis alteros facere conſueuere, huc dirigi omnia eſt operæ pretium, ſi quando melancholiæ huic procreandæ ea futura ſint propria; Vnde præalijs, quæ ſuo ambitu agunt, inter quæ aer eſt, ad ſiccum quidē vergant oportet, cæterum ad calidum ſaltē inæqualiter; vt antumno tēpore obſeruamus, quò certè præuio, vel diu ſaltē ſimili acris conſtitutione prægreſſa, non ab re eſt, multiplicando humori huic ambientis conſtitutionē fuiſſe aptam æſtimare; Verum præterea ex aſſumptis, & certius, & euidentius de humore eodē conceſſum eſt argumentari, ea quippè alterent valdè nos, & quæcunque itē noſtri, amplius autem ſuccum multiplicationi humoris, immediatè, & expreſsè ſuggerant; Itaque ea quoties fuiſſe, tum ſua natura ſicca, frigidaque ſatis, tum itē craſſa, ac penè terreis excrementis referta, planum ſit, non dubitandum quin ſuccus melancholicus inde omnifariam generosè creuerit, & magis, aut minus, pro maiori tum qualitatis, tum quantitatis, tum denique opportunitatis commiſſo peccato; His accedunt quæcunque geruntur, ſiue illa mentis, ſiue corporis ſint, quibus equidem perperam ſe habentibus, vt tum nos, tum quæ in nobis ſunt omnia euidenter immutantur ita etiam ex his melancholicus ſuccus facilè congeritur, præſertim verò ex mentis affectionibus, vt ex mærore, triſtitia vè; Faciliorem autē huiuſce ſucci congeſtionem reddit inſita, aduentitia vè ægrotantis corporis diſpoſitio, & porrò ſecundum partes, quæ ſuccis procreandis, congerēdiſque ſunt conſecratæ, vt præcęteris hepar eſt, cum adiacentibus partibus reliquis, quæ vbi inæquali præditæ fuerint intemperie, & maximè ſi calore innato iam debili, ſubinde ſiccitas acceſſerit, vtique melancholiæ generandæ, cōgerendæque fauebant. Id verò palam ſatis agnoſcimus ex inſito, aduentitio vè habitu vniuerſi, vt puta ſi gracilis; glabet, & aſperus ſit, vt potè qui ex ſanguine melancholico huic apprimè ſymbolo iam ſuſceperit incrementum. Et magis ſi ætas conſiſtens, vel iam decliuis, melancholiæ gignendæ idonea ſit. Sed adhuc magis ſi lienis conditio eidem congerendo ſucco maxime foueat, dum porrò ſuo fungendo muneri ineptus euaſerit, quod vtique ex grauedine, dolore, ſimptomate ve ſenſato alio, ad regionē lienis apparenti, indicatur; Et præſertim ſi vltro, teter fædusque totius aſpectus, ex fędato ſcilicet ſanguine, adſit; Inſuperque ſi conſuetæ humoris huiuſce vacuationes, quamquam etiam non naturales,

iam

iam tamen ſuppreſſæ videantur; Itaquæ hæc cum ita iam fuerint, ipſe verò calor, qui modum excedat, alicundè ægro ſuperueniat, qui putredinis auctor eſſe poſſit, vtique huiuſce melancholici humoris vigente copia, quam neutiquam natura regere, moderari vè vlterius valeat, facile eſt ipſam, calore eodem, affici, perturbari, atque corrumpi, vt inde febris adoriatur, quæ & propterea, recta conſequentia, cauſam humorem melancholicum habeat. Atque de cauſa febris proxima, humore nempè peccanti, vnde illa oritur, hac arte habenda eſt contemplatio: Cæterum quia rarò ſimplex, & ſincerus humor peccet, vt ex eo itidem ſimplex, & exquiſita febris eueniat, ſed penè ſemper vni, vel alteri, miſceatur, veluti & ipſa ſanatio euidenter oſtendit; Iurè curanti medico attendendũ, vt mixtura, ſi quæ fuerit, quanto clarius præcognoſcatur, nec non & quod per eam ex miſcibilibus excedat, vel prædominetur, id quandoquidem ad febris cognitionem integram aſſequendam ſummoperè faciat; Porrò autē niſi ſenſu, ab exeuntibus, aliàs vè, vnde etiam humores ſimplices ſe ſe dant in conſpectum, id ſufficienter pateat, vltro itidem ex effectis, & cauſis. de miſcella coniecturam facere neceſſe eſt; Nãque dum recto ſenſu liceat exeuntia percipere, quæ ſcilicet humorē peccantē repræſentent, ſine dubio quatenus illa talia fuerint, eatenus quoque vnum, vel plures. atque ne magis hunc aut illum minus peccare oſtendunt; Verum vbi id medico non ſat ſit, quod adhuc illum cauſas & effectus recognoſcere oporteat, vtique tunc qua ratione primum effectus dant certum peccantis humoris inditium, eadem ſimiliter vnius, vel alterius ſpeciem alteri permiſceri docebunt; Veriſſimum eſt tamen quod permixtio nuſquam exquiſitos, ſed penè ſemper ſpurios parit effectus, vt ideo ex his difficile ſit adamuſſim prædominium iudicare, prudens nihilominus, ac expertus commodè ſatis iudicabit, ſi euidentes omnes colligens effectus, eos inprimis vnius prædominantis humoris proprios eſſe intelligat, quãdo enim hi minus tales apparuerint, quam ab humore eodē ſincero fieri conſueuerint, iam mixturam illi alterius ſubdominantis ineſſe agnoſcet; ſed ne vnius, aut potius alterius humoris mixtura ſit, ſanè exquiſitior eorundē effectuum modus indagatus, oſtendit, aliàs quandoquidē ſanguinis peccantis, prædominantisque effectus perturbentur ex bile, & aliàs ex pituita; rurſum peccantis bilis effectus aliàs mutentur ex pituita, & alias ex melancholia, atqui contra, & quidem magis, atque minus, pro ſubdominantis copia, & actiuitate; Sed poſt effectus, ſi cauſæ etiam ad miſcellam agnoſcendam recognoſcendæ ſint, profectò qua ratione illæ certum humorem peccantem oſtendunt, eadem quoque plures ſimul iunctos oſtendere veriſſimum eſt; attamen prædominium ex eorundē validitate, ſiue potentia, ſatis apertè conijcitur. Notatu tamen dignum eſt, prædominium, vel ſubdominium hoc, non penes actiuitatē tantummodo, ſed & penès copiam forè attendendum, atque effectus ipſos actiuitatē inprimis arguere, cauſas autem copiam, adeo quod effectus bilis longè aliquando illos pituitæ ſuperare verum ſit, cauſis licet ad producendam pituitam longè adhuc validis præcedētibus; Ita enim varia prædominij, & ſubdominij, humorum peccantium inſimul mixtorum, ratio nobis per febrim eſt conſpicua.

POTISSIMVS CAVSARVM, *humorum nempe peccantium, vnde febris putrida ſit, focus indicatur, & quomodo alius ſit in continua, & in intermittenti alius, declaratur.*

CAPVT NONVM.

POST hæc autem peccantis humoris febrim putridam quam-
cunque facientis ſedes inquirenda eſt, at principio ad rectè
ſentiendum, coniectandum vè, ſupponendum eſt nobis, ex
putrido humore febrim purtidam omnem, à principio ad fi-
nem vſque foueri, & conſeruari, adeo quod perpetuò in om-
ni ea, ſiue continua, ſiue intermittenti, putreſcens humor ſtet, atque vi-
geat, ad ſtatum quidem magis, deinceps licet per declinationẽ minus;
Vnde etiam ſi febris, quæ ſua natura intermittens eſt, certis internallis
penitus intermiſcerit, minime tamẽ interea putredinẽ penitus euanuiſſe,
ceſſaſſe vè æſtimandũ eſt, noua ſcilicet omni, in poſterũ & ſucceſſiuè, pro
quouis nouo febris acceſſu, procreatura, ſuppeditatutaq, niſi id gratis, &
perperã fingatur; Siquidem vbi putredo ceſſet, aut vtique ceſſat, quia ope
caloris innati illa emẽdetur, vel (vt per morbi declinationẽ euenit) euin-
catur, ac ſuperetur; aut potius ceſſat, quia virtutis expellentis beneficio,
humor, cui putredo ineſt, foras valenter expellatur; Quodcunque au-
tem ex his, per intermittentium febrium putridarum interualla, euenire
credideris, illud vaniſſimum eſt; Quoniam ſi ita calor innatus ſupra pu-
tredinẽ vigeat, vt ab eo iam illa fuerit euicta, quomodo dein eadẽ, aut à
quo turſum illa excitabitur principio? At ſi foras expultricis facultatis
robore, & vi, ſufficiẽter expelli contendas, atque ideo febrim intermitte-
re, minime verò ſi ob imbecillitatem conſiſtat, vtique primum tunc, vn-
de nam putredo, quæ penitus diſſipara eſt, de nouo tam facile reſurgit.
Et à quo gignitur, vel cuius beneficio etiam maior, quam antea præſto
eſt? Dein vbi id mordicus contendas, profectò naturæ ordinẽ omnino
interpellas, poſteaquam naturalis expulſio coctionẽ celebratam ſuppo-
nat, quæ ſaltem per initia intermittentis febris nulla eſt, neque igitur tũc
expulſio naturalis excogitanda; Fateor quidẽ portiunculam ſucci peccã-
tis expulſioni aptam, quouis febris intermittentis inſultu, (ſemper enim
aliquid tunc promptum reperitur) per vim quandam foras expelli, vt ſæ-
piſſimè ex vrinis, ſudoribus, & excretis alijs, per id tẽporis, obſeruamus,
eundẽ attamen expelli poſſe omnem, ob euidentis cruditatis præſentiam,
minimè reor: quod ſi ob debitam illius diſpoſitionẽ foras expellatur (hoc
enim interdum fęlicis ægrotantis euentu contingit) ſanè vt tunc omnis
cauſa mali deſinit, ita & malum funditus euaneſcit, nec niſi nono re-
centis cauſæ aduentu recurrit: Quamobrem perennis eſt putredo in om-
ni febri putrida, à principio ſcilicet febris, in finẽ vſque, non in continua
inquam ſolum, ſed & in intermittenti, de qua aliqua videbatur dubita-
tio; Atque id cum ita ſe habeat, meritò de ſitu, ſeu foco putredinis, quę
febris cauſa eſt, oritur quæſtio. Etenim certum eſt, quod dum putredo

in ægro

in ægro corpore, progreſſu ipſo febris, vigeat, vt dictum eſt, niſi quid illi impedimento ſit, quo ſe ſe cordi non communicet, illa ſemper, & neceſſariò ſimilē effectum pariens, inflammationē, ac febrim ex corde in vniuerſo corpore faciet, quod ſanè in continua putrida febri euidenter verum fateri licet, poſteaquam illa perennis cum ſit, iure etiam fomitem in cor illam habere perennē, ex quo porrò cor perpetuo inflammatus, perpetuò itidē feruorem febrilem corpori vniuerſo communicet; Sed in intermitrenti febre dubitatio eſt non leuis, vbi nam inquam illa perennē habens fomitē, perennis attamē non ſit, nec niſi ægrum corpus per interualla affitiat; Verum prætermiſſis ambagibus, Dicamus nos poſſibile eſſe, per intermitrentē febrem, aliquod impedimentum adeſſe, quo ex foco proprio illa perenni fomite carear, atque impedimentum hoc eſſe occaſione ſitus, ſeu poſitus putredinis, è quo nempe illa, ob viarum ſeu ductuum difficultatē, non niſi aliquando ſe ſe cordi communicet; Sed quod in nobis, ſedes, vel ſitus ſit, vbi ita putreſcentes ſucci congeſti ſtēt, vt vel illius occaſione minime eorum putredo neceſſario ſe cordi communicet, facilè ſatis perſuaderi poteſt, vel ex quo euidenti experimento omnibus ſit conſpicuum, prima noſtri corporis regione, qua inteſtina, meſenterium, & partes aliæ, cauitatibus non paucis refertæ, & ad recipiendum habiles continentur, ſæpiſſimè, quaſi noſtri corporis communi ſentina, quamplurima, eaque praua indies excrementa congeſta longius aſſeruari, quæ quamquam nobis ſua natura aduerſa, ad faciendoſque morbos apprimè apta, citra noxam attamen inibi locorum detenta (quod vaſorum prædictorum parietes prauis excrementis aſſueti, libenter prauitatē citra vlteriorē communionem, ferrè conſueſcant) foras tandē, ſuo tempore, per vias conſuetas, miro naturæ inſtinctu, expurgantur; Contra verò hæc illa, dum vaſa eadē, perperam, hoc eſt, citra conſuetas vias, egreſſa, & regionem venoſam ingreſſa, vt facilè corpus vniuerſum permeant, ita cū ſua natura plurimum noxia ſint, corpus ideo ipſum multifariam afficiunt, nec niſi ſublata, emendata vè, illud priſtinæ redditum ſanitati relinquūt; Idque cum ita ſit, nemini vtique mirum ſi putredinē in nobis, ſine febri, reperiri aliquando dixerimus, cum aliàs illam neceſſario vnà cum febri adeſſe oporteat, idque ſolum ſedis, ſed putridi ſucci ſitus occaſione; Porrò dato putredinē primè regionis terminos contineri, merito ex ea tunc febris nulla ſit, ſiquidē inde nuſquam ſufficiens in cor additus, ſeu ſe ſe communicandi commoditas pateat, atqui indè exundans, egreſſaque, & regionē corporis venoſam ingreſſa, vel aliàs venis ipſis contenta, neceſſariò cordi communicat ſe, & febrim infert; Neque dixeris, quantacunque putreſcentis humoris copiam, primæ etiam regionis cauitatibus compræhenſam, ſuo ſaltē contactu vicinis vniuerſi venis, vel arterijs neceſſariò calorē præternaturalē perpetuo communicare; quare & ſucceſſiuè illum cordi perpetuo impertiri, atque ita perennem caloris communionē ſemper fore futuram, & nullam, vigēte ibidē putredine, intermiſſam; Quoniam niſi putredo excandeſcat, ea nunquam tanti feruoris eſt, vt magnam ſatis primæ regionis molem facilè prætergrediatur; Argumēto excretorum, quæ quaquam dum è regione prima, ſine febri, (quod ſæpe obſeruamus) expurgantur, inteſtina nihilominus, per quæ tranſeūt, excoriant, præque nimia ſui acrimonia, exulcerant; Dum autē primæ eiuſdē regionis vaſis continebantur, minimè laborē faciebant; Feciſſe, facereque, tu adhuc forſam mordicus contendes, exemplis non paucis innixus; Verum quod tunc veriſſimilè ſit, putridum peccantem humorē,

& copia, & virulentia multa ſcatere, vt vltro inquam ſua præſentia venoſam etiam attingat regionẽ, perperam ideo tunc tu à propoſita veritate decedes; Itaque putreſcentis ſucci, febrim quancunque, & intermittẽtẽ maximè, fouentis ſedẽ, focum vè perſcrutantes, ex præmiſſis hiſce dicemus, alium neceſſario eſſe illum continuarum, & intermittentium aliũ, illarum inquam, ſcilicet continuarum, eſſe venoſam regionẽ & harum, ſcilicet intermittentium, eſſe regionẽ corporis primam; Quod & ſi aperta ſenſus aprẽhẽſione minimè colligatur, diligenti ſaltẽ, & acri, per cauſas, & effectus, mentis intuitu adamuſſim euadit conſpicuum; Etenim certum eſt, nuſquam ſenſum immediatè putredinis focum per febrim attingere, niſi ille fortaſſe extimam quamuis corporis noſtri partẽ, oculis, tactui vè ſubiectam, occupet, quod non niſi aliquando contingit; quare vltro ex effectis, & parum ex cauſis, ad inquiſitionem veri, mente proficiſcendum; Ex effectis autem primum, tanquam ex notioribus, obſeruatis nempe ijs, quæ per febrim apparent in ægro, quæ tamen ex ſitu putridi ſucci eam fouentis talia potiſſimum ſiunt; cuiuſmodi equidẽ ſunt ſimptomata non pauca, quæ intermittentem præſertim, vt plurimum, & vbique ferè comitantia febrim, euidenter primam regionẽ corporis illi præbere fomitem, indicant; at contra, cum nuſquam, niſi ex accidenti, febrim continuam proſequantur, cuius alia potius ſint propria, quæ ex venis fomitem habere planum eſt, iureque ideo continuam aliundè, ex venoſa ſcilicet regione, foueri docent, & magis ſanè ſi non febrim illa, ſed febris cauſam, hoc eſt, peccantem humorem, præcipuum autorẽ arguant. vnde clarius adhuc, & meritò, eiuſdem ſedes elucet; Porrò in intermittenti præſente febre, primum tuſſicula quædam ſicca, (ea hic neglecta, quæ à deſtillatione, alijſque perſiſtentibus cauſis, per febrim aliquando contingit, quæ perennis ſemper eſt, & nuſquam intermiſſa) certo temporis ſpatio vigere conſpicitur per quam inquam nihil expuitur; Hanc ſæpe ſequitur anxietas magna, & quædam veluti præfocatio, ex partium ſpiritalium impedimento nata; Idque cum manifeſta præcordiorum omnium diſtenſione, quæ & raro citra dolorem eſt; Atque hæc ab humore proximè febrim facienti, primaque corporis noſtri regione congeſto, per febrim huiuſmodi ortum habere, nemo certè ibit inficias, qui modum cauſandi eius recta mente perpenderit; Poſito namque febrim ab efferueſcenti iam pridem ſucco cauſari, vtique vt per feruorẽ ille ſemper in molem maiorẽ extollitur, ita quoque tunc ſemper maius ſpatium occupat, & vaſa item primæ regionis, quibus continetur, extendit, ſubindeque diaphragma rurſum ad partes ſpiritales compellit aliàs quidem magis, alias autẽ minus, tuncque pulmones (ſi adhuc tamen ſibi, per ſufficientem partium earundẽ habilitatem, vel commoditatem, liceat,) ad ſe ſe, ab inde percepta moleſtia, explicandos, ac liberandos, per ſiccã tuſſim inſurgunt, & coacti tentant expulſionẽ, quamquam inanem; At ſi pulmones grauius præmantur, magna tunc anxietate, & quadam quaſi præfocatione æger afficitur; Intereaque diſtenſio in præcordijs viget neceſſariò, & dolor itidem aliquando non leuis, imminentis quaſi ſolutionis continui cauſa, ibidem ſentitur; Hæc verò in febribus continuis nõ niſi ex accidenti contingunt, veluti ſanè quando ille ex intermittentibus tales euadunt, quod tunc iam è prima corporis regione humor peccans in regionem venoſam exundet, ita vt locorum vtrouis eiuſdem humoris copia vigeat, & ex illius, ac ſitus continuitate perennẽ febrim efficiat; Et quamquam in omni ferè febri, præ nimio caloris feruore, vel æſtu intenſo, anxie-

ſo, anxietas præſto ſit non parua, non eiuſdem tamen illa modi eſt, quippè citra præcordiorum diſtenſionem fiat; Cæterum dè magnis, & valentibus ſebribus, quibusque hæc vellim intelligas, quoniam in leuibus, atque remiſſis, ob vnam minorē peccantis humoris copiam, malitiam vè, hæc ipſa rarò cernantur; Accedit hiſce, quod ſebri intermittente affecto, dum ſcilicet æger per acceſſionem languet, illi vt plurimum nauſea ſit, fitque ſæpe etiam vomitus, & interdum per ſeceſſum euidens excretio, eaque illius præſertim humoris, qui febrim præſentem facere iāpridem fuerat conceptus, atqui poſt acceſſionē quieſcunt hæc; Nec aliam ſanè ob cauſam, niſi quia dum putris ſuccus, prima ipſa corporis regione contentus, excandeſcens, & quaſi efferatus quoquouerſum per corpus effuſus ſuum feruorem infert, varia ſimptomata parit; Et primum cum proximè ventriculo communicet ſe ſe, illi ſubuerſionem affert, & a proprio recipiendi, amplectendi, & paſtum conficiendi munere illum auertit, ſucceſſiuè autem ſæpe talem reddit, vt cogatur foras expellere quod in ſe eſt, à putrido ſcilicet ſucco illuc per impetum è ſuo vaſe transmiſſo, ad id inuitatus nimis, irritatus vè; Sed & in ſimul per ſeceſſum, eandem ob cauſam, ſucci eiuſdem non paucum ad inteſtina, ſubſequenti etiam interdum ægri bono, mandatum eijcitur; manifeſto argumento ſedem ſucci peccantis, febrem intermittentem fauentis, primam corporis regionem eſſe, vt dictum eſt; Et hæc licet per febres continuas aliquando cōtingant, ea tamen nuſquam, ordine, & modo, quo in intermittentibus eueniunt, obſeruari ſolent; Siquidem in his poſt acceſſionis initium, hoc eſt ſub rigoris finem, ea ſemper eueniunt, atqui acceſſionis progreſſu, multoque magis declinatione, miteſcunt; In continuis verò, per exacerbationum earum declinationes etiam, & quandocunque, hæc obſeruantur, vt potè quæ aliam, ab humoris proprio foco excandeſcentis, febrimque tunc facientis, impetu, cauſam, tum externam, tum internā habeant, niſi de earum fortaſſe genere itidem fuerint, quæ vt ab origine, ita adhuc non in regione venarum duntaxat, ſed in ipſa quoque prima corporis regione fomitē habent; Verum enim vero poſt hæc, ſi cauſam rigoris antecedentis acceſſiones febrium intermittentium recta mente perpendas, profectò vltro de ſede, ſeu foco ſucci peccantis, ex quo illæ fiunt, atque fouentur, quod inquam prima corporis noſtri regio ſit, atqui continuarum omnium eſſe aliam, minimè ambiges; Nam rigor ſenſatio tactilis eſt, obiecti improportionati, vi ſua, & modo, partes ſenſiles ferientis, qua ſubinde corpus vniuerſum penè algeſcens contremiſcit; Etenim licet toto putridæ cuiuſque febris tractu, putreſcens humor vigeat, ideoque in continua perpetuo ille ſe ſe, ob ſitus commoditatem, cordi communicet, & febrim perennē faciat, ſiue continuam; ſit tamen vt dum per intermittentē, extra venoſam regionem, primis videlicet corporis vaſis, conſiſtens, quadantenus conquieſcit, tunc etiam ſui ſitus occaſione corpus non exagitet; at verò dum quaſi efferatus excandeſcens illinc præter naturam dimouetur, id ipſum variè affligat, concutiatque; ſanè quod ille tunc è ſua quaſi familiari, conſuetaque ſede, repentim turbatus, velutique penè turgeſcens, partes quidē circonſtantes omnes, & has quidē ſenſiles, ac ferendo obiecto minus accommodatas, dein cor, impetu feriat; Vtique ſi paucus fuerit, aut eius actimonia parua ſit, motusque lentus, & languidus, ſolum frigus inuehit, calore tunc, ac ſpiritu, cum ſanguine, ab externis partibus, intro, quaſi in opem, & ſubſidiū aduocatis; Sin verò copioſior, aut acrior, aut eius motus, impulſusque

con cita-

coeitatior, vltro hortot inuadit ; Cnm autẽ plutimus, vel is vehementer
acet, ac mordax, magno impetu, & repentim in eaſdem ſenſiles partes
excuſſus, rigor tunc vetus inducitur, qui corpus vniuerſum, eo validè
concutit, quod meritò contremiſcat, vt nec iam cohiberi poſſir; ſiquidẽ
hoc ſit quoddam veluti certamen, humoris nempè in partes ipſas ſenſiles
internas ruentis inſultu, & partium earundẽ ſenſus non tollerantis, ſed
reſpuentis obſiſtentia, confectum ; Quippè ex ferienti vno, & ex contra
pugnanti, ac repugnanti alio, quaſi colluctatione, dimicatione vè, vni-
uerſum algeſcit primum, dein horret, & vltimo partium internatum per
eſſentiam, & externarum per conſenſum, laborioſa afflictione, concuti-
tur, & contremiſcit, vt nec cohiberi poſſit ; Itaque hæc vera cum ſint,
iure vel ex vno hoc cauſæ rigotis examine, vt præmittitut, febrium inter-
mittentium focum, ab illo continuarum, forè diuerſum, palam fit, harũ
puta venoſam regionem eſſe, at illarum regionẽ primam corporis noſtri
exiſtere ; Et ſanè id valdè magis verum exiſtimandũ cum adhuc non pau-
ci alij præternaturales effectus, ſeu ſimptomata, ex hoc ipſo cauſandi mo-
do intermittentium, ac continuarum, facilè, & ſine controuerſia à ſuis
pendere cauſis intelligantur ; Namque potiſſimum dũ per febrium inter-
mittentium acceſſionẽ è prima regione corporis, meſenterij putà cauita-
tibus, putridi humotis excandeſcentis portio in partes internas ſenſiles,
quibus maximè conſentit cor, recenter, repentimque erumpit, quod tũc
ſpiritus in quaſi pugnæ præſentis ſubſidium ab extimis ad intima auocẽ-
tur, fit vt ipſo ſtatim acceſſionis febris intermittentis initio, dum extima
corporis perfrigerantur, pulſus arteriarum quoque contrahatur, obſcure-
turque, mox verò ſenſim in apertum ſe det, pateatque vltto quam con-
ueniat maior, vt potè iam corde, & toto, ex communicata putredine, in-
flammato, reſtigerium perinde maius, per ſiſtolem, & diaſtolem ſubmi-
niſtrandum, aprimè expetente ; Quod profectò in febribus continuis,
per exacerbationes ſcilicet earum, minimè obſeruamus, ſed potius con-
tra, certo argumento, putridi ſucci febrim fouentis ſedem, non primam
corporis regionẽ, ſed tegionem ſecundam, nẽpe venoſam eſſe; quia cum
inde ex magis calefacienti humoris feruore, ſenſim potius, quam reper-
tim, ob vnam ſcilicet vaſorum commoditatẽ, & contentorum continni-
tatẽ, earum exacerbationum initio, cor, corpusque vniuerſum, palam
magis incaleſcat, vt neceſſario refrigerium, quod arteriarum ſiſtole, dia-
ſtoleque merito patrandum eſt, iam conſueto maius maximè expetat, fit
ſine dubio, vt quoque tunc ſtatim, pet earundẽ acceſſionum initia, pul-
ſus arteriarum maior, validiorque tangenti appareat, non autem, vt in
intermittenti, minor ; Quod ſi fortaſsè interdum per febrim continuam
aliàs obſeruemus, vel id ſanè euenit, quoniam illa runc minime exquiſi-
ta continua eſt, ſed intermittenti permixta (hoc enim ſæpe fit, cum fre-
quenter continua ex intermittẽti ſumat exordium) vel quia tunc aliquid
è venis particularibus aliquibus repentim de nouo erumpat in cor, parteſ-
que ſenſiles feriat, tunc enim ex pugna neceſſatio excitata, auocantut,
cum pulſu ad intra ſpititus, & tunc etiam frigus, horrot, aut rigor præſto
eſt aliquis ; Ad hæc verò, vt foci intermittentis febris veritas magis elu-
ceat, ſpectanda eſt ægrotantis vrina, quæ pròfectò toto febris intermit-
tentis progreſſu, poſt acceſſiones, varia eſt, ſemperque diſſimilis, atqui
in continuis, ferè ſemper ſimilis, quod proculdubio euenit, ex quo poſt-
eaquam concitatus, & penè turgeſcens putridus humor, ſuo è foco dicto
emiſſa portione, ſenſibiles ferierit partes, ſanè dein per venas delatus, vt
quoquo-

quoquouerſum corpus occupat, ita maſſam ſanguinis omnem inficit, ſerumque eius ſubſequenter fœdat, quare veluti non rarò, quod in corpus diſiectum eſt, iam ſupra modum extenuatum, impetu tum ſuo, tum impellente natura, per acceſſionis finem omnino diſſoluitur, interdum quidē manifeſtè in ſudores, interdum obſcurè, ſenſimque per cutem, eodem vtique ferè modo etiam per vrinas, poſt acceſſionem, foras expellitur; quippè vrina & craſſior, & colore humorē repreſentanti predita tūc videatur, & ſit, cum nihilominus antea melior, & aliquando laudabilis omniquaque appareret; Et ſi ſæpe tanta peccantis humoris copia in venas effundatur, & quamquam ſufficienter euicta, perpetuò tamen, toto ſcilicet morbi decurſu, vrina coinquinata effluat; at contra plerunque coloris, ſubſtantiæ, ſedimentique omnino ſalubris obſeruetur, ex quo nimirum peccantis humoris nihil, ſed vaporis praui duntaxat plurimum è primæ regionis foco erumpit in venas; veluti inſuper aliquando, per acceſſiones, tenuis, crudaque nimis eadē vrina apparet; quod fit, quia tunc vigente pugna, quaſi per vim, & intempeſtiuè, ea expreſſa, foras expellatur; hæc autem tam varia vrinæ mutatio per febrim continuam minime contingit, quando tunc humor, qui peccat, in regione venoſa congeſtus, eodē ſemper modo ſe ſe ſero communicet, vnde pro ratione vniuerſalium temporum febris, vrina ſolummodo varia eſt; niſi adhuc forte continua intermittēti ſit implicita, ab ea vè ſaltem aliàs primordia ſumpſerit; quia tunc febris, per humoris excandeſcentis interualla, è prima regione fomitem habens, ob nouum ſemper, maiuſque ſanguinis & ſeri inquinamentum, vrinam facilè aliam, atque aliam profert; Atque via hac, nēpe ex effectis, ſatis conſtat, quæ peccantis humoris, in febribus, tam cōtinuis, quam intermittentibus, ſedes, ſeu focus exiſtat; Quod ſi adhuc aliam deſideres ex cauſis, parum profectò Iam adeptæ cognitioni addes, quando ex his non niſi admodum confuſa de ſede eadem coniectura habeatur; Et ſi cur in regione venoſa potius, quam in ipſa regione prima, congeſtus humor putreſcat, & febrim faciat, hac via ſatis conijcitur; nēpè cauſis procatarticis, cruditatibus procreādis accommodatis iam præcedentibus, vel ventriculus, vel hepar cruditatē procreat, ſiquidem aut per primam coctionē, aut per ſecundam (licet & aliquandò per tertiam) cruditatum congeries celebratur, eaque pro aſſumpti potiſſimum paſtus ſymboleitate, vel pituitoſa, vel bilioſa, vel melancholica; Quamobrem cū hepar venis potius conſentiat, quam regioni primæ, ventriculus autem contra, vt manifeſtum eſt, fit vtique, vt habita ratione cauſarum procatarticarum, ſi hepar affectus perfectè non coxerit, meritò venoſam regionem, crudis, prauiſque abundare humoribus fateamur; at verò ſi ventriculus, regionem primam, & cruditatum, & malorum humorum ſentinā eſſe æſtimemus; Sed quibus ex ſignis, tum ventriculi, tum hepatis conditio pateat, ex alibi in methodo commemoratis aperte conſtat. Cæterū vel quia errorem in ventriculo iam commiſſum non corrigat hepar, vel quia demum hepar onus ſæpe ſuum in primam regionem, veluti in communem totius cloacam deponat, hinc euenit vt ex cauſis habita de peccantis humoris ſede notitia, valde confuſa ſit, & ambigua, profutura attamen talis qualis non parum, ſi alteri ex effectis iam conſequutæ vltro ſuperuenerit.

AN FEBRIS CONSISTENS, qua æger afficitur, habitualis cenſenda ſit, & qua ratione talis exiſtat, demonſtratur.

CAPVT DECIMVM.

SANE verò hucuſque febrium conſiſtentium, quæ ſcilicet ex putredine conſeruantur, notitiam ſatis proſequuti ſumus, reſtat vt alterius earundē ſpeciei, itidem conſiſtentis, quæ attamen ex ſe ipſa conſeruatur, ſtat, & perſeuerat, nunc cognoſcendi modum, & viam, iuxta propoſitum, aperiamus: Porrò hæc medicis hectica, habitualis vè iure nuncupata, quamuis dum iampridem impreſſa, ſeu fixa, & confirmara eſt, facilè dignoſcatur, dum nihilominus eadē exorditur, difficilè in ægro quouis percipi poteſt; difficilius autem multo agnoſcitur, ſi febri alicui, & præſertim putridæ (quod frequenter euenit) interea annectatur, tunc quippe illa ſub euidentioris alterius imagnine latens ſe ſe euidentē minimè exhibeat; Etenim illi iā ordienti, quamuis primum ſenſus, illoſque ſanos, ac integros omnes præbea [illegible]us, ad notitiam attamen eius tunc adipiſcendam, illi neutiquā ſufficientes ſunt, quandoquidem ſenſus feruorē febris duntaxat, modūque, motum, & durationem eius animaduertat, exquibus potiſſimum febris cuiusque determinatæ præſentia illi eſt conſpicua, atqui per hecticæ febris huiuſmodi initia, lenia adeo omnia ſunt, quod tunc illa ex ſe cum leuioribus febribus alijs, præſertim continuis, bellè co[illegible]eniat; Et inſuper ſi putridæ febri immiſceatur, quia ex modo, mot[illegible]ationeque illius euidenter obſcurata, ideoque magis omniquaque latens ſit, meritò ſenſus tūc de veritate febris huiuſce iam fortè præſentis nuſquam tuto, & ſufficienter animaduertit; Idque cum ita ſe habeat, & ſi vlterius mentis intuitu recto, ex effectis, ac cauſis proprijs eam perueſtigare operæ pretium eſſet, quod illius tamen effectus tunc pridē etiam obſcuri, nec dum patentes exiſtant. à cauſis ideo efficientibus proprijs antegreſſis meritiſſimè ordiendum videretur; Sed quod adhuc hæ, ne tunc proprium iā ſortitæ fuerinr effectum, difficilè eſt intelligere, propterea vtique per hecticæ ordientis initia vanum eſt de illius præſentia aliquid aſſeueranter profiteri; Suſpitionem quidē, eamque vehementem, earundē mer cauſarū potentia, & impetus, prudenti forſam medico præbet, præſertim cum ea ſatis, ſuperque tanta, ex validis coniecturis appareat, quanta febrim hecticam, in habitum huius, illius vè ægrotantis induxiſſe potuerit aliquando; Sed hæ cauſæ multæ eſſe poſſunt, quod multa ſint ea, vnde calor præternaturalis in ægrum imprimi altè valeat; Si ipſe præſertim æger, habitu tenui, eoque calido, ac ſicco præditus, per indeque impreſſioni huic aprimè promptus extiterit; Sanè autem cauſas haſce aliàs diximus eſſe, valenter, ac vehementer calefacientes, exſiccanteſque, vehementis putridæ febris exemplo, cuius ſæpè ſummo feruoris incendio, ita calor partes ſolidas inuadir, easque depopulatur, vt etiam ſi dein ſummus ipſe feruor, extincta putredine, ceſſet, calor tamen feruidus iam pridem in habitum aptum impreſſus viget adhuc, & perſeuerat, habituatus, & hecticus;

hecticus; Alias verò cauſas diximus, quæ ſenſim, ſed longo tractu, per ſe, vel per accidensr præternaturam calefacientes exſiccantesque, ſua ſaltem diuturnitate, æquiualent validitati, vehementiæque, atque calorē ſolutu difficilem in habitu præſertim ad hecticam apto, etiam ingerunt, euidenti exemplo febris, quæ ex obſtructione rebelli, vnde inflammatio fiat, vel item ex abſceſſu, quem itidem ſequatur inflammatio, in viſceribus internis effecto, habet originem, quæ porrò diutius perſiſtens, ſubindeque cor, & vniuerſum longius obſidens, illique ſummam ſiccitatem ingerens, etiam ſi lento calore agat, hecticam attamen febrim inferre ſæpe ſolet, quoniam inquam tandē calorem in cor, & ſucceſſiuè in partes totius ſolidas ita impreſſerit, vt ad habitum vſque ille aptè perduci potuerit; Atque iam ſanè præcedentis hiſce, ſicque ſe habentibus, febrim adeſſe habitualē ſuſpicandum eſt; Cæterum quod nihilominus tum recipientis habitus conditio, tum cauſarum calorem imprimentium ſufficiētia, ad rei veritatē decernēdam, non facilè ſemper per hecticæ febris initia comprehendatur, ita vt ſufficientem pariat ſuſpicionē, hinc profectò appoſitè factum, vt non niſi poſt aliquem mali progreſſum diligenter obſeruatum, ipſi iampridem impreſſi caloris effectus accuratè expendantur, & quidem illi imprimis, qui proprij, quique iam per eundē morbi progreſſum euidentes extiterint, reliquis interea non neglectis, ita quoniam res adhuc fortaſſe latens, & vel ſolum ex iam expenſis antegreſſis cauſis ſuſpecta, dein maximè conſpicua futura videatur; Sunt caloris præternaturalis in habitu impreſſi effectus varij, præcæteris verò vnus eſt, omnium tam vitalium, quam naturalium, & animalium quoque operum in ægro aperta diminutio, cum langore, eoque perpetuo maiori, ac manifeſto, penèque irreparabili, magna licet per medicum, aſtantes, & ægrū diligentia adhibeatur; Pulſus enim, & reſpiratio, vitalis facultatis effectus, ob neceſſitatem quidem crebrior, quam ſano conueniat, attamen ob vnam [illegible]illitatem, diminuta, & parua eſt; Aſſumpti præterea paſtus con[illegible] indeque ſubſequens partium ſolidarum nutritio, adeo diminuta eſt, quod nihil certè magis; namque progreſſu morbi, corporis moles ita emaciatur, abſumiturque, vt propriam etiam formam amittat, & facies præſertim, ex qua vniuerſi ipſius conſtitutio, veluti per ſpeculū, elucet, illi à naturali prorſus aliena, ac tandem exſiccata, contracta, & penè cadauèroſa contingit; Accedit poſtmodum quod ſæpe etiam corpus relaxatur ita, vt vel inſenſibiliter diſſoluatur, vel ſenſibiliter per ſudores, per ſeceſſum, aliàs vè, abſumatur; Ad hæc animales functiones euidenter adeo minuuntur omnes, & inprimis motus, ſecundum quem vix æger ſtet, & meritiſſimè languens appelletur; Sed quoniam hiſce patentibus, neceſſario habituata febris hæc, ſenſui etiam, præſertim tactus, conſpicua iam eſſe debet, ad certiorē ideo notitiam eius adipiſcendam, ille quoque merito adhibendus eſt, quo ſcilicet omniquaque tractato ægri corpore, febris clarius percipiatur; Etenim ægri corpus ſecundum cutem tunc non molle, neque rugoſum, vt ijs, qui alijs ex cauſis extenuantur, exiſtit, ſed mauis aſperum, & ſqualidum, quaſi arbor vetuſtate, ſenioque areſcens, apparet; Inſuper tangenti, & ſi febrilis calor primū mitis, & lenis videatur, mox attamen acer, & mordax illi videtur, non quia tamen ab ægro talis ſentiatur, namque cum abſque excandeſcentia ſemper æqualis ſit, vt nec per circuitus augeri, vigere, & remitti vnquā per ſe ſoleat, atque in omnibus partibus ex æquo iā adeo ſimilis ſit, quod altercatio nulla diſſimilium adeſſe poſſit, meritò abſque dolore, aut quo-

Digitized by Google

uis ſenſu triſti alio, ipſa febris vrget perpetuò, laborans & ſi vix febricitare ſe putet; Et licet poſt aſſumptum paſtum, dum nempè ille generoſius conficitur, euidens moleſtia adſit, quoniam videlicet calor quadantenus exacuatur, nihilominus id, non per ſe, cauſa febris, ſed ex accidenti, & ab extrinſeco factum cenſendum eſt, quia tunc neceſſario natura languēs afficiatur, quia dum agit inſimul quoque patiatur, quare paſtu eodē confecto, ſedata quaſi cauſa, calor in priſtinam æqualitatem reddit, quod & alijs, in febribus obſeruamus, in quibus præſertim ventriculus, hepar, interna vè pars alia coctioni paſtus inſeruiens humoris cuiuſpiam præſentia afficitur, quia porrò illi dum nouus occurrit paſtus, vt quia labor creſcit, ita calor quadantenus exacerbatur; Et ſi plerūque contra eueniat, quod tunc nouus paſtus oblatus, ſua præſentia, quaſi feruorem reprimat, refſectis nempè partibus ipſis tunc pridem innanitione afflictis; Hectica ergo febris hæc dum nulli complicata morbo, ſed ſimplex, & ſola extiterit, hac methodo eſt recognoſcenda; Dum autem morbo alicui fuerit coniuncta, per quem ipſa minimè ſit conſpicua, ſed lateat adhuc, alienis adumbrata notis, & nullis proprijs præcedentibus, vel præſentibus inditijs fuerit obſeruata; Tunc quidem ne re vera adſit, accuratius inueſtigandum, idque facilè ſatis conceſſum videtur, præcognito inprimis morbo cui annexam ipſam eſſe ſuſpicio eſt, idque ex proprijs demonſtrantibus ſignis, hoc eſt effectis, & cauſis eius, quando inquam ſenſus non ſufficiat; Ad hæc verò ſecundo, ne morbus ille (multiplex enim ipſe eſſe poteſt) ſuis iam pridē notis apertus, ac manifeſtus, hecticę febris cauſa eſſe potuerit, perquirendum eſt, quod vtique ex præternaturali afficiēdi modo eius, per quem nempè febrilem feruorem inferre valuerit, euidenter colligemus, & ex eo inſimul, vtrum hecticus, ſeu habitualis ille eſſe potuerit, ſufficienter fiet conſpicuum; Verum afficiendi modus hic ex vna potiſſimum morbi ſpecie patet, per eam quandoquidem agnitam, vis eiuſdem propria, ſeu poteſtas, ne feruorem ipſum per ſe, atque directè, vel per accidens, & indirectè impertiri ægro aliquando potuerit apertè conſtet; At ſi interea etiam magnitudo poteſtatis eiuſdem preſſius tum intenſiuè, quo ad gradum, tum extenſiuè, quo ad durationem, expendatur, quanta impreſſio pro tempore, in corpus magis, vel minus ad recipiendum aptum, fieri potuerit, conijcietur, ſubindeque quanti morbus ipſe ad hecticam inducendam ſuis viribus valens fuerit, euidentiſſimè colligetur; Sequentur enim prætereà effectus hecticæ febris vel ipſis ſenſibus conſpicui, per quos de præſentia eius vlterius non dubitabitur.

DE

DE EO, QVOD præſagiendum in febribus.

PARS SECVNDA:

EXITVM FEBRIS SALVBREM, AVT Letalem futurum, eumque poſt breue, aut longũ ſolũ tempus euenturum præſagire, atqui comparatis naturæ, & artis viribus, cum febris, ſimptomatumque ſæuitie, præſagiendum eum eſſe, demonſtratur.

CAPVT PRIMVM.

ET de febrium natura, cognitioneque hactenus dictum, iam præſagiendi ratio tantopere ante eorũdem curationem vtilis aperienda eſt; Porrò in quauis febri, vel euentum, vel tempus ipſius euẽtus præſagire eſt neceſſarium; Euentus autẽ febris duplex tantummodo eſſe ſolet, ſalus videlicet, & interitus, neuter ſiquidem ſtatus in ea, qui in aliquibus fortaſsè morbis obſeruatur, minimè permittitur, neceſſe quandoquidem ſit, febricitantem vel interire, vel tandem perfectè ſanari, cum vnà cum febri ipſe nequeat ad ſenectutem naturalem peruenire; Tempus præterea, quo expectandus eſt euentus, aut longum, aut breue, aut mediocre eſſe poteſt, quippe vt longè, latèque patet breuitas, ſic etiam ipſa longitudo, vnde fit vt mediocritas etiam aliquando præſto

 ſit;

ſit ; Hæc autem quæ merito in febri quauis præuidenda ſunt, quoniam futura, ſenſum ideo omnino latent, cum ſenſus tantum præſentia percipiat, quamobrem mente vlterius ea conijcere eſt operæpretium, at non argumento ex effectis illato, cum effectus nondum adſint, igitur argumẽto ex cauſis ipſis deducto ; Cauſæ namque rerum, & ſi futurarum, præſentes ſunt, & iam opus aggreſſæ cũ fuerint, palam præſeferunt quam habeant vim, per quam vnum potius, quam alterum ex expectatis efficiant: Sunt cauſæ futuri euentus duæ potiſſimum, natura videlicet, & morbus, hoc eſt febris, quæ ſanè inter ſe pugnantes ſunt, attamen naturæ adhuc ipſum artis auxilium ſuperaddendum eſt, cum ad morbum, cauſa, annexumque ſimptoma, ſi quod fuerit, referatur ; Namque febris vnà cum cauſis, adiunctiſque ſimptomatibus, vitæ ſemper inſidiatur; at contra, natura artis ope adiuta, inſidijs hiſce reſiſtit, & ægrotantis conſeruationi pro poſſe incumbit, quare ex graui vtrinque excitato bello, tandẽ æger ad ſanitatem, vel mortem, de neceſſitate perducitur ; Si namque febris, aut ex ſe, aut ob proprias cauſas, aut ob ſimptoma iunctum, ſua ſæuitie, ita ſupra naturam valeat, vt deinceps etiam conſtanter valitura cenſeatur, (conſtantia, etenim ſæuitiei febris obſeruanda ſemper eſt, ne porrò æque per eam naturæ vires ſemper afficiantur) vtique tunc ea ſufficiens, & vera mortis de neceſſitate futuræ cauſa æſtimanda erit ; At verò contra, ſi natura per ſe, vel adhuc artis præſidio obuallata, adeo potens ſit, quod & deinceps quoque talis futura, nec temporis progeſſu defectura æſtimetur, vt inquam aduerſis quibuſque conſtanter reſiſtat, profectò ea ſemper euidens ſalutis neceſſario futuræ cauſa erit cenſenda ; Veluti ſi horum neutrum vincat, ſed pariter potius vtrunque valeat, perſeuerantia febris expectari conſueuit, vſque quo alter ex his alteri ſuccumbat ; Singulorum ergo horum inuicem decertantium robur, atque potentia, tum præſens, tum futura, ex proprijs ſignorum fontibus inueſtiganda (hæc ſigna & bona & mala, & mediocria eſſe poſſunt, eaque ſemper dignitate, numero, ac magnitudine, iuxta doctrinam in methodo traditam, colligenda, & æſtimanda) vt penes quem demum, naturam videlicet, aut morbum, hoc eſt febrim, expectatura ſit victoria, medico prudenti fiat conſpicua ; Cæterum ſiue ſalubris, ſiue letalis exitus ægro febricitanti ſit futurus, iam ne poſt longum, aut breue temporis ſpatium, ille expectandus ſit, ex eiſdem cauſis, nempè natura, & febri, comitantibuſque cæteris, & inuicẽ luctantibus, ſatis commodè concipitur, dum tamen cum magnitudine in eis conſpecta, etiam vehementia ſeu agendi, patiendi vè ſolicitudo, & conſtantia, vtrinque in ipſis expendatur, an ne ſcilicet maior, minor vè fuerit ; Quando quidem febris, quæ quia longè naturæ vires ſuperans, tandem ægro mortem eſt allatura, ſi vehementius quam par ſit, naturam afflictam ſolicitet, proculdubio ægrum breui interimet ; at ſi lentè duntaxat id ipſa tentauerit, non niſi vtique poſt longum tempus, finẽ propriũ aſſequetur. Contrà verò, ſi natura ſupra febrim valida, ideoque ægrum priſtinæ integritati reddituга, potenter, vehementerque febrim aggrediatur, proſequaturque, vt tunc quanto citius ægri ſalus expectanda, tãto ita tardius, ſi lentè, & ſegniter, ſuo poſſe inſequatur, ſperanda erit ; Niſi tamen eius omnino generis febris fuerit, quod præterfluentium nuncupatur, quod inquam qualecunque fuerit, vel leui naturæ reſiſtentis impulſu facilè euaneſcit ; Et hac æquidem via febrientis exitus per medicum appoſitè indagatur ; Atqui cum ille, mente, ex cauſis proprijs, naturæ videlicet poteſtate, & febris ſæuitie, inuicem luctantibus, elicitur,

tur, vt diximus, vtique de hac ipſa naturæ poteſtate tractandum prius, perquirendumque vnde illa potens, vel languens potius infebrienti æſtimetur, poſterius enim de morbi, ſeu febris ſæuitiæ, aut vi, commodum erit ſermonem habere; Eſt autem natura, ea ipſa anima, quæ (vt alibi clarius) & nobis eſſe, & operari impertitur, quæ tamen quia corpore inter operandum egeat, tanquam inſtrumento, ſine quo minimè operaretur, ea idcirco quamuis in hominibus omnibus ſimilis, ob vnam nihilominus meliorem, deteriorem vè eiuſdem corporis, ſeu inſtrumenti, cōſtitutionem, tum meliora tum perfectiora ſemper in nobis opera promit, Quare validitatis, ac imbecillitatis naturæ operantis radix, & origo, conſtitutio eadem eſt, (vt latè in methodo explicauimus) At conſtitutionem hanc, nos partium corporis tam ſimiliarum, quam diſſimilarium ſymmetriam eſſe, iam ſuppoſuimus, & ſi illam ſimilarium primas obtinere partes certum ſit, ad hanc quippè diſſimilarium alia referatur, quod ex ea vt plurimum hæc ducat originem; Partium diſſimilarium conſtitutio, in figura, magnitudine, numero, & ſitu collocatur; at Partium ſimilarium conſtitutio, in qualitatum tum primarum, hoc eſt calidi, frigidi, humidi, ac ſicci, tum ſecundarum, puta raritatis, denſitatis, mollitiei, duritiei, & reliquarum, proportione conſiſtit; Itaque cum melior, deterior vè, corporis noſtri totius conſtitutio quæque, meliorum, deteriorumque naturæ operum radix ſit, & præcipua cauſa, rationabile eſt, vt ex conſtitutione eadem robur deſideratum naturæ diiudicetur; Non cadit ſub ſenſum ea, quæ febrienti indita conſtitutio eſt, quoniam nec partium ſimilarium corporis temperies, nec item diſſimilarium conſtitutio per ſenſum commodè percipitur; Et ſi enim per febrim exceſſus caloris, ac ſiccitatis extrinſecus offerat ſe ſenſibus, ac interdum quoque ſenſus, ex tumore, duritie, & pondere, aliàs vè, congeriē ſuccorum obſtruentem, aut aliud, quod perperam corporis fabricam deprauet, facilè ſentiat, adeo quod iam multifariam deprauari, affici vè ipſam febrientis conſtitutionem, tum ſimilarem, tum diſſimilarem, ſatis ſuperque ſenſibile videatur, nunquam tamen inde, quantus præciſe receſſus illius à naturali ſtatu cenſendus fuerit, ex quò porrò liceat, de naturæ corpus gubernantis robore certum quid, ac manifeſtum aſſequi, per ſenſus etiam integros, colligere eſt conceſſum; Ea ipſa ergo conſtitutio, tum quæ febrienti ſecundum naturam inſit, tum quo interfebriendum ſtatu iam illa conſiſtat, mente duntaxat, ex cauſis, atque effectis eius, iuxta doctrinam alibi traditam, expendenda eſt; Triplicem autem cauſam eſſe (vt à cauſis ordiamur) dictum eſt, vnde ſcilicet homo propriam, ſibique inditam, tam ſimilarem, quam diſſimilarem conſtitutionem, robori, aut langori fauentem, aſſequitur, videlicet, Parentes, Patriam, & educationem, eam temen pro æſtate, & conſueto; Nam æger ex ſanis, robuſtiſque parenribus genitus, vt penè ſemper ſymmetra, eaque ſana, tam ſimilari, quam diſſimilari, partium, atque totius conſtitutione donatur; ita penè ſemper etiam inde robuſtam naturam habet, eamque ad ſua obeunda munia valdè potentem; non ita ſi aliàs procreatus ille viuat, cum in eo tunc morbi hæreditarij, vt puta ex parentum imbecillo ſemine nati, vt plurimum, obſeruentur, vnde vt in illis, exempli gratia, propēſio erat ad febrim, ita in nato eadem facilè reperitur, vnà item cum ad reſiſtendum illi virium euidenti imbecillitate; Inſuper qui patria naſcitur ſalubri, eaque minus feruori præternaturali in habitantes excitando accommodata, hic proculdubio corporis habitu ſolido, firmoque prædıtus,

vt minus

vt minus febri, & morbis quibuſque alijs obnoxius eſt, ita robur virium validius, ac omniquaque firmius ſemper habet, niſi forſam aliud impedimento fuerit, & præſertim educatio ipſa, quæ per ætatem conſueta ſit; Educationem autē genus vitæ conſuetum diximus, quod æger ipſe longo iampridem temporis tractu, ſecundum ætatem, obſeruarit; Quod ſanè vel in certo, eoque diuturno externorum ambientium vſu; vel in eorum quæ intrinſecus aſſumuntur, longeua familiaritate: vel demum in his, quæ per nos in nobis met neceſſaria fiunt exercitatione, conſiſtit; tribus ſiquidem hiſce, quæ interuiuendum requiruntur, educationem ipſam re vera comprehendi certum videatur; Et ſi interea vbique ætatis gradus ſit attendendus, quod illius potiſſimum occaſione, omnia tum meliora, tum deteriora contingant; Quamobrem ſi æger eam inprimis terræ partem longius habitauerit, quam ideo ſalubrem dixeris, quod inibi ambiens tenuis, purus, & ab omni prauitate, vnde perperam immutetur, immunis exiſtat, quippè nec ex ſitu, aut ſolo, malis vaporibus ſcateat, nec minus demum quomodolibet ſupramodum intemperatus, & ad calidum præſertim, ſit, vt perinde corpus ad putridos, eosque calidos præternaturales affectus, pronum reddat; inſuper vè ſpiritus, ac innatū illi calidum iugulet, vel diſſipet, ſed mauis ſemper ferè æqualis, pro anni ſaltem tempeſtate ſit; profectò æger ibi, quia parum immutatur, ab integroque ſtatu ſuo difficilè auertatur, in eodem quin potius perpetuo conſeruetur, & confirmetur, ideo viribus donatur, pro indita conſtitutione, & ætate, robuſtis, ac naturam verè potentē habet; non itē ſi aliàs ibidem aer ſe habuerit; Et ſi corporibus intemperatis, optimus is ſemper aer videatur, roborique eorum aprimè faueat, in quo contrariæ qualitates æqua proportione exuberantes extiterint; Atqui ex his, quæ quotidiè neceſſario aſſumuntur, cibus eſt, potusque, qui ſanè dum temperanter; tum nempe debitis qualitatibus præditus; tum quantitate proportionata donatus; tum demum idonea opportunitate, adminiſtretur, vt palam vires fouet, reficit, adaugetque, nec interea calorem intemperantē, vel ſuccos inutiles, ad febres, aliosque calidos morbos excitandos, fouēdos vè, accommodatos inducit; ita ſi intemperanter, ac perperam ſe habuerit, velimus nolimus, vires eaſdem infringit, & omniquaque febri, ac morbis quibuſque occaſionem dat; Id & ſi aliquibus magis, & aliquibus minus eueniat, iuxta præuiam per ſanitatem illis conſtitutionem inditam, & item cibi, atque potus iamdiu conſueti, condionem vtiliter ac ſalubriter continuatam, quæ vtique non omnē, ſed certam, tum qualitatem primam, vel ſecundam, tum quantitatē paruam, multam, aut mediocrē, tum demum opportunitatem feſtinam, aut lentam ſupponit, ſecundum quam naturali conſtitutione ipſi congruens ſit, nec eam vſquā directè vel indirectè excedat; Sequuntur ea, quæ per nos, in nobis met neceſſaria fiunt exercitatione, veluti ſunt motus, quieſque tam corporis, quam animi, quibus accedunt ſomnus, atque vigilia; quando quidem ex his, vt quisquis homo viuens, valdè ſui conſtitutionem affici, immutarique, & ad morbos, præſertimque febrim, paratam reddi animaduertit, ita proculdubio etiam indè viribus donari debilibus, velit, nolit, cō-fitetur; Etenim ex corporis, animique motu, quiete, ſomno, & vigilia, ſecundum rationem, hoc eſt debito ſuæ conditioni, & ætati modo, conſuetis, quia ſemper indita humani corporis conſtitutio confirmatur, ac ſtat, vt eis perperam celebratis, illa euidenter deprauatur, & in morbos, tum frigidos, tum calidos prona ſit; Ideo ſubſequenter vires, quæ

conſtitu-

conſtitutionem inſequuntur, inde, ſeruatis, excitatis vè, vel cõſumptis, aut oppreſſis ſpiritibus, quibus inprimis indita nobis omnia vigent, firmiores, vel infirmiores euadunt; Verum dum ex educatione, vt diximus, de virium robore, in febri, iuditium fit, ſemper etiam febrientis ætas recognoſcendà eſt, quando per eam ſemper occaſionum impetus varius ſit, multifariamque in ægrum recipiatur, & conſequenter magis, atque minus conſtitutio illius immutetur; Nam per adoleſcentiam, ad virilitatem vſque, inſitus nobis calor vegetior eſt, & calidius temperamentum ineſt, vnde etiam æger, pro indita coſtitutione, magis tunc febri accommodatur, attamen quod interea illi facultatum naturalium omnium opera perfectiora inſint, iure ad virilitatem vſque, quilibet ferè aduerſus morbos quoſuis potens æſtimandus eſt; Contra enim à virilitate, ad vltimum vſque ſenium, manca omnia ſint, vtique interea, licet febris difficilè contingat, tunc nihilominus, ſi fortè contingat, deficientibus etiam viribus, illa difficile ſuperatur, vt adhuc frequẽter tunc aduentantes morbi alij, magna penè omnes difficultate vincuntur; Sed quod hæc roboris virium notitia, per cauſas habita, ſit confuſa nimis, & medico propoſito inſufficiens, cauſæ quippè hæ conſtitutionis integritatem, vel deprauationem, per febrim, adeſſe, vniuerſim duntaxat valdè, valdèque confusè doceant; Ideo eadem meritò vlterius ex effectis euidentior procuranda; In homine autem quouis, naturæ effectus, & opera, alia perfectiua ſunt, & conſeruatiua alia; Omnis etenim cognitio, quæ tam per ſenſum, quam per intellectum fit; Inſuper omnis localis motio, & generationis opus omne, ad perfectiuarum genus ſpectat, vt alibi dictum; Ad conſeruatiuarum verò, vna primum caloris ventilatio, tam pectoris, & pulmonum vi, quam arteriarum, vbique ſiſtole, diaſtoleque facta, pertinet; Veluti quoque habitus vniuerſi præſeruatio, quæ nutritione fit, & ipſa item morbi curatio, quæ alteratione, vel adhuc multiplici præuia attractione, retentione, concoctioneque, vna euidenti expurgatione celebratur, vt certum eſt; Quam ob rem nos in febrienti, de corporis conſtitutione, ad robur virium conſequendum, ex effectis, iuditium ferre deſiderantes, inprimis operum eorum effectus, qui conſtitutioni ipſi ſeruandæ, reſtituendæque præ cæteris fauent, præmeditandi, & quo magis, minus vè illi, tum excellentia, ac magnitudine, tum numero, ijs qui per ſanitatem conſeruationis ergo fieri conſueuerant, ſimiles fuerint, vel diſſimiles, eo robur virium maius, aut minus ineſſe ægro ſemper æſtimabimus, quia conſtitutio innata melior tunc conſeruata videatur; Et præterea quanto magis per febrim, opera eadem, pellendo morbo, febri nempe, accommodata, ſuis effectis foras prodierint, tanto etiam vires robſtuſtæ cenſendæ, quia conſtitutio ipſa priſtinæ integritati facilè redditura tunc cenſeatur; contra ſi aliàs illa habuerint ſe ſe; Inter hæc autem opera primum locum tenent conſeruantia ea, quæ vni inditi caloris ventilationi incumbunt; Dein alia collocantur, quæ nutritioni totius, & curationi eiuſdem, attrahendo, retinendo, concoquendo, ac expellendo, vacant; Hiſce ſuccedunt perfectiua, vt potè quæ minus ad vitam neceſſaria ſint; Sed labefactationis gradum, ipſe modus ſufficienter indicat, quando vel deprauatè, vel diminutè, vel auctè nimis, vel demum ablatè opera labefactari contingant. atque deterior ſemper effectus ſit ablatus, poſtmodum diminutus, & tertio auctus: de deprauato quid cenſendum, latius ex methodo patet; Itaque hæc qualiacunque opera, ex ſenſatis effectis tantummodo conſpicua quot primum, & qualia afficiantur, ex ipſis effe-

ſis effectis perquirentur; dein enim ne multum, parum, aut nihil, illa à ſano receſſerint, vt quidem in morbis reliquis, ita in febri ſemper æſtimabuntur; Atque ita ab opere conſeruanti, quo præſertim inſitus calor per aerem inſpiratum, & reſpiratum, ventilatione tuetur; vt à præſtantiori, exordiendum, illudque vel ex vno perenni ventilationis eiuſdem motu ſenſibus manifeſtò diligenter expendendum; Supponendum autem in febribus, ob calorem exuberantem, cordi, ac arterijs iam pridem communicatum, ſemper maiorē, ſi vel aliàs, cordis, & arteriarum ventilationem deſiderari, proptereaque qui ad aſſequendam illam, naturæ induſtria, inditi ſunt motus, inſpirationis videlicet, reſpirationiſque, eos validiores ſemper, ac ſummoperè vegetiores tunc eſſe oportere; non in omnibus tamen, & vbique febribus, neceſſitate pari, poſteaquam licet in quaque ea ſemper, cor, per arterias, ob extraneum calorem impræſſum, ventilationem aueat ſufficientem, maiorem nempe, euidentioremque neceſſariò, quà immo deficiente, & nequaquam febrili calori præſenti, æquo dilatationis, & compræſſionis motu, reſpondente, tum calorem innatum, tum ſubinde vires iam deficere certum eſt, Thorax nihilominus, cum pulmonibus, vt plurimum, tunc inſpirationi, reſpirationique aeris, ventilationis eiuſdem ergo, celebrandæ, ſuo ſaltem motu, per ſanitatem, conſueto, ſufficienter inſeruit, niſi aliquando forſam feruore magno, vehementique exiſtente, cor ideo, cum ſpiritibus, valde nimis afflictum, reſpirationem, inſpirationemque aeris extra omnem modum ſolicitam, magnam puta, atque vehementem exoptet, quia tunc etiam pectoris vniuerſi commotio de neceſſitate maxima obſeruatur; Quare ſic ſe habentibus hiſce, meritò acceſſitus medicus, vt ex ventilationis motu inditum calidum ſeruanti, de virium robore iuditium proferat, à Thoracis, & pulmonum motu, meditationem exorſus, in eis ſi magnum duntaxat nimis, nimiſque violentum dilatationis, & compræſſionis motum animaduerterit, quia ſummam inde ventilationis cordis, & arteriarum neceſſitatem intelliget, ideo certè calorem innatum, & vires ex eo in magnis etiam verſari anguſtijs confitebitur, & ſanè magis, aut minus, pro maiori, aut minori motus eiuſdem celeritate, magnitudine, atque vehementia; Cæterum quod exceſſui motus huic accedat deprauatio, ſeu motus eiuſdem inordinatio, ſecundum quam Thorax, pulmoneſque, modo citius, modo tardius, aliàs valenter, & aliàs depreſsè, ſeu leniter, ſe mouent, vt quaſi palpitare videantur, iurè quandocunque id extrinſecus pateat, nulli dubium quin calidum idem, cum viribus ipſis, propè ſui extinctionem ſtet, niſi fortè illud cum eis tunc duntaxat oppreſſum, dein facilè onere ſublato reſurgat, quod ex reſolutione minimè expectandum; Ad hæc verò ſi ſubſequenter medicus, ex cordis, & arteriarum motu, ſiſtole videlicet, & diaſtole, de virium robore iuditium ſit facturus, profectò licet differentias, quæ illi ſecundum exceſſum à ſano, inter febriendū aduenjunt, obſeruare cogatur, adhuc nihilominus alias etiam, quæ ſecūdum defectum, hoc eſt neceſſitati febrili minimè reſpondentes contingunt, expendere omnino tenetur, poſteaquam omnes penè illæ in febribus, vt plurimum, præſto adeſſe ſoleant, arguantque ſingulæ laborem; & ſi minus quæ per exceſſum, magis autem quæ per defectum ad ſunt; Prioris autem conditionis differentiæ, ad frequentiam, magnitudinem; & vehementiam reducuntur, atque ex his eodem quoque ordine, de quo in methodo latius dictum, medicus iudicabit, quia ſi pulſus in febri frequentior fuerit, ille iam primo gradu recedet à ſano, ſecundo verò gra-

du, ſi

du, ſi maior, & vltimo ſi vehementior videatur; atque ita etiam ſecundū
hos gradus, per id temporis, de virium roboris receſſu iuditium erit; Al-
terius conditionis differentiæ, ſecundum quas minimè ventilatio calori
febrili reſpondet, & ſi ad eandem frequentiam, magnitudinē, vehemen-
tiamque reducantur, hæ nihilominus cum ordine prorſus aduerſo ſtent,
meritò eodem, quoqe æſtimandæ ſunt; Etenim vt primum vehementia
deeſt, adeſtque potius lentor; Secundo deficit magnitudo, & præſto vi-
detur paruitas; Vltimo ceſſat frequentia, & quædam adeſt tarditas, ſiue
ſegnities; Ita profectò, ac ſimili etiam ordine, ex his tunc de virium ro-
bore iudicandum, quod ſcilicet primum deficiat, ſi iam nulla ſit vehemē-
tia, quam alias per feruoris impetum vigere conuenientiſſimum eſſet;
Secundo ſi quæ, præſenti adhuc febre, magnitudo congrua foret, ea pa-
lam ceſſet, ſit vè tunc etiam minor, quam per ſanitatem fuerit conſueta;
Et vltimo ſi calori, quo adhuc æger afficitur, frequentia longè adeo im-
par adſit, & nuſquam etiam paruo caloris exceſſui commodè illa reſpon-
deat; Hiſce & ſi omnibus differentijs vna adhuc accedat deprauatio, ſe-
cundum quam pulſus inæqualis, inordinatus, & varius offert ſe ſe, vt mo-
do tardus, modo frequens, modo magnus, modo paruus, & demum ve-
hemens modo, ac paulo poſt languens appareat; hic enim proculdubio
pulſus (niſi vel per ſanitatem conſuetus, vel ætatis occaſione contingat)
ſemper maiorem indicat virium imbecillitatem, vt non rarò in morienti-
bus obſeruamus; Sed quod hæ qualeſcunque motus Thoracis, pulmo-
numque, & cordis, ac arteriarum differentiæ, tam ab exceſſu ſupra natu-
ræ ægri conſuetum, quam defectu, infra fermentis caloris vrgentiam,
prouenientes, per vniuerſum febris progreſſum, hoc eſt per varia ipſius
febris tempora, multiplices contingant, & variæ, ſiquidem aliæ appa-
reant in principio, aliæ in augmento, & ſtatu, ac in declinatione aliæ,
inſuper aliæ etiam adueniant, dum per eadē tempora, acceſſiones febris
(ſi illa intermiſſerit) vel exacerbationes eiuſdem (ſi forſam continua ſit)
præſto fuerint, immo & alias ob cauſas, puta ob ſimptomata, tū febrim,
tum cauſam febris inſequentia, ipſumque cor, magno vitæ diſcrimine,
immediatè, aut mediate, oriſque præſertim ventriculi, aut cerebri validè
patientis, conſenſu, afficientia; Hinc merito interiudicandum animad-
uertere maximè neceſſarium eſt, quod aliàs attendendum ſatis animad-
uertimus, nempè conſtantiam, & firmitatem in ſignis ſupponēdam ſem-
per, nec ex quibusque illis iuditium liberè proferendum, ſed ex his dun-
taxat, quæ vt plurimum talia perſeuerant, vel ſi intermittant, denuo ta-
men ita reccurrunt, vt conſtantiam præſeferant habere euidentē; Qua-
re cum per ſtatum morbi potiſſimum, vel ſaltem circa augmenti finem,
omnia magis firma, conſtantiaque videantur in ægro, per id tēporis ergo,
nec alias, ipſe inprimis motus ad ventilatiolem inſtitutus, vel Tho-
racis, & pulmonum, vel cordis, & arteriarum, attendendus,
vt inde itidem tunc de virium robore certum iuditium ha-
beatur; Neque ob id tamen interea, toto progreſſu,
obſeruatas differentias alias quaſuis contemnere
licitum eſt, poſteaquam ex illis, atque præ-
ſentibus ſimul iunctis, certius, ac
tutius ſemper de robore ip-
ſo iuditium ſit fu-
turum.

VT IAM EX CAVSIS, ET effectis aliquot, virium naturæ robur æſtimatum eſt, ita deinceps, vt magis eluceat, & operibus, vel effectis reliquis expenditur.

CAPVT SECVNDVM.

SED iam robur virium, ex operum, conſeruationi, per nutritionem, & curationem, dicatorum, effectis, perquiramus; porrò opera hæc, quæ corpori cuique febrienti, tum inſtaurationẽ, tum ſanationem perpetuò moliuntur, vt non niſi attractione, retentione, atque concoctione, demumque excretorũ inutiliũ expulſione, architectantur, ita non vnico, ſed multiplicatis, effectis ſanèque illis varijs noſtri corporis ſedibus, vt in ventriculo, ac inteſtinis, in hepate, annexisque venis, & tandem in corporis habitu toto, ac ſingulis quibuſque partibus eius, celebrantur; Quare nè hæc itidẽ opera, vbique locorum, integrè, tum ſecundum inſtaurationis exigentiam, tum ſecundum febris præſentis deſideratam curationem, appoſitè, & ſufficienter exerceantur, medico per effectus præmeditandum: Interea licet eorundem dignitas, ſiue præſtantia; item magnitudo, ac numerus recognoſcendus ſit, vt ſcilicet propius, per comparationem ad inuicẽ, iuditium de robore ipſo conficiatur; quippè ſemper præſtantiora, dignioraque opera, quanto à ſtatu ſecundum naturam, aut ab eo ſaltem, quod & febri & cauſæ eius demoliendæ, maximè congruens ſit, receſſiſſe iam conſtiterit, tanto ſemper imbecillitatem arguant maiorem, minorẽ autem, ſi aliàs ea interfebriendum ſe habere planum ſit; Idem de magnitudine intelligas, ac numero; Itaque ab operum eorum contemplatione, quæ in ventriculo, adiacentibusque inteſtinis, ac meſenterio celebrantur, ſumpto principio; præmittamus, per febrim, ea ipſa ibi ſecũdum naturam ſe habere difficilimũ eſſe, ſed iam vel ablatè, vel diminutè, vel auctè nimis, ac deprauatè labefactari conſueſſe; Veluti quidem primum ex apetitu, per quem omnium exhibendorum, & alimentorum, & medicamentorum attractio in ventriculum indicatur; hic enim ſæpius per febrim, vel ob vnum calorem præternaturalẽ, os ventriculi laxantẽ, non diminutus tantum, ſed & ablatus apparet, vt inquam ventriculus paſtum penitus recuſet, ac quoduis aliud vtile aſſumendum prorſus abhorreat; Quod certè vt valdè nimis præter naturam eſt, ita inde primum vel vt ex ſigno, vel vt ex cauſa ventriculi vires debiles eſſe, atque proſtratas coniectandum; Et ex eo præſertim, quod vna attractio reliquorum naturæ operum in ventriculo ſit principium, vnde ea iam manca, vel diminuta, neceſſe eſt cuncta ſubſequi deteriora; Verum vt apetitus, ita attractio ſupra modum aucta, quamquam raró cibi, ob æſtum tamen frequenter potus, in febri contingens eſt, attamen quandocunque, præſertim cibi, compareat, afflicti ſemper ventriculi argumentum eſt, illud autem magis, minus ve certum, pro cauſæ affligentis magis, minus vè nota potentia; Similiter ſi deprauata, ex eodem deprauato, appareat, qualis vtique per febrim, ob continuam nocentium auiditatem, & vtilium eui-

dens

dens odium, cenſeri poteſt; Etenim illa tunc, & roboris ventriculi infracti inditium quadantenus præbet, & erroribus inſuper vltro infringentibus multis manifeſtam occaſionem dat; Sed iam ventriculi retētio expendenda, ea quippè, interfebriendum, ſæpe quoque ſic labefactetur, vt debilitatem oſtendat, labefactatur enim ablatè primum ac diminutè, dum quoduis aſſumptum, ſiuè alimentum, ſiue medicamētum, nihil, aut parum in ventriculo conſiſtit, ſed per ſeceſſum, quanto citius, foras, laxatis quaſi vijs, erumpit; Quamuis etiam id aucto expellenti opere obſeruetur, dum per vomitum, atque item ſeceſſum, impetu nimio, quod aſſumptum eſt, expelli contingat; Sanè verò retentio ipſa ventriculi, annexorumque vaſorum, ſi talis appareat, ſemper robur virium labefactatū indicat; niſi fortaſsè aucta expulſio, in humorē morbum fouentem, vel ibidem perperam congeſtum, vel illuc item vaſorum aliundè affluxum, præſto ſit; quoniam ea tunc toleranter celebrata, ſemper robur virium vigere oſtendat; Sed illud vndecunque factum facilè ipſa exeuntia monſtrant, porrò ſi mali humoris irritantis occaſione, vtique quæ eijciuntur, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum accidentia, humoris peccantis naturam ſapiunt. Atqui ſi retentricis operis imbecillitate duntaxat occurrat, (quod peſſimum eſt) iam excreta parum vel nihil ab aſſumptis mutata videntur; etenim ea vt nihil, aut minimum retenta, ita nihil, aut minimum alterata videntur; Rarò autem hæc ipſa ventriculi retētio per febrim hoc modo afficitur, at frequentius vltro quam par ſit, eaminus aucta cenſetur, ex quo difficile tunc per ſeceſſum conſuetæ etiam paſtus aſſumpti feces deijciantur, & ſi adhuc per accidens id fieri certum ſit, quoniam feces tunc viſcidæ, craſſæ, impactæque fortaſsè nimis, aut etiam prænimio febris calore exſiccatæ, difficilè cedunt expulſioni, quare tunc potius diminuta, ex impedimento, expulſio, quam aucta retentio æſtimata, debilitatem quidem arguit, attamen retentionis occaſione nequaquam; Sed & hinc etiam retentio deprauata apparet, quia præter omnē modum, conſuetumque morem, non retineantur, quæ retinenda, ſiue puta alimenta, ſiue medicamenta fuerint, vſque quo nempè proprium aſſequuta finē ſint; retineantur autem, quæ non retinenda ſunt, vt ſubinde ex his maior virium ſequatur afflictio, & præternaturalis affectio, quę febris eſt, quomodolibet foueatur; Poſt hæc coctio examinanda quatenus etiam in ventriculo, annexisque vaſis, tum nutritionis, tum curationis ergo, celebratur, an inquam adhuc ſecundum naturam vigeat, an contra perturbetur, quod fit aut ablatè, aut diminutè, aut adhuc deprauatè; Etenim ſi ſecundum naturam fuerit, nuſquam extrinſecus perturbatam illa ſe profert, at ſi præter naturam ſit, ſanè poſt multa, per ea quæ excernuntur, alia atque alia conijcitur; Namque primum ſi coctio nulla ſit, aut ea ſaltē diminuta adſit, iā quidquid ipſo vētriculo, adiacentibusque inteſtinis, continetur, ſiue illud aſſumptus paſtus fuerit, ſiue excrementum iam ibidem congeſtum, vtique aut nihil, aut parum immutatum apparet, ſiquidem paſtus tunc qualis receptus, talis penè reijcitur at excrementum iam præter naturam ſe habens, qualitatibus ſuis partē afficit, qua continetur, afficit autem, interfebriendum, multifariam, & affectionis notas dat, (vt alibi dictum) euidentes, & quidē magis minus vè, pro coctionis diminutione maiori, ſiue minori; Ad quam dein ſequitur deprauatio, dum quoduis ventriculo, & inteſtinis contentum, prauas, & à finè longe diſtantes putredinales qualitates ſit aſſequutum, quas vtique in febri non rarò obſeruamus, & palam quidem per ea, quæ

 ſeceſſu,

Digitized by Google

ſeceſſu, & vomitu foras erumpunt, quæ inquam & ſua ſubſtantia, & accidentibus ſenſu perceptis, manifeſtam corruptionem oſtendunt: at de his, & alijs, in methodo latiſſimè loquuti ſumus. Iam vero expulſionis opus ventriculo, annexisque vaſis per febrim celebratum meditemur, & quantũ perinde robur virium ex eo vigere conijciatur, colligamus; cum præſertim expulſionis opus, ferè ſemper, qualia attractionis, retentionis, & concoctionis præceſſerint opera, aperrè confirmet, atque ita verè robur virium euidenter oſtendat; Sed vt per febrim raro expulſionis opus integrum eſt, ita non raro illud è vaſis primis aut ablatè, aut diminutè, aut item auctè, ac deprauatè læſum videtur, quare & vt ſignum, & vt cauſa, debilitatis argumentum eſt; & quidẽ in intermittenti, per quam humor, qui ſuo peccato febrim facit, in ipſis vaſis primis potiſſimum reſidet, indeque afficit; Euenit enim per febrim, & quidẽ ſæpius, vt excrementorum paſtus (quia de humoribus vnde febris fit aliud forſam cẽſendum) nihil aut parum, ſpontè, per ſeceſſum, more conſueto, foras expellatur, ſed retineatur potius, & congeratur, pabulumque fiat ipſius febris, idque vel opere, ab vno excrementi vitio, puta viſciditate, craſſitiè, aut ſiccitate, impedito, vel tandẽ eodem, ex prauia afflictione nimia, iam deficienti, vt notum eſt, atque ſanè tunc magis & minus, vt ex effectu, vim debilẽ eſſe conſtat, minus quidẽ ſi ex impedimento, oppreſſione vè, at magis ſi ex diſſolutione, quæ non raro oppreſſionem, ſiue impedimentũ ſequitur; Euenit inſuper aliquando per febrim, vt generoſius, & vltra conſuetum, quod redundat à paſtu, foras eijciatur, quod vtique potius vitio excretorum contingit quã virtutis, quippe raro virtus, vltro quam deceat, niſi pridẽ irritata, inſurgat, & ſanè tunc (ſi tamen exceſſus adſit) ſaltem vt ex cauſa, argumentũ eſt debilitatis; Verum quod per ſeceſſum, per quem excreta aſſumpti paſtus pelluntur, humores itidẽ alij, alias fouentes febrim (ſiue hi vaſis primis conſiſtant, vt in intermittentibus, ſiue eo à toto aliquando confluxerint, vt in continuis) generoſè inſimul, attamen vtiliter, per virium tollerantiam, cum leuamine, foras expurgentur, ideo ſanè minimè, ex quauis per ſeceſſum copioſa nimis euacuatione tentata, licet multipliciter vires infractas eſtimare, quandoquidẽ res dum ita ſe habeat, licet generoſa expulſio ſit, ea nihilominus, adhuc ſecuundum robur virium eſſe poſſit, niſi modum excedat, quoniam tunc, ſaltem vt ex cauſa, debilitatis eſſet inditium; Sed quod ad deprauatam expulſionem eandem ſpectat, vtique dum illa modum ſibi ſecundum naturam propriũ minimè ſeruat, & quo inquam ad viam, & quoad impetũ, ſolicitudinẽ vè, illa ſemper, vt ex cauſa, roboris afflictionẽ oſtendit, per eam quoniam vires facilè labefactaturæ ſint, vt potè quæ, vitio excretorum, multitudine ſcilicet, aut praua qualitate peccantium vi, validius quam par ſit, facultate irritata, perperamque ideo, vel ſurſum, vel deorſum, aut vtraque via, vel etiam alia, ſolicitata, cum ferè citra tolerantiã ſit, ſemper, & neceſſario affligantur. Et hoc certè ordine, ex operibus in ventriculo, adiacentibuſque vaſis, à natura interfebriendum celebratis, de robore vtrium primo loco iudicandum eſt; Iam quid de eodẽ, ex alijs operibus, in hepate, & vaſis annexis, ſubſequenter à natura proſequutis, ſit cenſendum, demonſtremus: Sanè quidẽ primis appoſitè, & integrè confectis, facilè alia, quæ ſecũdo loco celebrantur, recta, & nuſquam manca ſequuntur, at verò contra, ſi aliàs eadẽ fuerint, vt notũ eſt; Attamen ob multa, quæ ſucceſſiuè contingunt in nobis, fit, vt propius ſingula ea, quatenus rurſum in hepate, annexirque vaſis, tum nutritio-

nis,

nis, tum curationis ergo, conficiantur, meditanda ſint, vt porrò ex his, de robore ipſo virium, certius, ac tutius iuditiũ habeatur; Itaque cum in hepate, & venis, ex chilo iam alibi parato, ſanguis ad nutritionẽ conficiatur, confectusque, & venis contentus vltro perficiatur, vtique id etiã fit, attractionis, retentionis; concoctionis, & expulſionis exercitis operibus, quare ſi ea, per febrim, ſecundũ rationẽ fuerint, robur viriũ adeſſe indubitanter oſtendunt; contra ſi aliter eadẽ aliquando extiterint; Porrò ſecundũ rationẽ ſunt, dum nec ablatè, nec diminutè, nec præter modum auctè, nec inſuper deprauatè fiunt, ſed quod, per febrim, in aliquo, vt plurimũ, illa deficiant, raròque integrè exerceantur, quo ideo gradu defecerint perquirendum; Atque ſupto ab attractione ipſa exordio, profectò ea, vt generatim, quouis ægri ſtatu, in hepate, erga chiloſum cremorẽ, ſe habet, ita adhuc qualis in eo ſit ſpeciatim, per febrim, ex his facilè eluceſcit, quæ nos iam in methodo ſufficienter explicauimus, atque per eã iam cognitam, tunc de viriũ robore iudicandũ; Et inſuper quid de retentione, per ipſammet febrim, cenſendũ, ex ibidẽ etiam enarratis patet, paterque ſubinde quantum viriũ ipſarum robur, ex eodẽ retentionis opere, ſit æſtimandũ; Hic autem de coctionis, expulſioniſque munere, ſaltẽ quatenus ſedibus ijsdẽ per febrim putridã celebratur, non nulla, vnde virium robur, aut langor ſpeciatim colligatur, animaduertemus, præſertim quod ex operibus huiuſmodi ibidẽ proſequutis, quã fælix ſit putridæ febris exitus futurus, euidentius conſtet; Etenim vt humor qui peccat in venis, & continuæ febris principiũ eſt, ex hepate primum perperam diſponitur, & qui in meſenterio itẽ peccat, intermittentẽque febrim parit, ab eodẽ, vt plurimum, hepate, preternaturam ſe habenti, quadantenus inficitur, ita dum coctio, atque expulſio, appoſitè, & vt decet, in hepate, vaſiſque annexis quomodolibet celebratur, cum quilibet inde humor in modum ſanitati congruũ, eiectis inutilibus, redigatur, facilè vtique febris ſanatio conſequens eſt, difficilè autẽ ſi contra; quia ſcilicet tunc, vel ablata, vel diminuta, vel mauis deprauata, aut coctio, aut expulſio fuerit, atque ita ex opere ſic, vel aliàs, ſe habenti, robur virtutis magis minusque inualidum æſtimabitur; Itaque cum præcæteris coctionem in hepate, annexiſque venis tentatam agnoſcere, non ſenſu, ſed coniecturis duntaxat, ab effectis potius, quam cauſis habitis, liceat, profectò effectus hi, interfebriendum, perquirendi, expendendique ſunt omnes, præſertim verò qui humorẽ in venis præternaturam ſe habentem conſequuntur; ſunt autẽ hi quamplures, vt non pauca ſunt ea, quæ per febrim eamque continuã, à magis, minusque crudo humore proueniũt, inter quæ experto medico nota ſimptomata ſunt, ſicuti per intermittentẽ febrim in hipocondrijs obſeruantur plurima, quæ vt ſeuiora, mitiora vè ſentiuntur, ita de coctionis, & cruditatis gradu tunc euidẽtẽ pariunt coniecturam; Nam vt humor, qui è venis putridæ febris auctor eſt, eo ſemper magis crudus cenſetur, quo ille magis à naturali deuiat ſymmetria, atque quanto magis talis, tanto inde ſæuius, tum febrim, tum comittantia febrim fouet, ita ex validitate horum ſæuitiæque, veluti etiam in intermittentibus, ex his, quæ ab humore in primis vijs corporis detento fiunt, cruditas ipſa maior, aut minor indicatur; Quamquam re verà, ſi quæ ſunt, quæ id euidentius oſtendant, maximè ſunt ea, quæ interfebriendum ſpontè foras eijciuntur excrementa, quæ inquam ſuam originẽ atteſtantia, tunc quantum iam paſſæ vires facultatis hepatis ſuerint, apertè oſtendunt, & quaſi effectus coctionis euidentes, illius perfectionẽ; vel

imper-

imperfectionē repræſentant; Et quidem primum per eorum ſubſtātiam, dein per accidentia, vt in methodo abundè explicauimus; Verum quod in febri quauis penè ſemper biliosa vigeant excrementa, quibus dein pituitoſa, & melancholica paſſim permiſcentur, atque ex his melancholica ſint deteriora, quia calorē coctioni debitum, vel deficientē, vel exuberantem nimis oſtendant, hiſce autē ob eandem cauſam, bilioſa, & pituitoſa ſuccedant, deterior licet bilis ſi ſincera, quam pituita videatur, non itē ſi pituitæ bilis mixta compareat; Iure ideo fit, vt in febri, hoc eodem ordine, ex eorum inprimis quæ foras excernuntur ſubſtantia iam cognita de coquentis operis integritate ſententiam proferamus; Quod profectò certius conceſſum, ſi eorundē excrementorum accidentia diligenter obſeruauerimus, ea quippe vel ſtatum ſecundum naturam, etiam per ſanitatē, arguant, vel ſtatum præter naturam, occaſione febris, oſtendant, atque quanto illa deteriora, tanto coctionem imperfectiorē indicant; Sunt autem accidentia hæc partim communia, vt quantitas, & conſiſtētia, quæ vbi mediocritatē humori ſecundum naturam purgando congruā minime obtineant, ſemper imperfectionem coctionis oſtendunt; Sunt partim etiā propria, vt quæ ad tactum, quæ ad guſtum, quæ ad odorem, ac denique viſum pertinent, quorum proculdubio ratio eadem eſt, & de ea iam latiſſimè in methodo loquuti ſummus.

DE OPERIBVS ALIIS AGITVR, ex quibus robur naturæ palam magis claret; atque inſuper de artis auxilio habetur ſermo, vt quantum illud naturæ fauere valeat, fiat conſpicuum.

CAPVT TERTIVM.

CETERVM quamquam excrementa per febrim ſe ſe extrinſecus multifariam proferunt, vt ex eis, via demonſtrata, de coctione iuditium haberi aliquod poſſit, ex vrina nihilominus id conceſſum magis, ſi præſertim febris continua ſit, cuius fomes, & cauſa perpetuò in venis eſt; In febri etenim intermittenti, cum fomes extra venas nempe circa meſenterium ſit, qui non niſi inordinatè indè venis communicatur, vrina ideo in his fallaciſſimum coctionis, vt potè extra venas celebratæ, inditium præbet, at certū in continuis, in quibus coctio in venis expectatur; vndè in intermittentibus, ex excretis per ſeceſſum, coniectura facienda eſt, hæc quoniam è meſenterio, reliquiſque vaſis primis potiſſimum excludantur, perindè qualis ibidem humor ſit, & quam nam coctionē ille iam tunc paſſus fuerit, appoſitè indicant; Quare vt in continuis vrina præcæteris accuratè attendenda, obſeruandaque illius accidentia omnia, poſt ſubſtantiā ſunt, ita in intermittentibus, quæ per ſeceſſum, ac vomitum excernuntur primum recognoſcenda ſunt omnia; Itaque ſi quod per vrinaria vaſa mingitur, id ſeri naturam ſapiat, quod à ſanguine ſecernendum, iuxta doctrinam in methodo traditam, cenſetur, proculdubio de coctione ipſa, per continuam febrim, ex vna vera vrinæ ſubſtantia obſeruata benè opinandum

dum eſt; At ſi aliud ipſi ſero permixtum, vel ſeri vice, effluat, quod à conſueta eiuſdem ſeri conditione diſtet, quamuis illud ſæpe alicunde, à parte ſcilicet, vel toto, transfuſum, illi extrinſecus omnino permiſceatur, vel mauis intrinſecus, quoniam portio ſit ſuccorum in hepate, veniſque ſanguificandorum, quæ ſua tenuitate, vnà cum ſero nondum benè ſecreto, foras erumpit, vtique vt primum cum bona coctione eſſe poteſt, ita ſecundum nunquam tale æſtimandum eſt; Sed ne id alterutrum fuerit, ex iam alibi in methodo explicatis inditijs, fit conſpicuum; Poſt hęc in eadem met vrina, tum accidentia communia, tum propria, veniunt obſeruanda, nempè tam quantitas, & conſiſtentia, quam color, odor, atque contactus; Quantitas porrò mediocris, quæ potioribus reſpondeat, (habito tamen ſemper caloris per febrim exſiccantis reſpectu) benę coctionis cenſetur inditium; atqui defectus (ille niſi expellentis facultatis laborantis occaſione adſit) exuſtionem internam nimiam penè ſemper arguit, contra, exceſſus, cruditatem; niſi per vrinam ſpontanea naturæ vacuatio aliqua ſit inchoata, quæ an vtilis, aut inutilis, ideoque poſt bonam coctionem fuerit, nec ne, ex leuamine potiſſimum, & tolerantia facilè colligitur; Confirmabit idem conſiſtentia, etenim per coctionem debitam, vrina, cum inhærentibus, mediocrem vbique eam aſſequitur, quippè nec tenuis, neque minus craſſa vrina inde euadat; Si quando enim tenuis illa multum, & abſque contentis exiſtat, (niſi ex cauſa externa prorſus, vel quaſi, id factum conijciatur) nullam tunc, vel paruam præceſſiſſe coquentis caloris elaborationem oſtendit; Craſſa verò, & contentis craſſis prædita (niſi tamen per extraneam mixtionē craſſities adſit) aut exuſtionem, putredinalemque ebulitionem, à vera coctione longè diſtantem præſentem eſſe, aut crudorum ſaltē humorum abundantiam in venis adeſſe demonſtrat, ſed de hoc latius in methodo dictum; Iam vrinæ color, odor, atque contactus expendatur, Color autem licet ex accidenti ſolum coctionē arguat, vt in methodo dicebamus, illius attamen in febribus non negligenda coniectura eſt, quando ſaltem ex eo, nos robur, impetumque caloris in coctiles ſuccos agnoſcamus, vel enim calor mediocriter agit, & integrè ipſi coctioni reſpondet, vel nihil, vel denique exuberanter; porrò ex colore impetus hic caloris bellè conijcitur, namque ſi vrinæ ſubaureus color fuerit, ſemper mediocritatē, & coctionemoptimam oſtendit; Si autem color aqueus, aut ad album vergens ſit, cruditatem apertè docet, vel pituitæ abundantiam, Si contra calor exuberans ſit, ideoque exurat potius, quam concoquat, quod in febribus ſæpe vſu venit, principio vtique color ad rubrum inclinat, dein ad flauum, præterea ad erugineum, vel viridē, ac paſſeum, tandēque aliquādo ad nigrum, ac omni proportione amiſſa, ad lutulentum, ſine ſplendore; Hoc ſiquidem ordine, iuxta doctrinam in methodo traditam, color vrinæ de humorum in venis, & hepate conſiſtentium coctionis bonitate, ſeu malitia, claram ſatis præbet coniecturam; Et quamquam interdum ob alienam alterius alicunde manantis, & vnà cum vrina foras exeuntis mixturam, coniectura hæc fallax eſt, eius nihilominus fallatiam doctus medicus euidenter animaduertet; Quantum ad vrinæ odorem ſpectat, vtique ſi per febrim ille fętidus, & graueolens ſit, (niſi talis extrinſecus euaſerit) ſemper deprauatæ coctionis inditium eſt, & putredinis maioris nota; Sed de contactu, illud dicendum eſt, quod per optimam coctionē vrina, dum foras excluditur, toleranter, & citra afflictionem omnem ſemper excluditur, ſiquidem illa tunc, in modum, ſecundum omnes eius quali-

qualitates, tedacta cum ſit, vias nihil afficit, per quas ipſa pertrãſit, quare ſi aliud conting ar, de coctione malè ſentiendum; At vt hoc aliena etiã occaſione in febribus factum ſæpe obſeruamus, ita non temerè, ac leuiter; ex eo, per vrinam, de coctione iudicabimus; de coctione inquam humorum, qui in hepate, & venis ſedem habent, quoniam de his, qui in meſenterio, annexiſque vaſis, collocantur, ex ſecretis per ſeceſſum turius iudicatur; Iuditium autem hoc erit, non ex ſubſtantia, aut accidentibus omnibus eam ſequentibus, vt de vrina iam dictum eſt, hæc quoniam ex fæcibus excretis facilè obſcurantur, ſed ex contactu duntaxat, qui, dum exeunt hæc per inteſtina, euidens fit, namque ille ab humore crudo, & nondum victo, ac ſuperato, moleſtus eſt valdè, quia adhuc praua qualitas impræſſa non commodè toleratur; Contra ab eodem iã cocto, & benè confecto, nullus labor, nulla afflictio, ſed tolerantia manifeſta adeſt; Verum enim verò præterea, effectus laborioſi, atque moleſti, qui oboriuntur à crudis humoribus, ſuis ſedibus, puta meſenterio, adhuc perſiſtentibus, cruditatem clarius indicant, contra ſi aliàs ipſi habuerint ſe ſe; Sed de coctione hactenus: de expulſione modo in febribus expectanda, non ex venis ipſis ſolum, ſed ex primis quoque vijs, quid iure cenſendũ, ex quo robur virium eluceat, videamus; Etenim ea appoſitè; & vt decet, facta, robur virium ſemper indicat, contra ſi aliàs illa eueniat; Appoſita autem hæc, & decens expulſio è venis primum cenſenda, quæ tum inutilia excremẽta inter ſanguificandũ coaceruata, tum quæcunque alia, quæ ſua pernitiæ, malitia vè, quomodolibet è venis febrim putridam faciunt, fouentque, foras, vijs idoneijs, ſufficienter pellit, quia quæ aliàs facta cenſetur, contraria huic ſemper æſtimanda eſt; Verum & ſi expulſio hæc in ægro, tum per nutritionem, vt dictum eſt, tum curationis ergo, eſt expectanda, ſolum tamen nunc, an per febrim curationi illa aptè reſpondeat, expendemus, poſteaquam an eadem interea nutritioni ſufficiat, vniuerſim, per omnẽ morbum, in methodo ſatis indicatum eſt; Sanè autẽ per febrim putridam, licet congeſti ſucci peccantes, qui in venis ipſis reſidentes, coquentis facultatis ope, vtiles fieri nullo modo queunt, neceſſario expellendi ſint, ſpontèque ideo ſæpiſſimè, & euidẽter expellantur, adhuc nihilominus inſenſibiliter illi etiam vtiliter diſſipantur; Euidenter quidẽ ſæpe pelluntur, dum multi fuerint, prauique valdè: Diſſipantur verò inſenſibiliter, & paulatim, ſi pauci illi, & minus praui ſint; Etenim virtus expultrix non niſi irritata ad pellendum inſurgit, irritatur autem ex copia, & qualitate praua, quoniam minus, ac minus ab humore peccanti, tum pauco, tum placido lancinata, vno ſaltem inſenſibilis reſolutionis illius intercoquendum iam præſentis beneficio, meritiſſimè quieſcit; Quare & ſi verum, quod dum per febrim virtus in humorẽ peccantem inſurgit, ſemper id per robur agit, dum attamen idẽ aliquando minimè generosè peragat, imbecilla ideo non cenſenda eſt, quippe interdum virtus, quamquam fortis, nuſquam tamen ad pellendũ irritetur, atqui contrà ſi facultas ipſa expultrix, per ſucci peccantis tum copiam, tum prauitatem, euidenter irritata, minimè tamen opus ſuum, vijs idoneis, & humori peccanti in venis exiſtenti bellè reſpondentibus, proſequatur, certè ex imbecillitate id factum cenſendum, ſiue imbecillitas ex oppreſſione, impedimento vè, ſiue ex diſſolutione contingat, & tunc ablata expulſio ſemper æſtimanda, metuenda vè ſaltem eſt; Dato verò eam per febris progreſſum palam celebrari, vtique niſi diminuta nimis, aut excedens, aut perperam celebretur, ſemper vtilis eſt, & curatio-

ni pro-

ni proficua, ideoque robur virium, neceſſario indicat; Diminuta certè nimis eſt, quando neceſſitati minimè ſufficiat; Excedit ſi præter tolerantiam fiat; Perperam verò cenſetur, ſi vel aliud ab eo, quod peccat, educat, vel modo non commodo, nec vijs appoſitis illa ſe proferat; Sanè autem non dubitandum quin tempus quoduis febris ſalutari huic expulſioni opportunum ſit, poſteaquam in febri ſemper, ſatis ſuperque humoris peccantis portio cocta, diſpoſitaque reperiatur, quæ ideo expulſioni, ob vnius quantitatis, aut qualitatis ad pellendum irritantis impetum accommodata, commodè vijs idoneis, vtiliterque expellatur; Quamobrem ſi virtus polleat, meritò, interfebriendum, etiam ab initijs, ad finem vſque, partes humoris febrim ſouentis rectè pelli cenſendum eſt, vel aceruatim id fiat, vel per vices, & ſenſim; Nam & per febris initia, dum natura onere peccantis humoris oppreſſa per vim cogitur ſubleuari; Et progreſſu etiam febris, per ipſos præſertim paroxiſmos, dum natura ab excandeſcẽti humore, impetu inſueto, irritatur; Et demum circa finẽ ſtatus, aut declinationis principium, quo coctione omni peracta, humor ipſe victus, coctus, ac aptè paratus extiterit; Immo & toto febris progreſſu etiam, aliquid illius, quod peccat, vtiliter expellitur, & ſanè merito cum perpetuo magis, aut minus peruerſitati humoris natura obſiſtat, ac ita facilè aliquid illius ſemper ſuperet, & expellat; Ergo dum talia videri contingant, toleranterque ferantur, ſecundum robur virium erunt, at ſi leuamen vltro aliquod acceſſerit, vtique ſufficienter ſatis effecta omnia æſtimabuntur, tuncque facultatis expellentis robur euidens cenſebitur; Cõtra ſi nihil horum tale, vel etiam citra manifeſtam tolerantiam adſit, ſequaturque potius ex his clara ægrotantis afflictio, & leuamẽ nullum præſto ſit, at vires palam collabi videantur, ſine dubio quamquam peccans humor pellitur, qui inquam ſua præſentia talis appareat, qualem iam febrim efficere opinabamur, (talem enim in laudabili euacuatione pelli neceſſe eſt) nihilominus expulſio paruifacienda, & tanquam pernitioſa cõtemnenda, coercendaque ſæpe eſt, niſi forſam principio quidẽ talis viſa, dein tamen melior, & vtilior facta appareat, quia nempe cum leuamine toleretur; Cæterum vt inter ſponte vacuandum, qualitati laudabili fauent ductus ſoco humoris apprimè idonei, ita quantitati fauet modus, vel aceruatim, & vehementer, vel ſenſim, & longiori duratione tentatus; Quoniam ſi interuacuandum accedat vehementia, atque duratio, proculdubio, ſaltem vt ex cauſa, de robore virium perperam cenſendum; namque vehemens, & longa vacuatio minimè toleratur à viribus, vt potè quas illa, etiam ſi peccantis humoris fuerit, penitus diſſipet, diſſoluatque ſæpe, vſque ad interitum; quare vt nunquam vehementia, cum duratione tunc laudabilis eſt, ita mediocritas duntaxat in vtroque expetitur; Verum poſt hæc, vijs accommodatis expulſio celebrata addit roboris argumentum, non item ſi contra, quoniam tunc violentiam facultas pati videatur; Et ſi fortè non facilè, ex ſola apparenti viarum obliquitate, id æſtimandum ſit, cum certum ſit naturam, expulſioni etiam legitimæ, vias admirandas ſibi proponere, per eaſque quod noxium fuerat, expurgare; Quamquam quotidiè, experiri contingit, viarum vt plurimum obliquitatem rarò deſideratæ euacuationi ex æquo reſpõdere, putà quod tunc facilè ſublatis partibus tenuioribus, craſſiores reliquæ ad recidiuam faciendam perſiſtant adhuc; Et quod magis eſt, ex obliquitate ductuum, ſæpiſſimè euacuationi liberæ certum impedimentum adeſſe, perindeque euacuationis loco, abſceſſum, ex quo aliud morbi genus fit palam con-

Ee tingere

Digitized by Google

tingere conſtat, & quidem interdum noxium valdè, vt ſi in præſtantem partem corporis aliquam, veluti in cerebrum, ſpiritales vè partes, humoris decubitus fiat, aliquando autem minus tale, vt ſi in ſedē ignobilem, & recipiendis emiſſionibus aſſuetam, nempè in emunctoria propria, aut ſaltem in cutē ipſam, vel extimam quamuis partē aliam minus doloroſam, decubitus, fuerit; Quamobrē viarum obliquitas raró laudabilis eſt, vt nec quæ per eam à natura celebratur expulſio prudentē medicū aquieſcit, poſteaquam ſcilicet ea vel ex diſſolutione, vel ex oppreſſione, impedimēto vè langorē virium arguat euidentē, quo porrò vigente, in ſimul autem copia, aut malitia humoris perſiſtente, fit, vt inchoatæ, deficientesque quædam expulſiones, & illæ vijs admodum diuerſis, non ſemel, per febris progreſſum, tentatæ obſeruentur, quæ proculdubio ſemper, & quidē merito ſuſpectæ eſſe conſueuerunt; Itaque per febres, quæ verè continuę ſunt, in quibus humor, qui peccat, ipſarumque proxima cauſa eſt, in venis penè ſemper reſidet, vt neceſſario ex venis eiſdem primum, hoc eſt, vijs venis appoſitè congruis, expulſio humoris peccantis expectanda eſt, videlicet per hemoragiam, è naribus, ex vtero, ex hemoroidibusque, aut aliàs aggreſſam; inſuper & vel per ſudores, vel vrinam, vt notum eſt; maximè tamen propriè per remigrationem ad vias primas, nempe è venis in hepar, & meſenterium, indeque ad ſeceſſum, aut vomitum, iuſta, & rationabilis expulſio celebratur; ea quoniam generosè, & integrè peccātem ſuccum omnē, vt nec reſtent veſtigia, foras expurget, cum ea, quæ per ſudores, vel vrinam fit, craſſioribus relictis partibus, ſolas tenues demoliatur, manifeſtò recidiuæ periculo; & quæ demum per hemoragiam fit; cum manifeſta ſemper virium iactura, vtilis ſanguinis multum, ſimul cum pauco malo ſucco, deturbet, Poſt hæc autem ſi de expulſione humorum extra venas poſitorum, in meſenterio nempe, & vaſis adiacentibus, exiſtentium, ſermo ſit, ea itidem appoſita cenſenda ſolum, quę vijs idoneis, inde, quod febrim facit, ſufficienter, tolleranterque foras expurgat. reſidet verò ibi locorum humoris excrementitij copia non parua, ſi præſertim febris intermiſſerit; quare dum illi, & multi, & praui ſint, meritò ſæpe expellentem facultatem irritant, ac perinde foras excluduntur, non forſam ſi pauci, & benigniores, quippè tunc ſenſim potius, penèque inſenſibiliter abſumi ſoleant; Neque tempus febris impedit, quia videlicet illi minimè ſufficienter parati, diſpoſitique ſint, quoniam hi excrementitij prorſus exiſtentes, & ab vtili humore ſecreti, ſolum impropria coctione egent, qua nempè attenuentur, & detergantur, ea autem omnino ſecundum partes omnes, etiam per initia morbi, carere impoſſibilè eſt; vnde ſi non ſimul omnes quanto citius foras excludantur, ſaltē ſenſim, & per vices excludi, roboris eſt inditium, non autē quando nulli omnino apparuerint; Perperam quoque interdum inde erumpūt, graueſque effectus inducunt, quod vbi contigerit, debilitatis eſt, tū ſignū, tum ſæpe etiam cauſa; Quare dum ſufficienter è proprio foco, attamen toleranter exierint, nec impetu nimio, diuturniori vè, ægrum lancinarint, robur ſemper virium indicabunt, & ſanè magis ſi id cum leuamine manifeſto ſequatur; Quod inſuper euidentius ſuccedit, ſi aprioribus ductibus, & placidè, actio fiat; ductus autem hi ſunt, qui ad ſeceſſum tēdunt, aut vomitum; Et ſi dum vijs adhuc alijs ea celebretur, vt per ſudores, per vrinam, aliàs vè, minimè contemnenda ſit, dum præſertim ſeorſim peccātem humorē pellat, (cum ſanguine licet per hemororidas fęlix ſæpè tunc ſuccedat euacuatio, quippè quod per hemorroidas primæ vię

ſuum

ſuum etiam onus ſæpe bellè deponāt) attamen tutior, & vtilior ea æſtimāda ſemper, que per ſeceſſum, & vomitum fit, vt potè quod hac via potiſſimum, colluuies in primis reſidens vijs integrè educatur; Atque ita virium naturæ robur, quatenus per febres, & præſertim putridas, in ventriculo hepate, ac venis viget, æſtimandum ſemper: reſtat modò, vt qua ratione illud in habitu, ſeu mole tota corporis, in qua munus extremum peragit ſuum, tunc illud ſe habeat, ex proprijs indicantibus effectis perquiramus. Porrò roboris huius vna totius nutritio vltimus eſt effectus, atqui nutritio, in partium ſolidarum vniuerſi corporis mole, tum conſeruanda, tum temperanda, conſiſtit, vt ideo per ſanitatem, & morbum, ſoluendis muneribus hiſce natura perpetuò incumbat. Reparat autem dum, alimentis ſuppeditatis, illam ſucceſſiuis diſſolutionibus labefactatam inſtaurat, reſtituitque ſibi; Atqui eandem aptè conſeruat, dum morborum vi, & febrili potiſſimum feruore vltrò lancinatam, pœnitus fortaſſe deformē euaſuram, interceptis vndique, ac diſſipatis autoribus, attrahendo, retinendo, concoquendoque, ac expellendo, illam ſuſtinet atque confirmat; Ergo tale vniuerſim virium naturæ robur ſemper erit, quale reparatio, vel conſeruatio molis, ſeu habitus totius, in febrienti indicat; Longè diuerſus autē ſemper eſt febrientis habitus, ab eo qui per ſanitatem inerat, vt certum eſt; Quamobrem quantum ille decedet à ſano, tantum virium langorē adeſſe oſtendet, quantum autem eidē appropinqnabit, tantum itidē virium robur ineſſe monſtrabit; Eluceſſit autē vniuerſi habitus conditio in facie primum, vtaliàs demonſtratum eſt, adeo quod qualis ipſe fuerit in toto, talis ad vngem pateat in ea; Et ſi adhuc ipſe totius coprporis aſpectus minimè contemnendus ſit; Itaque ſi per febrim, illa, & partes corporis reliquæ, euidenti ita macie fuerint confectæ, vt ſubinde inditam ſibi formam valdè amiſiſſe videantur, profectò tunc vires depreſſas ſatis, atque diſtractas, reparationi, & conſeruationi ſufficienti minimè vacare veriſſimum eſt; Et equidem magis id iudicandum, ſi præterea carnis conſiſtentia dura, ſicca, vel arida pateat, aut itē ſi illa tumida, flacida, & mollis exiſtat, & inſuper maximè dum color eiuſdem albus, ad plumbeum vergens obſeruetur; Arguunt enim hæc nutritionis defectum euidentē, & conſequenter robur virium vbique debile; Contra robuſtum ſatis, ac validum, vbi & facies, & partes omnes, propriam, ſibique ſatis pro ætate conuenientē molem, eamque inſuper conſiſtentia ſufficienti, & colore viuido præditam, retineāt: Et hæc quidē de virium robore, ex operibus naturæ conſeruantibus per febrim expendenda: Iam quid tunc ex operibus perfectiuis de eodem haberi liceat examinemus; Sunt quidē perfectiua opera non pauca, præcipua tamen ſunt, motus, ſenſus, & ratio, quæ ſaltē diminutè, & deprauatè, per febres, paſſim labefactantur, vel quia nempe minus illa prodeant integra, vel quia perperam potius tunc ea exerceri planum ſit; Quamobrē quanto deteriora ipſa iam fuerint, tanto vires, per quas celebrantur, minus potentes æſtimabuntur; at contrà potentiores, ſi integriora eadē extiterint, quamquam non adeo hæc, vt conſeruántia, in febricitanti magniſacienda ſunt, quando labefactata ea, neque vt cauſa, neque vt effectus ſe habeant, vndè periclitaturæ vitæ coniectura ſufficiēs habeatur; Etenim nihil penè digni commune habent opera hæc cum vita ipſa, poſteaquam viuant adhuc, & longè ſatis, qui rationē deprauatā, & ſenſus itē plures afflictos valdè poſſident, (motus licet quatenus vitalibus, naturalibusque operibus inſeruit, minimè paruifaciendus videatur)

tur) Sed ideo ea negligẽda nen ſunt, immo quadantenus æſtimanda, quoniam dum præſto ſunt talia, maiorẽ iam febrim omniquaque effectam adeſſe oſtendunt, atque ita per eam inſtrumenta operibus his inſeruientia neceſſariò morboſa cum ſint, vitalibus, ac naturalibus inſtrumentis, & demum vitæ non parum ſuo conſenſu officere, ſi præſertim cerebrũ fuerit, quod cordi præcæteris valdè conſenrit; Itaque pro magnitudine potius originis, & præſtantia partis affectæ, vnde operum huiuſmodi labefactatio interfebriendum aduenit, ex læſis operibus hiſce, de vitæ periculo magis aut minus ſuſpicandum eſt; Et de recognitione virium naturæ, in febricitanti, hæc reſtrictè dicta ſint ſatis, cũ plura ex methodo, eaque dilucidiora habeantur; Naturæ autem viribus non parum in debelandis febribus ars medica fauet, quamobrem merito potentia eius, ipſis naturæ viribus, interpræſagiendum, ſemper annectenda; Principio verò artem hanc, per febrium curationem, in eo poſitam eſſe, ſtatuendum eſt nobis, quod ſaluti virium inprimis illa operã det; atqui præterea quod febri, cauſæque eius pellendæ, vnà etiam cum ſimptomatibus, ſi quæ fuerint, cõmodum fauorẽ præſtet, & quidem indicatis operibus, ac inſtrumentis, quatenus ea tamen tolerantur, ſiquidem vt ex his indicata opera multa eſſe conſueuerunt, ita etiam multa illis reſpondent inſtrumenta; Cæterum ad potentiam artis agnoſcendam, horum inprimis indicatorum operum deſideratam feriem, & ordinẽ meditare, & ante oculos habere, eſt operæ pretium; dein vnicuique proprium aſſignandum inſtrumentũ, quod operi cuique bellè reſpondeat; Siquidẽ poſtea quatenus opera, & inſtrumenta, intento fini hoc eſt febrientis ſanitati aſſequendæ, commoda fuerint, eatenus magis, minuſuè, artis poteſtas veniet æſtimãda; Exorditur autẽ ars non in febribus curandis tantum, ſed in morbo quouis, à virium conſeruatione, inſtaurationeque ſemper, atque ſanè recto victus regimine, tanquam inſtrumento, illud aſſequi contendit; Prætcrea autẽ ars ſpeciatim in febri, & calori febrili, eiuſque cauſæ, humoribus nempe peccantibus (ſi tamen hi febris cauſa fuerint) tum alterantibus multis generis, tum vacuantibus auxilijs, alterando videlicet, & vacuando, diligenter vacat; Atque demum (quod interea etiam fieri poſſibile eſt) vbi ſimptoma aliquod adſit, illius ſedationi, debitis ingenijs, maximè incumbit; Quod verò non abſolutè, indifferenter vè, operibus hiſce, & inſtrumentis, ars intentum curandarum febrium opus aggrediatur, quoniam indifferentia incertorum ſit, ſed mauis, præmiſſa qualitate, quæ iãpridem à proſequendo intento ſcopo indicatur, debitam vlterius, tum operis, tum inſtrumenti quantitatem, ac opportunũ rectumque vſum, merito ſupponat, & quidem ob vrgentẽ neceſſitatem, quę cum ex determinati præſentis ægri conſtitutione, ac viribus, eiuſque febris certa ſtatutaque ſpecie, quæ & ex data, ac ſtabili cauſa fiat, vna cum ſimptomatibus (ſi quæ ſint) manifeſtis; Ideo hiſce ita præcognitis, & adamuſſim ex arte, tanquam ad curationem neceſſarijs, mente conceptis, facilè dein cõſtat, ne toleratẽr, ac ſecundum neceſſitatem, tum opera, tum inſtrumẽta, præſcripta ſint omnia, atque ne ſubindè illis ritè adminiſtratis, ars, intercurandum, naturæ ſit opem latura, hoc eſt, ne tum virium inſtaurationi ſufficienter vacatura, tum feruorem febris, ſimptomatumque febrim comittantium impetum, appoſitè repræſſura, & tum demum peccantes humores febrim fouentes (ſi tamen febris hi cauſa fuerint) in modum, vel alterantibus, vel vacuantibus, redactura, vt ars eadẽ ſibi pro neceſſitate proponit; Etenim vbi vigentibus naturæ viribus, vltro ars validam opẽ

ferat,

ferat, generoſa ſemper expectanda ſunt ad ſalutē auxilia, ſunt contrà verò ſi alias res ipſa contingat, magis dein, aut minus eadem ſuccedent propitia, pro virium naturæ robore, & artis itidem ipſius potentia; Verum quæ ſpeciatim magis in febri, ad aſſequenda per artem hæc, operis cuiuslibet, & inſtrumenti qualitas, quantitas, & opportunus vſus deſideretur, & ne ad votum appoſitè ars talis haberi valeat, ita vt iam ſatisfactura ſit intento, ſanè poſt ea, quæ vniuerſim de morbo quouis in methodo ſunt expreſſa, ex his, adhuc, deinceps in febrium curatione tradenda dicturi ſumus, ſatis compertum erit.

FEBRIS SÆVITIES, ac magnitudo, vnà cum ſimptomatum prauitate, examinatur, quantique æſtimanda ſit in ægro demonſtratur.

CAPVT QVARTVM.

SED naturæ, artiſque potentia ſufficienter expenſa, febris, & annexorum illi ſimptomatum, atque cauſarum ſæuities examinanda eſt; & primum à qualitate illius exordiri eſt operæ pretium, vt poſtea eiuſdem magnitudo expendi aptè valeat; Porrò aliàs dictum eſt, rei cuiſque præternaturalis ſæuitiem hanc, vel oppreſſione, vel diſſolutione, vitæ noſtræ inſidiari, quatenus puta conſtitutioni totius, & calori potiſſimum innato, cuius fauore in primis viuimus, & operamus, modorum horum alterutro, illa, quaſi per dolum, deſtructionem machinatur; Quod & multifariam contingere poteſt, vel ex eo præſertim quia pluribus modis, oppreſſio, & diſſolutio in ægris præſto ſit, atque ſpirituum magis, quibus calor noſter præcipuus inſidet, vnde & vita facilè periclitatur; An ergo per febrim ægrotantis vita, vno, vel altero modo ex his periculum ſubeat, hoc vtique negotiū faceſſit; Verum quod æger & à febri, & à ſimptomatibus, & demum ab vtrorumque cauſis plurimum afficiatur, quorum non vnus ſemper eſt afficiendi modus, ſed varius, qualis ptopterea vnicuique eorū ſit proprius, ſigillatim principio expendendum; Atque à febri ſumpto exordio, eam cordis primum, demumque totius calidam & ſiccam intemperiē eſſe ſupponendum eſt; cumque caliditas ſiccitati iuncta potentius ſemper agat, ex febre ideo cor, & vniuerſum præternaturam ſic calefactū, grauius affectum iri merito æſtimandum; Ex affectione autem hac, quoniam caloris innati proportio, per quam viuimus, & operamus, violenter deprauatur; Et quod ad huc valdè vrget, ſpirituum tenuis ſubſtantia, cuius conſiſtentia robur omne ſtat, diſſipatur euidenter, & abſumitur, immo & vniuerſi moles ipſa, cuius beneficio organica conſtitutio viget, palam magno ægri malo conficitur, hinc ideo febris per ſe, quatenus calida, ſiccaque hæc præternalis intemperies eſt, vitæ noſtræ, diſſolutionis via, pernitioſas ita parat inſidias, vt non aliundè fortaſſe maiores, & ſi dum continua fuerit magis, minus dum intermittat; Accedunt ſimptomata, quæ proculdubio omnis generis contingere febrienti apta ſunt, & ea quidem

Digitized by Google

dem & ſi plerumque ex febri per ſe, atque directè proueniunt, ut plurimum tamen, ex febri, coniuncta cauſa, fiunt; Quamobrem tum plura, tum pauciora, eaque rurſum vno, vel altero modorum, oppreſſionis ſcilicet, aut diſſolutionis, vitę inſidiantia, in ęgris obſeruantur; quamquam ne potius opprimant, quam diſſoluant, ſpecies eorum, cum modo originis, ſatis apertè indicat; etenim dum ſpiritus abſumant, ſit vigilię, atque dolores, aut item corporis colliquationi ſaueant, vt inedia, & euacuationes immodicę, aut quia ſaltem nutritionem, inſtaurationis gratia, intercipiant, ſiue perturbent, vt actionibus naturalibus afflictis fit, profectò diſſoluendo lædunt; Atqui dum vel immediatè ventilationi ſpirituum, ſiue caloris, aduerſentur, quod intendum motricis deprauatio pręſtar, vel demum mediatè ſuffocationi eorundem, & caloris reprçſioni vacare videantur, vt ex pattatis cruditatibus obſtruentibus euenit, ſanè opprimèndo afficieunt; Itaque ſiue ſimptoma comes febri ſit, quia vel illud ex febri ducat originem, vel quia ex alio ſimptomate, aut morbo febrim ſequenti, fiat (ſepè enim morbi, ſimptomata vè ſuccedunt talia, quę ęgrum longè quam febris ipſa grauius affligunt) vel demum quia ex cauſa febris pimordia habeat, vtique ſemper ſpecie eius, & originis modo precognito, ſęuities eiuſdem qualis ſit elucet; Ex cauſa autem febris, vt ſęuities vrget magis, ita ex eiusdem recognitione, & cauſandi modo, ſæuities eadẽ, quę ſit, patet; Porrò ex cauſa vitę periculum imminet; non quatenus ſolum illa febrim facit, vel ſimptoma, ſed quatenus interea adhuc vel diſſolutioni, vel opptessioni etiam fauet; Eſt autem febris cauſa, vel procatartica, vel antecedens, vel coniuncta, etſi quę procatartica inter præſagiendum miſſa facienda videatur, eo quia illam iam medicus ſua diligentia prorſus euitandam imperauerit, aliàs quippè ea ineuitabili exiſtende, omnino non negligenda, & nè dum preternaturalem, febrilem vè calorem accendit, opreſſione, vel diſſolutione aſſiciat, diligenter, per doctrinam alibi traditam, obſeruanda; Antecedens verò cauſa febris eadem ratione vitę inſidiatur, qua & ipſa coniũcta, cum eam pręſertim foueat, quare vnà cum coniũcta attendenda ea in præſagijs eſt; Hęc autem ad humores noſtro contentos corpori, illosque ſua pręſentia qualitate peccantes (ſiue immediatè febrim cauſent, ſiue medio morbo alio, eandem faciant) vt plurimum reducenda. quando raro febris, quę conſiſtens ſit, aliundè ducat originem: Peccãt quidem manifeſta qualitate humores, vt dum externi alterantis vi, propriam ſymmetriam amiſſi, iam putredine aſſiciantur, perindeque ferueſcẽti ebullitione ſua, cor, ac vniuerſum preternaturam inflammẽt, quod vtique eſt diſolutionis via inſidiari; peccant inſuper humores qualitate latenti, quę à toto dicitur temperamento diſſimilis, quatenus iam eo per deceſſum à iuſto ſua putedrine venerint, vbi naturę ipſi, quaſi venenum, opponantur, ideoque ſpiritus, & calorem in corde mirificè alterantes, quaſi oppreſione iugulent; At hoc etiam ſua preternaturali quantitate ſępiſſimè pręſtant, dum per eam fortaſſe obſtruendo, ventilatione prohibita, calorem pretermodum accendut, ideoque tum ſpiritus diſſipent, manifeſta virium diſſolutione, tum item quaſi onère prementi, vltro quam par ſit grauent, vireſque indè opprimant; Et quidem talis ęſtimanda ſemper febris, ſimptomatum, atque cauſarum ſęuities eſt; Cęterum ea quanta cenſenda ſit, nunc aperiendum, Sanè autem febris (vt ab hac ordinamur) quatenus calida, ſiççaque cordis, ideoque totius preternaturalis intemperies eſt, ſęuitque

perin-

Digitized by Google

perinde, ac vitæ inſidiatur, (vt diximus) quoniam maior, & minor eſſe ſo-
let, illa ideo, modo magis, modo minus ſæua cenſenda eſt. Sed an ma-
gnitudo, aut paruitas hæc, vel intenſiuè, vel extenſiuè fuerit talis reco-
gnoſcenda eſt; Intenſiuè quidem quoad caloris gradus plures, vel pau-
ciores, quibus illa donatur; Atqui extenſiuè, quoad ſtabilitatem im-
præſſionis ipſius in partes ſolidas corporis vniuerſi, per quam magis,
vel minus valenter conſiſtit; Vndè cum vtroque modo, febrilis intempe-
ries, & maior, & minor æſtimetur, vni autem intenſioni reſpondeat ge-
nus ſimpliciter putridæ, extenſioni verò, reſpondeat genus habitualis, &
fixæ, neceſſario ideo euenit, vtrunque febris genus (tertio quod præter
fluentium eſt, vt puta ſua narura ſalubre, libenter prætermiſſo,) magis,
aut minus, ſæuum eſſe facilè poſſe, quia vel exrenſiuè, vel intenſiuè, vt
dictum eſt, tale magis aut minus exiſtat; Adhuc licet ſæuities ipſa, ex cō-
plicatione intenſionis, ac extenſionis, ideoque febris vtriuſque generis
ſimul, validior ſæpiſſimè obſeruetur, quam dum illa ſimplex extiterit;
Atque res cum ita ſe habeat. æſtimandaque ideo primum febrilis efferue-
ſcentia ſit, vtique eadem efferueſcentia ritè recognita, an videlicet inten-
ſione, vel extenſione ſolum afficiat, aut modo vtroque ſimul, eius dein
magnitudo commodè apparebit, & quidem ſenſibus, atque menti; Nā-
que ſenſus de intenſione iudicar rectè cum illius ſit proprium caloris gra-
dus omnes, tam actuales, quam virtuales, vno tactu percipere, quamquā
actuales magis, quia illi immediatè tactui offerāt ſe ſe, veluti per febrim;
Quare dum tunc æger, vel medicus, calorem maiorē, aut minorem affi-
cientem tactum, recto ſenſu, intrinſecus, extrinſecus vè, aliquando per-
cipiat, proculdubio gradus caloris plures adeſſe, vel pauciores, æſtima-
bit, atque ita intenſiorem, vel minus intenſam febrim eſſe iudicabit; Et
ſi vt accuratius id fiat, præcognitio ſemper propriæ temperiei febrientis
diligens, & perinde quantitaris innati caloris à primæua habitus origine,
demumque, pro ætate, examen requiratur; quia quanto ſuper hunc ca-
lor febrilis excellat, tanto magnitudinis exceſſus ſemper æſtimabitur, vt
puta in denſo, duroque habitu, & ad actiones prompto, præditis, qui fa-
cilè caleſcunt, omnino minor; in molli verò, & raro, qui contra ſe habēt,
longè maior, & ſemper in ſenibus valdè maior, quam in iuuenibus, vt
notum eſt; ſed de hoc alibi. Cæterum de extenſione mens ipſa certius
iudicat, poſteaquam ne calor in febri, partes etiam ſolidas corporis iam
omnes æquè occupet, vt perindè iam æqualis facta ſir, vbique intempe-
ries, vel quod nondum omnes æquè calefactæ ſint, ideo adhuc intempe-
ries ſit inæqualis, ſola mens ipſa ex effectis, præſertim euidentibus, dein
quoque ex cauſis, ſumat coniecturas; porrò effectus præcipuus maioris
extenſionis, factæ inquam æqualis temperiei vbique, vt in habitualibus
febribus ſemper adeſt, eſt carentia triſtis ſenſus illius, cum alias inæquali
adhuc intemperie exiſtenti, ſemper triſtis ſenſus adſit; Eſt & alius extē-
ſionis effectus, ipſa intercepta, per caloris exuberantiam, partium vbique
corporis inſtauratio, & inſuper ſolidæ ſubſtantiæ earundem euidens con-
ſumptio, qui tamen effectus quamquam communis eriam intenſioni vi-
detur, vt per febres vehementes, easque putridas obſeruamus; extenſio-
nis nihilominus magis eſt proprius, vt potè quem commodius extenſio,
quam intenſio, in ſolida totius ſubſtantia, producere apra ſit; Sed præ-
terea eriam ex cauſis, intenſio porius, quam extenſio indicatur, & con-
trà; Etenim ſi quid vltrò quam par fuerit calefaciens multum, & tū actu,
tum poteſtate, febrilem calorem inducens, anteceſſerit, vtique tunc in-

tenſiuè

tenſiuè magis calefactum eſſe corpus, quam ſecus, æſtimandum erit; Atqui extenſiuè, ſi illud non multum ſolum, ſed & vehementer, & diutius calefaciens ſit, quippè tunc facilè extendi calorem per vniuerſum veriſſimilè apparet; Et ſi huic calefacienti ſimile etiam videatur, quod lentè, & ſenſim calorem imprimit; dum tamen longo tempore, & perēni actione operetur, adeo quod plerunque ex cauſis, extenſiuè magis, quam intenſiuè, impræſſum calorem adeſſe manifeſtum videatur, & plerunque contra intenſiuè, non extenſiuè, interdum licet vtroque modo, ex duplicata præſertim calefacientis poteſtate, febrilis ipſe feruor vitæ inſidietur, Hæc verò cum ita ſint, merito febris, quæ extenſi caloris ſit, primum locum occupat, & maior æſtimanda eſt, ſubſequenter autem quæ magis; vel minus talis, vt in habitualibus febribus obſeruamus; Sed quæ intenſi duntaxat feruoris eſt febris, ea ſecundi ordinis eſt, & minus faceſſere negotium ſolet, licet magis, quæ magis talis, minus, quæ minus, veluti in putrida videre eſt; quæ tamen ſemper ſæuior, ſi continua, ob perennitatem, minus ſæua ſi intermittens, & minus valdè, quanto magis intermiſſerit, ob interpollationem per quam natura quadantenus reficitur; Verū ſi feruoris intenſio extenſioni annectatur, vt in putrida habituali coniuncta ſit, proculdubio tunc feruor ſæuiſſimus eſt, & ſummum affert pernitiei; Sequuntur ſimptomata, quæ ſiue ex febri immediatè ſint, ſiue ex febri cum cauſa proueniant, penè ſemper tamen febrilem feruorē comitari conſueuere, & quidem plura, vel pauciora, pro febris magnitudine, & cauſæ malitia, quæ inſuper & parum, & multum, & medioeriter naturæ ſunt inſenſa, & ideo quonam vſque illi officiant, quantique propterea facienda ſint, accuratè examinandum. Sunt ſimptomata actiones læſę, quarum læſione, vitæ periculum impendet, tum diſſolutione, tum oppræſſione; Verum læduntur actiones quatenus à ſtatu ſecundum naturā recedunt, recedunt autem ablatè, diminutè, auctè, & deprauatè, inter quos vtique receſſus, eſt ordo ſæuitiei, iuxta doctrinam aliàs in methodo tradditam; quamobrem ad magnitudinem ſimptomatis aſſequēdam, obſeruandus eſt receſſus actionis læſę, ab eo quod ſecundum naturam illa eſſe iam conſueuerat; Et ſi quantum ad præſens negotium ſpectat, non ſolum obſeruanda actio læſa ſit, vnà cum læſionis magnitudine, ſed præterea magis obſeruanda actionis neceſſitas, vel excellentia, tum ſcilicet quatenus conſeruationi eorum, quæ ſecundum naturam ſunt, illa eſt neceſſaria, tum quatenus ad febris, & præternaturalium omnium curationem, eadem integra deſideratur, adeo vt cum caloris ventilatio inprimis ad conſeruationem ſit neceſſaria, dubio procul hæc ne primum læſa, & quantum læſa, ob partium ſpiritalium afflictionem, mediatam, vel immediatam, diligenter eſt attendenda; Inſuper verò cum actionum naturalium omnium, & præſertim coctionis, ac expulſionis vniuerſim integritas, & conſtantia, ſummoperè, tum ad nutritionem, naturalium omnium conſeruandorum gratia, tum maximè ad præternaturalium, & febrium putridarum potiſſimum curationem, requiratur, ad coquendos nempe, maturandos vè ſuccos putredine tentatos, eosque iampridem coctos, paratosque, foras expellendos, vt manifeſtum eſt, merito ſit, vt harum actionum vbique, & per febrim maximè huiuſmodi, afflictio, & receſſus à iuſto, & recto, quantus ſit, diligentius ſecundo loco recognoſcatur. Et quamquam actiones hæ multipliciter, hoc eſt, non ſemel afficiūtur, vt conſtat, quia putà tum in ventriculo, inteſtinis, & meſenterio, tum in hepate, ac venis, tum demum in habitu ipſo totius, non eodē attamen

tamen

tamen ordine, earum afflictio æſtimanda ſemper eſt, ſed ex his ea præceteris, quæ propius accedit deſiderato intento, vt ſi deſideretur coctio, & expulſio circa meſenterium, vt in febri interpollata, vtrum nè ibi inpſimis magis vel minus integrè exerceatur; Si verò in hepate, venis, aut alibi, vt in febri continua, vtrum ne ibidē quoque magis, vel minus deficiens adſit; Cæterum poſt hæc non negligenda animalium operum, ſaltem quatenus tum ſpiritales, tum naturales alias quomodolibet intercipiunt, aut euertunt, ipſis vè denique fauent, conſideratio; Quod ſi prætereca febrim ſequantur morbi, quos accidentales, reſpectu febris, nuncupamus, quos inquam plures, interfebriendum, per varios plerunque humorum abſceſſus, in partibus corporis varijs, obſeruamus, ſanè hos quaſi conduplicatos, ex propria eſſentia, cauſis efficientibus, & adhuc ſimptomatibus conſequentibus, contemplari, examinantque, eſt opus tum ex quo noceant, tum quantum noceant, & quidem eadem via prorſus, qua febris ipſa expenditur. Sed poſt ſimptomata, ſunt etiam cauſæ in febribus examinandæ, & quantum ſua ſæuitie polleant perpendendæ; Cauſas autem febrium diximus, procatarticas, antecedentes, atque coniunctas, quæ cum ſibi inuicem ad ipſius febris productionem faueant, fauent proculdubio etiam augmento, ſeu magnitudini, nempe ad febrim eandem maiorem efficiendam; Quare procatarticæ, etiam ſi medici prudentia iā ceſſerint, vt ideo nihil vltro ad cauſæ febris antecedentis, vel coniunctæ augmentum facere aliqua ratione valeant; attamen quales præcedentes illæ iam fuerint, talem ſanè magnitudinem, & validitatem antecedentiū præſentium, & febrim comitantium, ſummopere arguunt, quando potens procatarticarum actio, vehementem vbique antecedentem, atque coniunctam cauſam excitaſſe certum ſit, adeo quod pro validitate procatarticarum, liceat ſufficienter de hac vna magnitudine antecedentium, & coniunctarum facere coniecturam; Quod ſi fortaſſe adhuc procatartica cauſa vigeat, cur non vlterius antecedens, & coniuncta augebitur & creſcet? Itaque in febrium præſagijs, ſemper procatartica cauſa attendenda, & quantum illa ipſa viribus polleat obſeruanda eſt, vt dein pateat clarius antecedentis & coniunctæ magnitudo; At cauſa quæ proxima febris eſt non vno augetur modo, ſed tum ſecundum molem, ſeu quantitatem, tum ſecundum qualitates, quippè cauſa hæc, humores ſunt, & quantitate, & qualitate peccantes, qui perinde & copioſiores, & pernitioſiores fieri commodè poſſunt, dum præſertim procatartica præcedens cauſa quæuis ad his quomodolibet fauendum accommodata, vel validior, atque deterior, vel mitior, & benignior extiterit. hinc merito non ſolum maior ſua quantitate, & copia, proxima febris cauſa, & procatarticis validioribus, aut placidioribus præcedentibus, aut præſentibus, tanquam argumento à cauſa conijcitur, verum adhuc clarius, ne ſæuior, benignior vè ſecundum qualitatem ea ipſa cenſenda fuerit, etiam patet, ſi procatarticæ generanti, illa tanquam effectus proprius, optimè reſponderit; Ex procatartica enim multiplicatur vel ſanguis, vel pituita, vel bilis, vel melancholia; Certum autem eſt ſanguinem, optimum ſuccum, & omnium benigniſſimum eſſe, vt potè nobis familiariſſimum, ille licet dum putreſcat, nobis inimiciſſimus euadat, vt penè inquam veneficus cenſeatur; Pituita autem, quæ ſanguini propinquior eſt, & ſemicoctum alimentum æſtimatur, ſua natura non omnino mala eſt, quia nullius ſaporis, & odoris cum ſit, nullam ideo ſenſibilem qualitatem habet, qua

 (ſublata

(ſublata quantitate) afficere apta videatur; & ſi dum nulli coctioni obtẽperans iam accida facta ſit, tunc à bona conditione remotior reddita pernitiem habeat euidenti annexam; at iam inter valdè malos humores ſalſa pituita collocanda eſt, quoniam externo ea calore exuſta, qualitatem penè virulentam adepta cenſetur; Sequitur bilis, quæ tenuior, calidior, ac ſiccior, pars humorum eſt, quæ & ſi dum propriam mediocritatem obtineat non omnino in nobis inutilis ſit, & noxia, attamen cum facile accendatur, inflammeturque, vt ideo in febri, præſertim putrida, excitanda primas ferè ſemper partes habeat, ea igitur quandocunque peccauerit, vt ideo febrim efficiat, quanto ſanè eadem exquiſitior, tanto deterior æſtimabitur; Succus autem melancholicus, & ſi terream nactus ſubſtantiam ſit vt propterea ægrè vincatur, nulla tamen omnino hoſtili, peſtiferaque natura (niſi quantitas vrgeat) ille donatur; At vbi ex bile exuſta duxerit originem, profectò ſuccus eſt omnium pernicioſiſſimus; namque bilis ex ſe, ob inditas ſibi excellentes qualitates, malus ſuccus eſt, & dum vel ſaltem exuberet, facilè noxius; quod ſi contingat eum, externo quouis calore vltro exuri, vt ſcilicet ex vitelino, porraceum, ex hoc eruginoſum, & tandem nigrum colorem conſequatur, non dubitandum quin magis, ac magis ille deterior, & pernicioſior fiat; Verum conſequenter horum in vnum iunctorum ſuccorum mixtio, ea ſemper lenior, in qua benignior ex his ſuccus præualet, ſæuior in qua deterior dominatur; Quamobrem primum à quo humore, antecedentis, vel coniunctæ cauſæ rationem habenti, febris fiat, ea præſertim ſi putrida, ſupponendum erit medico, dein quanta humoris eiuſdem propria pernities ſit, expendendum; Sanè quidem per comparationem, peccantis illius, ſecundum ſpeciem, præcogniti, cum reliquis, quantum pernitiei ex ſe habeat, planum erit; an verò vel ob quantitatem ſui maiorem, minorem vè, vel ob qualitatem deteriorem, benigniorem vè, pernitioſior fuerit, nec ne, meritò effectus prætenaturales interfebriendum aperiunt; Sunt effectus hi, & morbi, & ſimptomata, ex morbis febris eſt primus, quæ quanto ſæuior, tanto cauſam deteriorem docet; febri accedunt particulares partium corporis affectus, qui eis ex ſucci peccantis, ſiue ab vna febris origine, ſiue illuc per abſeſſum aliquando tranſmiſſi, præſentia, non rarò eueniunt, qui inquã aut ſimilares, aut diſſimilares ſunt; qui equidem quanto grauiores, tum ratione inſitæ conſtitutionis partium, tum ratione operum magis, vel minus pręſtantium per eas exercitarum, tum demum quatenus inde commodius humor qui peccat ſeſe cordi comunicat, vtique ſemper pernicioſiorẽ cauſam oſtendunt; vndè ſimptomata febrim comitantia omnia, quatenus effectus cauſę febris recognaſcuntur, adhuc malitiã cauſę eiuſdem maiorem, atque minorem demonſtrant; Sed tam hęc, quam quęque alia pręternaturam conſeqentia, & proportionata, & inproportionata ad cauſam febris (dum ab eadem cauſa duxerint originem) eſſe poſſunt, hoc eſt vel ex ęquo humori peccãti reſpondẽtia, vel maiora, minora vè; Si etenim adamuſſim reſpondeant, vtique ipſam cauſæ ſęuitiem pręciſe indicant; Si minora fuerint, eandem potius minuunt; Atſi maiora, ſanè virulentiam in cauſa latere certum argumentum prebent; tunc quippè ea, nempè humor peccans, qui febris, ſequentiumque affectuum cauſa eſt, quamquam etiam febrim faciat placidam, & parum vehementẽm, eo quoniam vi ſua, maiorem excitare calorem nullatenus poſſit, attamen dein, breui temporis tractu, malignos effectus multos, & accidentia itã

plura,

plura, eaque peſſima, inferat, vnde vita magnum diſcrimen ſubeat, quia inde cor, ſubindeque vniuerſum ſummè afficiatur, atque ita vires nimis afflictæ pateant, vtrique humor ille virulentus valdè æſtimandus, vel cauſa febris, quæcunque fuerit, pernicioſiſſima iudicanda eſt.

QVADEMVM ARTE, ſeu methodo, de febrientis exitu, ex his, quæ hactenus expreſſa fuere, præſagiendum ſit, veluti per compendium repræſentatur.

CAPVT QVINTVM.

IAM itaque ex his, naturæ, artiſque, & febris, ſimptomatum, ac præternaturalium omnium viribus, inuicem comparatis, licet medico de febrientis exitu, nunquid letalis, vel ſalubris ſit futurus, prudenter iuditiū facere; Etenim iuxta doctrinā in methodo traditā, ſi naturæ vires ex vna, & febris ſæuitiē ex altera parte in arenā ad inuicē decertandum, inſiſtendum inquam, & reſiſtendum, deſcendiſſe ſuppoſuerimus, atqui inſuper vtriſque ſuos adiutores eſſe conceſſos, obſeruauerimus; nempè naturæ viribus, artem ipſam multis ex induſtria operibus, & inſtrumentis munitam, ad reſiſtendumque bellè vallatam; febri autem, cauſas, ſimpromata, aliaque plura ad inſiſtendum, vitæque inſidiandum accommodata, profectò recto adhibito mentis intuitu, non admodum difficilè erit, penes quem futura ſit victoria coniectare, & quamquam coniectura ſæpe fallax eſt, vt plurimū ſaltem, ad ſufficienter conſequendam veritatem, ea intellectum noſtrum dirigit; Quamobrem diligenter primum robur virium in febriente æſtimabitur, nec ſolum vt præſens illud fuerit, ſed adhuc vt futurum eſſe credi par eſt; Robori huic poſtea aliud artis robur ſupermeditabitur, ex quo viribus eiſdem auxilium ſuppeditetur, an porrò vnà cum viribus ipſis, illud magnum, debile, vel mediocre cenſendum ſit, ita vt tandem ad inſiſtendum febri, illamque ſequenribus omnibus, magis, vel minus prompta omnia, tam præſentia, quam futura æſtimanda ſint; Deinde ad febrim ipſam tranſeundum, eiuſque ſæuities diligenter expendenda, tum inquam quæ præſens eſt, tum quæ futura coniectatur; Febri addenda ſunt præternaturalia omnia ipſam conſequentia, cauſæ inquam omnes, omniaque ſimptomata, & ſi alia fuerint contemplatione digna; quorum inquam omnium ſingulatim ea habenda ratio eſt, qua commodè conſtet quantum febris ipſius ſæuitiem, tum præſentem augeant, tum futuram quoque augere apta nata ſint, adeo quod ſuo præternaturali in ipſas naturæ vires incurſu, vel magnas, vel paruas, vel mediocres ſolum inſidias moliri ita æſtimare liceat, vt deinceps de fine ſalubri, aut letali, iuditium rectum pro poſſe habeatur; Verum intermeditanda hæc, & ex proprijs notis perquirenda, vbique ac ſemper indicantium tum numerum, tum

præſtantiam, tum denique magnitudinem attendere operæ pretium eſt, quoniã ex conditionibus hiſce rectè ſuppoſitis tutius eſt aſſequi veritatẽ; Sed præcæteris conſtantia indicantium omnium neceſſariò deſideratur, ſine qua certè iuditium omnino fallax eſt, quo autem morbi tempore, & quatenus conſtantia obſeruanda fuerit, aliàs ſatis in methodo expreſſum eſt; Demum verò vt qualis febrientis exitus letalis ne inquam, an ſalubris ſit futurus, prudenti medico pateat, quæ ibidem vniuerſim in omni morbo examinanda docuimus, etiam in febri expendenda eſſe dicimus omnia; Verum enim verò quando tandem ille expectandus fuerit, poſtremo loco, iuxta præcepta ibidem etiam tradita, perquirendum reſtat; Tunc equidem ſalubris febrientis exitus eſt futurus, quando natura febrim vicerit, letalis, quando naturam febris; Sed hoc victoriæ vtriuſuis certum tempus, longum nè, vel breue cenſendum, ex reſiſtentis naturæ, ac artis promptitudine, & ex febris annexorumque ſimptomatum, ac cauſarum ad inſiſtendum itidem facilitate, habilitateque, poſt ipſam iam pridem vtrorumque, in agendo, & patiendo, potentiam agnitam, ſatis euidenter percipitur, poſteaquam ad agendum, & patiendum promptitudo, atque habilitas, ſiue facilitas, potiſſimum eſt operum quorumuis celeritatis; principium tarditatis autem contra; Ergo ſi natura per ſe, vel adhuc arte adiuta, ad inſiſtendum febri, ſimptomatibus, & cauſis, promptior fuerit, vtique victoria, per ſalubrem exitum, expectanda, eaque inſuper quanto citius; Contrà ſi febris per ſe, vel ſimptomatibus adhuc, ac cauſis annexis, naturæ etiam arte adiutæ inſiſtens, eamque longè ſuperans, prompta nimis fuerit, neceſſario letalem exitum præuiſum celerem, & breuem omniquaque faciet; longius autem ille protrahetur, ambobus, natura ſcilicet, & febri, cum adiuuantibus, aduerſis, æqua potentia, & promptitudine, dimicantibus; Et quidem vera ſunt hæc, dum vtrinque potentiæ, atque promptitudinis certa conſtantia, vel perſeuerantia adſit, quippè vno, vel altero per progreſſum ſuccumbente, vt iuditium intempeſtiuum ſemper eſt, ita neceſſariò illud fallax Cæterum promptitudinem, habilitatem vè hanc, ſenſus per ſe minimè percipit, ſiue ea ſit ex parte naturæ, & artis, ſiue ex parte febris, ſimptomatum vè annexorum, atque cauſarum; quamobrem illa mente, ex effectis, & cauſis, perueſtiganda; Porrò primum effectus naturæ, vel artis, conſpicui ſunt per ſe ſatis, vt ex hactenus explicatis apparet, an autem promptitudinem in febrienti quouis arguant, palam conſtat ex temporis breuitate, vel ex ipſa demum ſolicitudine, qua ſe ſe maiores, aut minores proferunt ſenſibus Etenim ſi niſi poſt longum tempus, ac ideo ſegniter natura per ſe ad reſiſtendum inſurgat, vel adhuc illi, ars parum, aut nihil, opem ferat, vt perinde æger difficilè, ac lentè, repreſſo morbo, ſimptomatibus, & cauſis, ſubleuari videatur, proculdubio tunc tarditas ſemper iudicanda erit; & vtique magis, ſi idem ex parte febris, ſimptomatum, ac cauſæ, obſeruari contingat, vt ſi inprimis, febris lenis fuerit, & mitis, inſuper & ſtabilis, ſibique ſimilis, & parum varia, ideoque naturæ minus infenſa; Si dein ſimptomata adſint, parum, vel minimè actiones præcipuas, neceſſariaſque affligẽtia, quia inquam cauſa ipſa proxima, ſiue coniuncta ita ſe habeat, vt lentos ſemper proprios effectus facere videatur, profectò tunc li-

cet de

cet de tarditate coniecturam facere; Atqui contra ſi naturam, artis præſertim ope adiutam, generosè ſuſtinentem inſultus, aſpexeris, & valenter febri, ſimptomatibus, ac cauſis reſiſtentem obſeruaueris; Vel potius febrim, ſimptomata, & cauſam, naturæ viribus valenter inſultantem, & illis impetu prompto, ac manifeſto, ruinam molientem conſpexeris, iam ſanè exitum ſalubrem, aut letalem celeriter expectandum iudicabis; Et quidem per effectus de exitu febrium ſic æſtimandum eſt. Atqui per cauſas accuratius fortaſſe idem aſſequi eſt conceſſum, cauſas celeritatis, ac tarditatis, ad inſiſtendum, vel reſiſtendum, diximus aptitudinem, vel ineptiam naturæ, & artis, vel febris, ſimptomatum, ac cauſæ; Sed primum ægrotantis alicuius natura, ſecundum vires, ad inſiſtendum, magis minus vè ſolicita eſt, prio virium earundem robore, quippè dum illud validum, firmumque ſit, neceſſario vires ad reſiſtendum promptæ, atque ſolicitæ ſiunt; Contrà ſi illud inualidum, infirmum vè fuerit; Dein vbi ars ipſa appoſitè, & pro voto, opem ferat, meritò natura adeo viget, & excitatur, quod nuſquam aliàs, minus ſi ars nulla, vel perperam fuerit; Atque hinc potiſſimum euenit, vt vel citius, vel tardius, febrientis ſalubris exitus præſto ſit; quamquam ex quo febris ad inſiſtendum velox, vel tarda eſt, pro ſui vehementia, & magnitudine; inſuper & ex quo fortaſsè ſimptoma febri annexum, actionem vitæ ſeruandæ, aut febri, cauſæ vè eius pellendæ, præcipuam, magis, aut minus euertit, & demum ex quo cauſa febris ſua quantitate, aut qualitate ita ſe habet, vel ſede ea tandem collocatur, vt non niſi ſerò à natura, vel arte, attingi, vinci, & ſuperari poſſe videatur, aut contrà: Idcirco tum breuior, tum longior ægrotantis exitus expectandus eſt; breuior quidem, & ad ſalutem, ſi febri quantumcunque etiam vehementi, & validæ, ex ſe, vel ob cauſam, aut ſimptomata, vires nihilominus, & ars, generosè colluctentur, atqui ad mortem, ſi eædem parum, aut nihil contranitantur; Verum longior, at ſalubris, ſi febri, cauſæ, ac ſimptomatibus vehementibus, & validis, vires potentes commodè reſiſtant, quippè illis ſufficienter obluctantibus quiſque præternaturalium rerum impetus appoſitè reprimatur; letalis autem, ſi viribus ipſis ex æquo licet dimicantibus, tandem attamen ille febri, ſimptomati, aut cauſæ aliquando ſuccumbant; Verum his quamquam ſic ſe habentibus, non facilè tamen videtur certo dierum numero longitudinem, aut breuitatem exitus (vel ille ſalubris, vel letalis ſit futurus) definire, ex quo difficilè, ac penè impoſſibilè ſemper fuerit, quantum, & quouſque, in hoc ſingulari naturæ, & febris certamine, vtriuſque futuram potentiam adamuſſim intelligere; Sat nihilominus ſemper verum, febres, quæ vel per ſe, vel ratione ſimptomatis, vel demum propter vtriuſque cauſas, in latitudine vehementium morborum conſiſtunt, eas neceſſario fore breues, & ſpatio dierum paucorum definere conſueſcere; Quæ autem in latitudine placidorum fuerint, niſi ex lænitate cauſæ tales ſint, omnino longiores, attamen aliæ mediæ ſemper æſtimabuntur omnes; Sed quod ab vna, in aliam, febres hæ facilè degenerent, perindeque alienam, tum ſpeciem, tum conſuetudinem adipiſcantur, vel quia ſaltem illis ſimptomata ſuperueniant, quorum occaſione febris ſæuior forſam euadat, merito

ideo

ideo difficilius valdè, dierum numerus, quo duratio præſcribatur, decernetur; Prudens ergo doctuſque medicus, vt non niſi omnibus diligenter, & accuratè perſpectis, de exitu febricitantium iudicaturus eſt, ita profectò non niſi accuratius, & diligentius eiſdem examinatis, de longitudine, & breuitate, decernet.

Digitized by Google

DE RATIONALI,

Et recta febrium omnium curatione.

PARS TERTIA:

DVPLICEM SCOPVM IN CVRANDIS febribus attendendum eſſe, tum nempe conſeruationem eorum, quæ ſecundum naturam ſunt, tum deſtructionem eorum, quæ præter naturam adſunt, atqui primum de conſeruatione per inſtaurationem agitur.

CAPVT PRIMVM.

CVRANDARVM autem febrium rationabilem methodum nunc pro viribus tradituri, eos vtique ſcopos, qui in corporis humani præter naturalibus affectionibus quibus vis deturbandis, depellendis vè, præ oculis ſemper, & neceſſario habendi ſunt, principio commemorare operæ pretium eſſe duximus, vt inquam nos in illos perpetuo intenti, præcepta agendorum omnium fine recto inſtituamus; Sunt porrò hi duo potiſſimum, horũque primus, vna inditæ conſtitutionis, indeque naturæ virium ſalus, & conſeruatio; alius verò omnium, quæcunque fuerint, quibus corpus perperam afficiatur, diligens, & accurata depulſio, quæ quamuis operibus, & inſtrumentis appoſitè ſucceſſura videatur, in caſſum attamen, ipſo naturæ virium beneficio deficiente, à medico expectatur, vanaque ab eo tentata curatio fit; Et naturalia ergo vnde robur virium viget, & præter naturalia, quibus vita periclitatur, cum in

ægris

gris ſemper ante curationem præcognoſcenda ſint omnia, iuſtum ſanè erit, ſi & in febriſi curatione inſtituenda duobus hiſce potiſſimũ præmeditatis, quæcunque ex illis rationabiliter indicantur, eadem proſequemur; Et ſi ex quo non omnibus competant omnia, vt nec ſingulis ſingula conueniunt, ideoque nec opera, nec inſtrumenta ſemper eadem, vel naturalibus conſeruandis, vel præternaturalibus deſtruendis congrua futura ſint, propterea adhuc meritiſſimè factum ſi inter eaſdem curandas febres, præmiſſis vniuerſæ artis medicæ legibus, illiſque circa vnumquodque indicatum diligentiſſimè obſeruatis, nec aliàs, intentum opus aggrediatur; Sunt leges hæ tres, harumque prima eſt; Quibusque quale congruat, tale deligendum, adparandumque eſſe; Secunda eſt; Tantum illud quantum expetitur, præſcribendum ſemper eſſe, adminiſtrandumque, Denique tertia eſt; Vt quo temporis momento illud opportunum ſit futurum, accuratè exhibeatur; De quibus legibus vniuerſim ſatis in methodo dictum; Ergo hiſce præmiſſis, propoſitam febrium curationem aggredientes, à naturalium omnium, & ſubindè virium ægri conſeruatione, ordiemur; Digniſſimę etenim hæ vires ſunt, quod illis deficientibus vita cadat, & fruſtra, vt dictum eſt, omnis medicæ artis induſtria ſit; Quamobrem vt in quouis ægro illæ tanquam primo vrgentes, tum nutritione, tum fotu, primo conſeruandæ ſunt, ita in febrienti ſemper, earundem virium gratia, quæ nutritio, & qui fotus maximè, conueniat, ſtatim, vel ipſo ægrotantis occurſu, examinandum diligenter, incumbendumque, vt quodcunque huius occaſione deſideretur, indicetur vè, illud adamuſſim, ſi liceat, præſcribatur, adminiſtreturque; Certum eſt autem, vno victus regimine recto, vtrumque aſſequi optimè poſſe, poſteaquam vel debito aſſumpto pabulo, naturalia omnia, vt alias demonſtrauimus, in ægris plurimum afflicta, ac perturbata, reſtaurentur, ſpiritusque inprimis facilè reparentur, quibus potiſſimum vires ipſæ ſeruantur, ac vigent; Præterea verò rationabili, & appoſito reliquorum ad vitam deſideratorum, per idem regimen, vſu, ita cuncta refocilentur, ſpiritusque præſertim recreentur, vt perindè natura licet vndique laceſſita, ſeruari tamen commodè videatur. Itaque primum ipſi naturæ, & viribus eius conſulentes, appoſitum febrientis victus regimen exponemus; à nutritioneque, quæ paſtu rectè adminiſtrato celebratur, ſumpto exordio, legibus in omni patrãdo opere ſeruandis ſupra cõmemoratis innixi, qualitatem, quantitatem, & opportunitatem, in eodem paſtu adminiſtrando, ſeruandam explicabimus; Appoſitam quidem qualitatem indicat naturalis ipſa hominis, quamquam ægrotantis, conſtitutio, quæ vel vna ſeruandarum virium occaſione, per conſuetam nutritionem, refici ſemper exoptat, ſiquidem ſemper talem ea ſibi parari debere paſtum oſtendat, per quem more conſueto aptè inſtauretur, & conſeruetur; Verùntamen cum, ex ſuppoſito, eadem met conſtitutio, vnà cum viribus, per febrim, iam labefactetur, meritò non indifferenter paſtus omnis, aliàs forſam admiſſus, per id temporis vtiliter conuenit, poſteaquam febri pellendæ ille tunc fortaſſe non congruat, & longè minus etiam cauſæ febris aptus exiſtat, vt adhuc plerunque ſimptomati annexo non ſatisfacit; Itaque hic eouſque prudentem medicum eſſe operæ pretium eſt, quo cuiuſque indicantis neceſſitate diligenter conſiderata, omnibuſque interſe collatis, vnam idonei paſtus qualitatem, quæ ægrotanti leuando ſit commoda, ipſe bellè decernat; Sed poſito, hic nos per qualitatem, non quam-

quamuis primam tantum, nempe frigidum, calidum, humidum, & ſiccum, intelligere, verum etiam ſecundam, vt durum, molle aſperum, lenè, aſtringens, laxans, & aliam quamcunque ſimilem, vtique à viribus ſemper paſtus cuiuſque qualitatis admittitur, qui tamen ex conſueto cõſtitutioni nutriendæ fuerit conueniens, qui inquam exhibitus deperditũ reſtituere aptus ſit, cui ſi præterea addita ſit iucunditas, vel gratia, aptior adhuc, vtiliorque æſtimetur; Neque enim vſquam impedit quo minus virium ſaltem reficiendarum gratia, per ſanitatem, paſtus huiuſmodi ſalubriter exhibeatur; Inter febriendum autem ſemper febris ipſa & ſæpiſſime cauſa eius, ac ſimptoma interdum febri annexum, illum non admittit; Quoniam febris morbus ſimilaris eſt, quem pellere potiſſimum medici eſt conſilium; eſt verò per ſe intemperies calida atque ſicca, quæ cõtrarijs alterantibus, frigidis ſcilicer, & humidis excluditur; Ergo febriẽti ſi quis paſtum calidum & ſiccum aliquando præſcribat, proculduo ille, licet viribus ex conſueto per ſanitatem proſpiciat, febrim tamen fouebit euidentiſſimè, augebitque; quare paſtus duntaxat, qui frigidus, & humidus, hoc eſt calori, & ſiccitati febris, tum maiori, tum minori iuſta proportione reſpondens, dum viribus attamen reficiendis commodus æſtimetur, febrienti, vt contrarium contrario, adminiſtrandus eſt; Quamuis non ideo actu frigidum illum neceſſario parare operæ pretium videatur, cum virtute ſolum talis ſat ſit, potione ſemper excluſa, quæ ex conſueto actu frigidior expetitur, vt contra cibus calidus magis quam frigidus, eo forſam aliquando excepto, qui excitandi appetitus occaſione proponitur; Sed cum poſt febrim, quæ præſertim conſiſtens putrida fuerit, cauſa etiam coniuncta eius, hoc eſt humor quantitate, & qualitate peccans, præſens ſemper ſit, illeque ideo præternaturalis exiſtens, & ideo excludendus, aut ſaltem ne ſua mole, aut prauitate, vno paſtus improportionati vſu, vltro augeatur, intercipiendus, ſanè tunc, & iure, dum paſtus ipſe præſcribitur, eum imprimis donari qualitatibus, tum primis, tum ſecundis, neceſsè eſt, quibus omniquaque id optimè præſtet; putà ſi quoniam humor, qui febris cauſa eſt, vna tantum caloris externi occaſione putreſcens excandeſcat, vtique vt ille refrigerantibus deferueſcit, ita refrigerantem paſtum duntaxat admittit; Sed ſi adhuc ille craſſus, viſcidus, & obſtruens putreſcat, excandeſcatque neceſſario paſtum craſſitiei etiam, viſciditatique minus fauentem adminiſtrandum iudicat; Præterea vt non omnes humores ſimiles, nec eodem modo omnes febrilis caloris cauſa ſunt, ita ex æquo nuſquã paſtus ſubſtantiæ eiuſdem, & conſiſtentiæ, in omni febri vtilis cenſetur, namque bilis, quæ in febribus hiſce putridis nuncupatis, efferueſcens, vt plurimum, viget, ea ſemper paſtu, qui tenuis eſt, & facilè bileſcit, multiplicatur; quare tunc ille, qui quidem refrigeret, & acrimoniam obtundat, inprimis conueniens eſt, attamen qui inſuper craſſior potius, quam tenuior exiſtat, quod ſi pituita (vt aliquando melancholia) bili copioſè permixta, per ſuam viſciditatem, atque craſſitiẽ, obſtruens, febrim longius foueat, vtique illa tunc, vt attenuantium, & detergentium vſum, maximè expetit, ita etiam tunc paſtum refrigerantem ſatis, at minus craſſum parandum oſtendit; cæterum magis ſiccum, ſi pituita ſit multa, & humidum magis, ſi pauca, eaque ſi ſalſa fuerit magis; Vnde vel hanc vnam ob cauſam certum eſt paſtum, in qualitatibus, & ſubſtantia, in febrium curatione, rarò ſimilẽ, at multifariam varium eſſe oportere; Accedunt ſimptomata, quæ diuerſa, ac multipli-

Digitized by Google

cia febricitanti contigunt, quæ inquam vt quadantenus intercurandum leniantur, ſaltem vè minus irritentur, paſtum certis qualitatibus præditũ adhibendum indicant, & quidẽ non ſolum ſi circa vitales actiones ſimptomata obſeruentur, ſed ſi præſertim circa naturales eueniant; Talia enim ſimptomata cum nutritioni, & curationi offitiant nimis, meritò etiã ne paſtu foueantur, incumbendum eſt, ſcelecta nempe ſubſtantia, ſcelectisque qualitatibus in eo (ſiue primæ hæ, ſiue ſecundæ ſint) quæ operi propitiæ, & vtiles futuræ ſunt; Verum quod hæc omnia, non eadẽ ſemper, nec ſimilia, vt hic ordine tradi valeant, ob ſimptomatum varietatẽ, eſſe poſſint, vt certum eſt, vtique per ſummam medici prudentiam, potiores ſemper qualitates eis conuenientes procurandæ, illæque inſuper artificialibus qualitatibus alijs, ſeu modis; Arte coquinaria, inuentis, adiuuandæ, accommodandæque ſunt, vt operi tandem intento aptè reſpondeant; Et quamuis ex quo tanta, in deligendo ægrotantium paſtu, medico ſint contemplanda, atque neceſſe ſit, vt vel plerunque hæc in vnum conueniant omnia, interdum contrà, non conueniant, & ſæpe vt partim conueniant, & partim non conueniãt; Ideo adhuc prudenter attendendũ, quod ſi ita conueniant, vt paſtus talis præſto ſit, qualis omnibus æque aptè ſit ſatisfacturus, quod inquã ille tunc proprius adminiſtretur; Si verò nullatenus conueniant, vt inquam paſtum ſimul & ſemel omnibus congruum dare impoſſibilè ſit, habita ſanè tunc omniũ, & ſingulorum coſideratione, numeroque diſſentientiũ collecto, dignitate dein, & excellentia magis vrgentis obſeruata (quippè ſemper attendendum pluribus, attamen vrgentioribus magis) iam merito iuxta prædominium, paſtus idonei electionem facere opus eſt; Quod item faciendum, ſi partim conſentiant, & partim diſſentiant, vt inquã adeo ſatisfactum omnibus ſit, quod nulli, ſi liceat, officiatur; Poſt cognitam autẽ paſtus febrientis idoneam qualitatẽ, neceſsè eſt proportionatam quantitatem eius determinare; Quod ſanè quamquã difficilè ſemper medicis eſt viſum, ex quo nihil ſit in arte medica, quod tantum faceſſat negotium, eãque tantum reddat coniecturalẽ, quantum proportionata auxiliorum quantitas, cum ea tamen in rectè præſcribendo paſtu ſummè neceſſaria videatur, vtique ſaltẽ, quatenus liceat, eam determinare eſt operæ pretium; Et quidem ex duobus potiſſimum ſuppoſitis; Quorum vnum eſt, ipſa virium maior, minor vè deſiderata per nutritionẽ refectio; Et alterum eſt, viriũ earundẽ, ex febris, cauſæ, aut ſimptomatis, ſæuitie inſultante, impedienteque, ſufficiens, vel inſufficiens tolerantia; Etenim vires eo paſtum neceſſario experere certum eſt, quo aptè per nutritionem reficiantur, quippè aliàs à maiori opprimantur, & ob minorẽ diſſoluantur; Interea verò quia refectio virium hæc poſt coctionem ſequitur, quandoquidem coctione tantummodo celebrata, vera ſuccedat aſſimilatio, indeque deperditi inſtauratio fiat, meritò exhibendus hactenus paſtus eſt, quatenus commodè concoqui ille poſſit, & aſſimilari, hoc autẽ pro maiori, aut minori virium impedimento contingit, quo ſcilicet magis, aut minus ipſe à coctionis, & aſſimilationis munere diſtrahuntur; Ergo intercurandas febres paſtus tantus rationabilis cenſendus erit, quantus tum virium reficiendarum neceſſitati ſufficiat, tum earundẽ præternatura impeditarum tolerantiæ adamuſſim reſpondeat, Primum autẽ, nempè quo nam vſque in febrienti vires per ſe neceſſariò reficiendæ ſint, ex duobus prẽſertim patet; Tum ſcilicet ex conſueto, & per ſanitatem proprio, quatenus multum, paucum, aut mediocre pabulum expetant; Tum ex præcognito

receſſu

receſſu eorum, quæ in febrienti, cum ſecundum naturã fuerint, iam ideo pabulo reſici, & reparari, facultatis nutrientis beneficio, ſummopere cupiunt; Secundum verò, quanta inquã ſit virium interconficiendum pabulũ tolerantia, & ex excretis, ac effectis alijs, coctionẽ ipſam tunc inſequentibus, & demũ ex febris, cauſæ, vel ſimptomatũ annexorum magnitudine, atque exceſſu, conſpicuũ eſt; Siquidẽ poſito vires, per ſanitatem, copioſiori, aut tali ſaltẽ qui copioſiori reſpondeat, vti paſtu conſueſſe, vtique per febrim ſemper eodẽ ſatis copioſo vti neceſſe eſt, non item ſi contrà; Inſuper dato, vel ex febri, vel ex cauſa eius, aut annexo ſimptomate, tum ſpiritus, tum demum corporis habitũ palam diſſolui, diſſiparique nimis, ſanè tunc vt inſtaratio copioſior expetitur, ita pabuli ſubminiſtratio generoſior, etiã ſi contrarium ſuaſerit conſuetudo, deſideratur. quamquam vbi aliàs oppreſſio ſpirituum ex humorũ multitudine ſit ſuſpecta, & adhuc corporis habitus præternaturam turgidus cenſeatur, tunc minus ſemper nutrire febrientẽ neceſſè eſt; Cæterum cum per viriũ tolerantiã paſtus à medico ſubminiſtrandus ſit, vt dictũ eſt, profectò dum ſemel & totus ille ſimul confici, ob debilẽ tolerantiam, nequeat, prudenter partiendus eſt, & per vices duntaxat, etiã reluctante conſuetudine, adminiſtrandus; Ad hæc, intercurandas febres, non minus exhibendi paſtus opportunitas, cum præceps ea ſemper ſit, negotiũ faceſſit, quã quantitas eius, ob incertitudinẽ, faceſſere videatur; verumtamen quod, certioribus forſam inditijs, tẽpus cibandi haberi, vt plurimũ, ſoleat, illud idcirco, quamquam præterfluens eſt, tutius, & euidentius, viro docto, & ſufficienter exercitato, patet; Certum & ſi ſit, & omnibus notum, ijs præcæteris temporibus, ægrotantẽ quemuis cibandũ neceſſario fore, cum pabulũ ſibi miniſtrari per ſanitatẽ ſolet, dum interea tamen virium illius ad conficiendũ ipſum tolerantia præſto ſit, quandoquidem qui ſemel, bis, aut pluries in die, per ſanitatẽ, certis horis, cibari conſueuit, vt quaſi ex naturæ præſcripto, tunc, atque toties, neceſſario cibum expetit, ita & tunc etiam tẽporis, veriſimilè eſt ab eodẽ illum facilè ſuis viribus tolerari, confici, & in nutriendi ſubſtantiam cõmodè tranſmutari; Ergo cum per id conſueti tẽporis duntaxat ſalubris cibus ſit, vtique quia à conſuetudine, eaque inprimis laudabili, nefas eſt ægrum decedere, meritò quoque tunc æger ille cibandus erit; A conſuetudine autem hac ſæpe per febrim diſtrahit tolerantia, quę proculdubio, vel febris ipſius, vel cauſæ, vel ſimptomatis annexi, nimium fortè ſæuientis, occaſione, per id temporis, quod aliàs cibandi conſuetum per ſanitatẽ fuerat, valdè euidenter diminuta, depræſſa vè eſt, vndè aut nullum, aut paucũ tunc paſtum admittit; Etenim dato ægrũ, die quouis, hora certa, per ſanitatem cibũ aſſumere conſueſſe, tuncque illum aſſumptum optimè conficere, attamen iã momento eodem, aut febrim ipſam exacerbari, & vires ſupramodũ affligi, quod & tunc cauſa ipſa febris, putridus nẽpè humor turgeſcens excandeſcat; aut demũ ex ſimptomate febrientem tunc adeo affici, ac perturbari, quod vires ab omni naturali opere diſtrahantur, ita vt paſtũ confecturum illi præbere, afflicto afflictionẽ addere ſit, vtique & iure quamquã alias per id temporis paſtus foret opportunus, ob imbecillitatẽ tamen, ſeu etiã non tolerantiam, perperam adminiſtratur, & vel nullus omnino conuenit, vel paucus ſolũmodo permittitur; Contra ſi febris, ſimptoma, & itẽ cauſa, in eo conſiſtat, quod parũ, aut nihil, ex ipſis, ab integris operibus deſideratæ nutritioni inſeruientibus, natura diſtrahatur, ſanè per tẽpus conſuetũ æger, qui febri laboret, ſufficienter,

 & vt

& vt decet, paſtum aſſumit; Et cum id ita ſe habeat profectò tolerantiā hanc præſſius, per febris ipſius tēpora, obſeruare, maximè neceſſarium eſt, varijs quippe illis exiſtentibus, vt per vniuerſum progreſſum, varia, diuerſaque, tum febris, tum cauſæ, tū item ſimptomatis annexi, ſæuities eſt, quæ & magis, atque minus operantē naturam diſtrahat, ita ſanè ex quibuſque ſebris appoſitè agnitis temporibus, an multum, an paucum, ex his, impedita eadē natura ſit, ideoque promptè magis, aut minus, deſideratū pabulū toleret, euidentius conſtat; Sunt quidē febris, vt & aliorū ſalubrium morborū, tempora quatuor, principiū videlicet, augmentū, ſtatus, & decrementū; Atque vt ipſo principio leuior adhuc febris eſt, nec ideo tunc vires plurimū labeſactatæ, afflictæ vè ſunt, præterea verò ſenſim aucto malo, illæ magis afficiuntur, & languent; Ita per ſtatū in ſummo labore, modo licet grauius, modo leuius, pro febris magnitudine, perſiſtentes, paulo poſt, per declinationē inquam, eædē quodāmodo reſurgunt, & quaſi ſublato impedimento, modò longius, & modò breuius, pro morbi, tēporumque eius longitudine, iterū reuiuiſcunt; & vel hac vna tēporum ſerie, qua virium tolerantia in ſebri æſtimanda eſt, pabulum accuratius laboranti præſcribitur; Quandoquidem per initia, quibus vires parū à ſtatu ſecundum naturā deceſſiſſe patet, paſtus quantus indicatur, tantus rectè adminiſtratur, & toleratur; Sed quāto febris eadē auctior, & maior facta videatur, tanto minorē æger paſtū feret; Atqui per ſtatum, omnino minorē, tenuiorē vè; Senſim autē copioſiorem, generoſioremque, declinatione iam apparente; Quot itē longius, aut breuius ſemper obſeruandū eſt, pro ipſa temporis longitudine, vel breuitate, quæ vtique in ſebribus, & præſertim putridis, varia, atque diuerſa eſt, quippe in aliquibus breue ſit principiū, augmentum verò longum, & ſtatus ipſe breuis, ſed declinatio diuturna; vel contra longiſſimū principiū, at augmentum breue, ſtatus verò longus cum fuerit, declinatio tamen breuiſſima adeſt: Quod in febri fixa, & habituali, aliàs obſeruatur, ea quoniā perpetuò ſit in augmēto, atque quatenus augetur, eatenus habita ratione viriū, tā vniuerſaliū, quā particulariū horis per ſanitatē conſuetis, paſtus deſideratus ſemper adminiſtrādus eſt; Cæterū poſt tēpora hæc quatuor, quæ toto febrium purridarū progreſſu obſeruanda eſſe diximus, ad huc ad certiorē cibandi opportunitatē in febribus conſequendā, earundē febrium circuitus proprios animaduertere oportet; Nam ſebres hæ omnes, certis tum diebus, tū dierum horis exacerbantur, aut recurrunt: vt ſi continuæ fuerint (vna, quæ à ſanguine eſt, tantum excepta) exacerbantur, & excandeſcunt; Si autē intermiſſerint, de nouo recurrunr, & reuiuiſcunt, modo aliàs explicato; Atque circuitus hi in illis diligenter attendendi ſunt, quod horum occaſione, modò citius modò tardius, vt modò etiam craſſius, modòque tenuius, febrientes ipſi cibandi ſint; Etenim à principio tā acceſſionis, quā exacerbationis, vſque ad integrū ſtatū eius, ab omni cibo abſtinere neceſſarium eſt, eo quoniam toto temporis ſpatio vires magis afflictæ nutritioni minus incumbunr, per declinationē verò, qua vires liberiores euadunt, expetitus ſemper cibus tutò dari poteſt, & inſuper tutius reliquis temporū interuallis, quibus vel febris nulla, ſi ea intermittens fuerit, vel ſaltē mitior, ſi ea continua ſit, tunc ſiquidem vires, ſi vel vnquam, validiores, & generoſiores exiſtentes, omnino paſtū appoſitum admittunt, & ſi adhuc illud temporis momentum, tunc per delectum obſeruare neceſsè videatur, quod longè, aut ante, aut poſt, ab exacerbatione, vel acceſſione diſtet, dum tantam tamen cibationis diſtantiam

ſtantiam vires commodè ſetant; Interdum enim ne cadant, (hoc in tenui ſqualidoque febrientis habitu, qui facilè diſſoluitur, & magno tabis periculo, ex inedia, exſiccatur, vt contra euidenter, ex oblato pabulo, ſubleuatur, perpetuò experimur) cogimur etiam breuiori ſpatio, vel integrè, ſi liceat, vel ſaltem partitè cibum adminiſtrare; Sed quæ præciſe ſint momenta hæc, tum exacerbationis in febribus continuis, tum acceſſionis in febribus interpolatis, principij nempe, augmenti, ſtatus, & decrementi, & ſi nemo tam impediti ſit ſenſus, cui non ſatis facilè pateãt, ea nihilominus hic paucis indicare liceat; Sanè exacerbationis principiũ eſt, quando per continentem febrim calor in corde & vniuerſo efferueſcens, ita excandeſcit, vt iam etiam ſimptomata eundem calorẽ ſequentia ægrum palã afficiant; Augmentũ autem eſt, ſi ſucceſſiuè maiora euadant omnia, ſæuioraque; At tunc ſtatus eſt, quando eadẽ in adepta magnitudine quodammodo vigentia adhuc manifeſtè conſiſtunt; Atqui declinatio ſolum vera cenſenda eſt, cum & calor deferueſcit, & inde nata ſimpromata apertè miteſcunt, vel omnino deficiunt; Ad hæc acceſſionis principium, per interpollatam febrim eſt, quando æſtimæ corporis partes frigeſcere, ſeu rigeſcere quadantenus incipientes, mox intrinſecus circum præcordia lancinans feruor præſentitur; Augmentum tunc eſt, dum inſuper iactatur per internam turbationem corpus, dolet æger, & vna emergunt cum rigoribus ſimptomata; Status autem eſt, quando ſummum adepta vigorem omnia conſiſtant; Sed declinatio tandem adeſt, ſi rigoribus iam ſedatis, ſimptomatibuſque planè deficientibus, calor qui intus circonuiſcera, magno ægri tormento efferbuerat, ad extimas vniuerſi corporis partes transfuſus animaduertatur; Verum quod neque ſolum per tempora hæc, vnius febris, modò maioris, & minoris modò occaſione, virium tolerantia varia, diuerſaque eſt, vt perinde hinc duntaxat paſtus varius præſcribatur; Sed præterea, vt præmittitur, tum ob cõiunctæ cauſæ, tum quoque (omnibus prætermiſſis erroribus) ob annexi ſimptomatis ſæuitiem, & porrò aliàs, per eadem tẽpora, ordine certo, aliàs autem incerto; quoniam inquã licet vt plurimum ſimptomata ſequantur febris magnitudinem, ob eoque illa modò maior, modò minor cenſeatur, ſæpe tamen eadẽ potius cauſam febris comittãtia ſunt; Vnde & ſi ſæpè febris vrgeat, vrgeantque ſimptomata ipſa, interdũ nihilominus magis vrget cauſa; Quamobrem non raro contingit, vt per febris initia, ob redundantes ſolum in prima corporis regione humores, cibatio deſiderata potius impediatur, aliquando autem vt ſola eorundem humorum alibi exundantium, aliundè vè fluentium occaſione, idem alijs temporibus eueniat; Et contra interdum obſeruamus alicuius ſimptomatis repẽtim occurentis cauſa, cibationem, etiam intempeſtiuè ſolicitandam eſſe, vt ſanè in his, qui per acceſſiiones, ob nimium oris ventriculi ſenſum facilè delinquunt, quibus ideo aliquod, recreationis ſaltem gratia, neceſſariò præſcribitur; Interdum verò eadem ex cauſa, cibationem retardare oportere, vt vel mediocriter exercitatus, in febrienti varijs ſimptomatibus afflicto obſeruabit; Vt talis itaque febrienti paſtus decernatur, qualis ipſi adamuſſim conueniẽs eſt; Inſuper nè plus, aut minus ille ſuggeratur, quam ipſa exigit tolerantia, & ne demum intempeſtiuè illo adminiſtrato, natura perperam afflicta, oppreſſa vè, anxam medico præbeat lætalis euentus, maxima vti prudentia ſemper opus eſt, atque prudentia hæc ex præmiſſis fit conſpicua, à qua certè recedere valdè nefas eſt, quippè vt vel ex prauo cibi vſu, multa febrienti in-

commoda

commoda præſto ſunt, ita ex ſolo rationabili, rectoque eodem, vna deſiderata ſalus ſæpiſſimè aduenit.

DE CONSERVATIONE per fotum ſecundo loco tractatur, & qua ratione illa per febrim ſit procuranda indicatur.

CAPVT SECVNDVM.

PASTV quidem ſecundum rationē adhibito, reparantur febrientis vires, attamen interea per ſummā diligentiam, eædē adhuc fotu conſeruandæ, recreandęque ſunt; Fotus autem in eo conſiſtit, vt dum interfebriendum, occaſionibus, vel cauſis multis opprimētibus, vel diſſoluētibus, vires infringuntur, interea quo ad liceat, occaſionibus eiſdē, vel cauſis ſucceſſiuè interceptis, vegetiores illæ manuteneantur, & conſeruētur; Occaſiones autem hæ, vel cauſe, vt in ægris omnibus, ita maximè in febri afflicto varię ſemper ſunt, quippè tum ex his, quæ ad vitam neceſſariò requiruntur, tum ex contingentibus multis, quæ laboranti eidem paſſim occurrunt, præſto ſint; Sed illæ quoniam variæ, in ordinem ideo minimè redigi poſſunt, quamquam ex neceſſarijs, vnus ambiens aer, ſi prauus, talia ſæpe præſtet; Vt & quæ ab ipſis met in nobis ad libitum fiunt, actiones putà animales inordinatæ, intemperatæque; Aſſumptum enim pabulum ad virium nutritionē primū facere videatur; Atqui ex contingentibus, quę profectò tunc multiplicia eſſe ſolent, ea potiſſimum commemorantur, quæ vel ex febri, vel ex ſimptomatibus, vel ex cauſis originem ducunt; Verum quoniam intercurandum, hæc, remedijs appoſitis, emendantur, & ne vltrò, poſt ſpirituum perturbationē, ſymmetram partium ſimilariū, ac diſſimilariū conſtitutionē, vndè maximè tobur virium pendet, afficiāt, ob vnā ægri ſalutem aſſiduo perſequuntur, iure infra ſuo loco de illis dicendum erit; Sed ex præmiſſis alijs, neceſſarijs, magis, aut minus modū excedentibus, cum vel vnà ſpirituum oppreſſione, diſſolutione vè, vires afficiantur, & cadant, ſanè iam viribus ipſis idoneo fotu conſultum erit, ſi quo ingenio, qua arte, conceſſum fuerit, illis omnibus accuratè aduerſabimur; illiſque modum, pro poſſe, viribus minus contrarium, imponemus; Et quidem aeri primum, cuius perenni ambitu febricitans contentus, neceſſario velit nolit qualitatibus eiuſdem variè immutatur, ſpiritusque inde in eo afficiuntur, opprimuntur enim, & diſſoluuntur; Vt ergo aer, qui ſubſtantia purus, nec vaporibus prauis infectus, & in omnibus qualitatibus temperatus, aut mauis ad frigidum inclinat, dum per ſanitatem inſpiratus, innato calori totius, & cordis inprimis, recreando, indeque ſpiritibus, & demum viribus ipſis refocilandis maximè idoneus eſt, quia nec opprimat, nec diſſipet, ſed perpetuo proſit; Ita profectò qui febri laborat, tum quatenus feruet, tum quatenus ſimptomatibus varijs afficitur, à quacunque ſanè cauſa ille talis ſe habeat, quando amplo conclaue cubatus, quo nempe multum, & purū aerem, eumque, ſi non ex ſe, ſaltem ex poſitu, vel arte aliqua, pro neceſſitate refrigerantem, libere

berè ducat, ex magno quaſi præſidio, plurimum ſubleuatur, quippè tunc ſatis cor ipſum excandeſcens per inſpirationem refrigeretur, ſpiritusque vniuerſim, cum calore recreentur, ad robur virium conſeruandum, dum leuibus tamen tegumentis totum interea tegatur corpus, ne illud extrinſecus nimis refrigeſcens, conſtipatis poris, intus valentius caleat, aut vacuationibus per hoſce vtiliter tentandis impedimento ſit; Contra enim ſi aere impuro, prauiſque vaporibus longè referto, & calido nimis exiſtẽte, in eo æger fortaſſe degerit, præterquam quod vltro caleſcit, euidenti feruoris augmento, adhuc ſpiritus vel exoluuntur, vel opprimuntur, magno virium lapſu; Itaque per febrim talis expetitur aer; quamquam ſæpe adſunt ſimptomata febrim ipſam comitantia, vrgentiaque valdè, quæ certè minus talem aerem deſiderant, quod his ſcilicet calidior, medicamentum eſſe conſueuerit; verum quatenus, & quo modo, hoc verũ fuerit, vtique in ſumma rerum varietate prudens medicus animaduertet; Sed inſuper cauſa, quæ vel febrim ipſam, vel item ſimptoma fouet, quæ inquam vt non ſemper eadem eſt, at modo calidior, tenuiorque, modo frigidior, & craſſior, ita ſanè ea, tum primum, vt vnà cum corpore diſponatur, tum vt commodius demoliatur, magno ſemper virium beneficio, aliàs calidiorem, aliàs frigidiorem ambientem cupit, talis autẽ aut directè, aut indirectè, iuditio experti, procurandus eſt; Cæterum cum aer aliquando non tantum manifeſtis qualitatibus, calore putà, vel frigore, aliàs vè, febrienti obſit, verum præterea qualitatibus alijs prauis, ex impuritate, per vaporum miſcellam, alicundæ impræſſa, ob quas ille plerunque ita febrientes afficit, vt penè diuini quidpiam, & admirandi in eo latere videatur; Summa adhuc ideo diligentia ille tunc (ſi fieri poſſit) alterantibus emendandus, aut quod fortaſſe tutius, & melius eſt, longè per loci mutationem euitandus, difficilè quia admodum ſit, eius pernitiẽ tunc aliàs aufugere, quin inquam ex eo perperam ſe habenti, febris, ſimptomata, & cauſæ deteriores fiant; & quin inſimul vires tanta ambientis malitia quaſi oppreſſæ, vel diſſolutæ cadant; Impuritatem autem pernitioſam hanc docet communis habitantiũ conſtirutio, quæ ſanè penè omnibus vna, eaque ita perperam affecta, vt quam facilè horum quilibet per eam in morbos aliquos familiares incurrat; Sed quod tum ibidẽ loci, è ſolo, id eueniat, tum aliundè vel vno ventorum afflatu illuc impuritas proficiſcatur; ex ſolo inquam, dum in loco minus ventis alienis expoſito, per incolas, affectio vigeat; aliundè verò dum in ſitu potius aprico, aut alto valdè, ventiſque magis commodo degentes ægrotent; Ideo attendendum vt, quoad liceat, tanta pernities non lædat, vt inquam, quæ ex afflatu aliundè euenit, per ſoli mutationem euitetur, vel ſuffituum ſaltẽ odoratorum vſum emendetur, quamquam ſi ex ſolo ſit, non niſi citò, & longè valdè mutato eo, tutus à pernitie æger euadit; Neque autẽ intercurandas febres, ob ſolam impuritatem aer mutandus eſt, cum in omnibus longis febribus, quæ tamen adhuc ſalubres æſtimentur, varietas ſoli proficere ad ſalutem ſoleat, ſi præſertim ab externo, & alieno, ad germanum, in quo æger natus fuerit, mutatio fiat; habet enim quid diuini, & ad conſeruandum admirandi, vt experimẽto ab omnibus eſt compertum; Ambientia autem ſequuntur quæcunque à nobis ipſis, in nobis met perpetuo fiunt, ſunt porrò ea opera plurima, tum conſeruantia, tum perficientia, quorum ſanè exercitio perenni corpora cum viribus iugiter ſollicitantur; Sed quod ex his conſeruantia ad pabuli confectionem, viriumque ſubinde nutritionem maximè pertineant, vt aliàs dictum; Interea

ideo

ideo de perficientibus ſolis, tanquam vni virium fotui, per mediocre, ac debitum ipſorum exercitium, conſecratis, hic animaduertemus, quod vt ea modum viribus debitum excedentia, euidenti diſſolutione debilitant, & nimium item repræſſa, quadam ferè oppreſſione, ſuffocant, ita ſaltem eo (præſertim in morbis) exerceri appoſitè ſemper debent, quo vires longius vegeriores conſeruentur, & ſtent, Propterea ergo qua ratione, ſeu modo, intercurandas febres, vt proſint, nec noceant, ſint permittenda, demonſtrandum; Perficientia opera hæc, cum vel ad motum progreſſiuum corporis, impetum vè alium huic finitimum, vel ad ſenſuum, mentisque actiones, & affectiones, vel demum ad vigilias vtriſque communes, ſufficienter reducantur, vtique à progreſſiuo motu, vt ab euidentiori, exordiendum; Motus æquidem hic, per quem potiſſimum inſitus ſanorum calor, vel ob vnam partium corporis inter ſe ſe attritionem, vel ſpirituum ſaltem contentorum exagitationem, excitatus, robori virium plurimum fauet, inſuper humorum coctioni, & excretorum expurgationi valdè propitius eſt, raro febrienti ad optatam ſanitatem iuuat; Siquidem cum febris intemperies calida ſit, atque ſicca, illi iure motus corporis calefaciens, & exſiccans eſt inimicus, amica autem potius quies eſt, vt potè quæ refrigerationi, & humectationi eiuſdem maximè faueat; Immo quod, habituali febri ſecluſa, febres penè reliquæ, ab humorum certis corporis ſedibus congeſtorum putredine foueantur, & vigeant, illique humores, cum alioqui tranquilli, ignobilique fortaſſe loco concluſi, à natura, temporis tractu, concoqui, domari, ac blandè demum excludi potuerint, vtique motu hoc euidenti, eadem natura diſtracta, irritati, aggitatique, nec retro vapore ſolum corpus variè laceſſent, & quoquouerſum effuſi, ſimpromata, vnà cum febri, varia efficient, ſed immo febrim amplificabunt, magno virium, & ſalutis detrimento; per omnes ideo febres, & præſertim putridas, moueri, ac inquietum eſſe corpus, & perperam, & noxium eſt; Quieſcere contra, etiam voce, (hæc enim ſpiritales partes aggitat) euidentiſſimè, & maximè, iuuat, & ſanè ſtrato lecto, ſecundum partes omnes, vt notum eſt, quippe nihil tunc laboret corpus, cum æque partes eius in quiete ſtent, nec harum vlla quaſi penſilis affligatur, vnde & vniuerſum nutritur, humectatur melius, & vires ab opere minus diſtractæ, ſaluti deſideratæ valentius incumbunt; Certum tamen eſt, quod interdum occaſione cauſæ febris, quæ fortaſſe craſſa nimis, atque rebellis, nec vſquam medicamentis attenuantibus, & detergentibus cedens, motus aliquis leuior, ad tunc repreſſas, ſopitas vè excitandas vires, medicamentis eiſdem fauentes, vtiliter permittitur, & ſi fortaſſe magis, frictiones motui ipſi vicariæ, tum ob id, tum ob alias cauſas, ſimptomarum præſertim ſuperuenientium occaſione, meliores æſtimandæ videantur, vt puta ad cutis poros vniuerſim reſerandos, inſuper & ad humorũ ab intro, ad extra, è ſurſum, deorſum, reuellendos, aut aliàs in modum reducendos, ſed qua prudentia, operi huic opportunitas, & magnitudo ſit deligenda, penes peritum medicum erit iuditium. Poſt motum corporis, ſequuntur ſenſuum, & mentis affectiones, ſed quæ ſenſibus eueniunt, vnà cum actionum naturalium ſimptomatibus, in modũ viribus debitum, aptè reducuntur; quæ verò mentis ſunt propriæ quia vel ex concupiſcibili, vel ex iraſcibili proficiſcuntur, ſemperque aut perturbant, aut tranquillum animum reddunt, vtique cum tranquillitas quieti reſpondeat, & perturbatio motui, ſequitur neceſſario, vt tum refocilãdis viribus, tum febri, cauſæ, & ſimptomatibus rectè pellendis, magis

idonea

idonea tranquillitas ſit, quam perturbatio, ſicuti magis quies, quam motus, quia ſemper animi magna perturbatio, ſpiritus, & ſanguinem potentiſſimè moueat, inflammet, & naturam vehementer diſtrahat, vt præſertim ex ira fit, in qua ab extra, ad intra, ſanguis attractus euidentiſſimè feruet, & in febri magis, veluti minus tunc nocet ſpes, atque gaudium, in quibus ſpiritus, & calor ab internis partibus, ad externas, effuſus, quadantenus recreatur; Vtcunque vero ſit, animi tranquillitas præcæteris ſēper, & vbique, omni ingenio procuranda eſt, cum per hanc, quiete meliori ſequuta, totis viribus natura ſibi maximè incumbat; Et motui corporeo, & ſenſuum, ac mentis affectibus, communis eſt vigilia, per quā nempe, & ægris datūm eſt, ſe ſe operibus exercere: & ſanè hanc licet ob cauſam, vigilia neceſſariò indita ſit, cui dein ob laborem merito ſuccedit ſomnus, hoc eſt ab opere, alta, profunda vè quies, quæ ſomnus appellatur; illa nihilominus ſemper, & in ægris potiſſimum, tanta duntaxat eſt vtilis, quanta exercendis pro poſſe viribus deſideratur, vt illi inquā poſtea debito ſuccedente ſomno, vires eædem ab omni defatigatione ſubleuentur; Cum præſertim vigilia modū excedens, nutritioni, ſeu refectioni virium valdè multum obſit, ſiquidē ſomno ea aduerſa cum ſit, per quē coctio, atque nutritio melior celebratur, vtique niſi illa proportionem viribus ægri conuenientem obtineat, vel vna ſomni priuatione, non parum coctionē, nutritionemque intercipit; & porrò magis in his, qui febri laborant, qui ob perennem virium afflictionem, ſomno magis refici deſiderant; In his etenim, ob feruorem ſpiritus agitantem, vigiliæ præter naturam multæ ſunt, in eiſdem ergo ſomnus maximè proficuus eſt; Cæterum vniuerſim in febribus, talis vigilia permittitur, taliſque expetitur ſomnus, qualis laborem minimè facere videatur, & qui ad reſocilādas vires commodus ſit; vnde interdum, vnà cum vigilijs, ille etiam arte excitatus non negligendus, ſicut ille ſæpe nimius, etiam cum vigilijs, reprimendus, & intercipiendus eſt; Tantus autem eſſe debet, quantus cum vigilia, per medici prudentiam, optabilis appareat; quando nimius & præternaturalis ſomnus, per febrim, internas partes euidentius inflammet, retractis nempè ſpiritibus, & ſanguine; Interea autem caput humoribus, & vaporibus multifariam refertum, & ſimptomatibus grauiſſimis non paucis obnoxium reddat, vt ſubinde vires omnes torpore afflictę magno ægri detrimento, ab opere ſibi debito cadant; Vigilia verò immoderata, ſpiritus ſemper cum ſanguine aggitet, perindeque totum inflammet, & dum inſenſibiliter totum euacuat, palam idē, ſumma virium diſſolutione, nimium exſiccet; eſt autem ſiccitas lima caloris; quare & ſucceſſiuè putridis ſuccis acrimoniam, & vehementiam, indeq; acutiores effectus vbique, & in cerebro maximè, illa procurat; Sed opportunitas vtriuſque, ex naturali quidem conſuetudine colligenda, adhuc licet in febri (ſimptomatum enim varia occaſio eſt) obſeruandæ diligenter acceſſiones, exacerbationeſque ſint, quarum ſanè impetu, ſomnus excitatus, ob eaſdem cauſas, inutilis eſt, & noxius; atque iam per febrim ita viribus ſit conſultum.

DESTRVCTIO EORVM QVAE *febrienti præter naturam inſunt, & febris inprimis, qua arte inſtituenda ſit, ſumpto principio à febri ea, qua præterfluens eſt, & a ſola procatartica cauſa ducit originem, explicatur,*

CAPVT TERTIVM.

EORVM autem omnium, quæ febrienti præter naturã inſunt, & vitæ eius inſidiantur, iam demolitionẽ aggredi neceſſariũ eſt, quando in hoc alio, poſt ſeruatas vires, curatio eius collocari videatur; Cum tria itaquæ per febrim afflicto corpori præcæteris inſint; & in primis feruidus ipſe calor, qui accenſus in corde, indeque nimium vniuerſo laborioſus, atque moleſtus, ex magnitudine qua inſitum ſuperat temperamentũ, febris nuncupatur; Inſuper & cauſa, vt plurimum, adſit, quæ vel quod antecedens, ac coniuncta ſit, proximè feruorem vrgentẽ foueat, & nutriat, vel quod illi adhuc præincipiens (procatarticam vocant) quæ antecedentis, perindèque coniunctæ vna occaſio eſſe poſſit, accedat; Et demũ ſimptoma ſæpiſſimè annexum obſeruetur, (vel hoc ipſum ex febri, vel ex cauſa ducat originẽ) quod vitæ maximè obnoxium eſt; Iure fit, vt tribus hiſce prudenter, ac accuratè recognitis, & in homine diligenter examinatis, recognita videlicet eorum tum conditione, & more, tum magnitudine, rationabilis eorundem demolitio inſtituatur, proſequaturque; Nempè febrili caliditati modus imponatur; Cauſæ eiuſdem omnimoda deſtructio architectetur; Demumque ſimptomati (ſi quod fuerit) regula procuretur; Ita enim tandem febrienti deſiderata ſanitas recta curatione reſtituatur; Verum à febri, vt à qua primũ læditur æger, ſumpto principio, ea ſanè, cum morbus ſimilaris exiſtat, calida nempè, ſiccaque, è corde corpori toto communicata intẽperies, non dubitandũ quin ſuo illa cõtrario facilè corrigatur, depellatur vè, cõmuni quandoquidẽ axiomatè certum ſit, ſimile ſemper ſibi ſimile conſeruari, & contrarium contrario vbique diſſipari; Igitur quia febris calida, ſiccaque intemperies eſt, eadẽ meritò à ſuo cõtrario, ſcilicet alteranti frigido, humidoque, propriã ſentiet demolitionem; Cæterum quod febris non vno modo ſimplici ſe ſe in hominẽ mittat, ſed multiplici, varioque, quippè interdum vel ſolo præternaturalis calefacientis impetu imprimatur, vt eodẽ dein quamquã omnino ceſſante, penitusque deſinente, illa impreſſa, iuxta vim impetus, & ſubiecti diſpoſitionẽ, duret; Vt plurimum autẽ efficienti, conſeruantique principio adhuc perſeuerante, impreſſa perſiſtat, nec pridẽ eſſe deſinat, quin fomes, per quẽ viget, omnino deſiciat: Propterea ſanè factum, vt poſt iam ſatis, ſuperque agnitam febris labefactantis præſentiam, neceſſe ſit ad eam rectè pellendam, vltrò ne fouentẽ, conſeruantemque cauſam habeat, diligenter examinare, quando certum ſit apud omnes, multiplicibus licet refrigerantibus adminiſtratis ingeniјs, interea nihilominus, perſiſtente febris efficiente principio, impoſſibile eſſe febrim euaneſcere;

An

An autem febris intemperies ſimplex ſit; an illi etiam comes cauſa ſit, vtique, vt aliàs dictum eſt, non niſi per ſummã medici prudentiã ab initio percipi datum eſt, quando præſertim febriũ omnium exordia penè vbique ſimilia, & conſpectus eorũ confuſi appareant; febres ſiquidẽ tã exitiales, quam ſalubres, aliàs ſtatim atque exordiuntur, vehementer conturbent, aliàs autẽ leuiter inualeſcant, afficiantque, atque id ſæpe obſeruetur, cauſa comitanre adhuc, & ſæpe illa iam pridõ abſente, vnde niſi ex relatis, & obſeruatis accuratè expenſis, & ſubiecti itẽ diſpoſitione, cũ efficientis principij actiuitate præcognita, tandem effectus, hoc eſt febris, cum ſubſequentibus omnibus, eluceat, difficilè eſt aſſequi quod cupimus; Vtcunqne autem, ſi abſente omni tam efficiente, quã conſeruante cauſa, feruor nihilominus quadantenus præſens ſit, perſeueretque, non dubirandum quin ille, vel adhibitis refrigerantibus, &c, vt permiſſum eſt, humectantibus, eriam mediocribus, puta ſolo regimine victus tali, (niſi forſam habituatus, iamque penitus fixus feruor extiterit, de quo ſuo loco dicendum) cõmodè ſuperetur, & in modũ ſanitati congruum redigatur; Attamen quod raró febris huiuſmodi medicum expectet, quippè quæ præterfluens ſit, & quam citiſſimè, per ſe, vnius ſcilicet naturæ beneficio, illa euaneſcat; Ideo ſolum alterius, cui adhuc cauſa comes eſt, habenda erit conſideratio, illiusque curatio ex arte inſtituenda; Vel ea ergo à remota duntaxat, præincipienti nempe, & procatartica cauſa immediatè fit, atque fouetur, vel inſuper à proxima ſeu coniuncta, poſt antecedentẽ, producitur, conſeruaturque; Siquidẽ ab vtrauis cauſa, vt aliàs demonſtrauimus, febris cõmodam habet originem; Sed dato illam ex procatarticæ vi factam conſeruari, vtique primum ne vltro augeatur, incumbendum diligenter; Dein quod illius factum vrget, tuto iucundèque pellendum, & penitus abolendum eſt; Vt namque duabus intentionibus hiſce vniuerſa rationabilis cuiuſque morbi curatio ſufficienter concipitur, illisque ſatisfacientibus artis operibus curatio eadẽ bellè abſoluitur; Ita æger qui ſebre afflictus eſt, rectè curari, & priſtinæ ſanitati, eiſdem omniquaque præhabitis, reſtitui optimè poteſt; Cum veró per cauſæ ſubtractionẽ, correctionẽ vè priori intento ſit ſatisſactum, quia nempè intercipiatur morbi augmentum; at contrariorum vſu ſufficienti, ſecundæ intentioni ſit aptè conſultũ, quoniam iam qui morbus factus eſt dein eſſe deſinat; Ideo ſanè ſi procatartica, vel præincipiens cauſa, à qua tũc febris oritur, ac viget, auferatur, corrigatur vè, iam quidẽ ceſſabit feruoris augmentum, cæterum hoc aptè præhabito, ſi ſucceſſiuè frigida, & humida adminiſtrentur, neceſſario feruor ipſe vigens, hoc eſt febris facta, omnino eſſe deſinet; Cauſæ præincipientes, vt non ſemel diximus, vel ad ea, quæ nos ambiunt; vel ad aſſumpta; vel ad ea, quæa nobis in ipſiſmet fiunt, reducuntur omnes; Porrò ambientia, vt ſuo calore, per ſe, feruorem ſæpiſſimè præternaturalẽ imprimunt, ita quoque interdum, vel tranſpiratus impedimento, vel antipariſteſi, vel aliàs per accidens calefaciunt nimis, & ſebrim indcunt, quod ex aere paſſim, & alijs dein illi in opere æquiparatis, non raro experimur; Ad hæc quæ aſſumuntur, multa ſunt, eaque ſine dubio tum calefacienti facultate qua pollent, tũ modo, quo aliàs calorẽ in homine perperam excitare apta ſunt, febrim frequentiſſimè inſerunt, quemadmodũ ex cibo, atque potu ſactũ nos quotidie obſeruamus, Demum ex actionibus noſtris, præſertimque ex motu feruor febrilis accendirur multifariam, veluti aliàs abundè eſt à nobis demonſtratũ; Quare dum ex ambienti feruor præternaturalis accenda-

tur, ſiue quidem per ſe, ob æſtum, & ardorem in eo vigentem, ſiue ex accidenti, per qualitatem aliam caloremquomolibet in homine exacerbantē, vtique quantocitius ille permutandus, aut ſaltē corrigendus eſt, quod hoc vno ſufficienter procurato, ſatis ſuperque conſultum impedimento augmenti febris videarur; Dein etenim prōpta erit, vel ſolo, vt dictum eſt, refrigeranti victu, & pauci adhuc alijs imperatis (ſi his fuerit opus) totius corporis refrigeratio, & in priſtinam temperiem reſtitutio; Cæterum ſi ex aſſumptis, ingeſtis vè, & potiſſimum paſtu, vel calidiori, vel aliàs indirectè calidum validius inducenti, febris accendatur, indeque ſeruetur, dubio procul tunc quidquid aſſumptum fuerit, ne vltro perſiſtens afficiat, quam citiſſimè foras deturbabitur, idque niſi ſpontè ſuccedat, (ſuccedit enim ſæpiſſimè) vi ſaltem remediorum procurandum, tum per ſuperiora, tum per inferiora, tū quoque per viam vtranque, quando ex his vna minimè ſat fuerit; Neque in opere cunctandum vſquā, ob periculum degeneris febris, quæ huic iam propè ſtat, nēpe conſiſtentis, ac putridæ, ex crudis ſuccis ipſis congeſtis facilè putreſcentibus genitæ: Inſuper ſolicitandum opus, quoniā, aliàs difficilè admodum ſit, refrigerantibus quomodolibet adminiſtratis, intemperiē impreſſam emendare; Accedunt his quæcunque fiunt ex nobis, inter quæ intempeſtiua, & nimia exercitatio corporis eſt, quæ non raro, vigilijs, & animi affectionibus adiuta, præcipuum febris principiū eſt; Ideo ſi febris indè contigerit, meritò tunc, quiete, in loco frigidiori, imperata, & afflictis partibus, longiori ſomno (niſi quid impediat) refocillanti, confirmatis; dum procul tamen affectus animi interea abfuerint omnes, ſinēdus eſt æger, deinceps quoniam ille, vel per ſe, vel adhuc refrigerantibus, humectantibusque, breui recreatus, priſtinæ temperiei reſtituatur; Et quidē hac communi ratione, ac methodo, febribus omnibus, ex ſolis procatarticis principijs, oriundis, ſufficienter conſultum videri debet, tum vt quod illarum fuerit iam pridē inchoatum, minimè augeri valeat, tum vt quodcunque earundē factū extiterit, illud tandem penitus euaneſcat; Sed quamquā vt plurimum febres, quæ ex ſolis procatarticis cauſis primo fiunt, præterfluentes, & breuiſſimæ ſunt, vt potè quę ex cauſis huiuſmodi non perſiſtentibus, aliquantiſper ſolum conſeruentur, coniuncta autē, per quam longius durent, cauſa careant; attamen vel ob variam ſubiecti corporis adferuorem recipiendum diſpoſitionē, & adhuc procatarticæ cauſæ operantis modum longè varium, atque diuerſum, ideoque tum directè, tū indirectè, calorē præternaturam corpori eidem cōmunicantem; aduenit ſæpiſſimè vt ſaltem coniunctæ cauſæ vices gerens quidpiam præſto ſit, cuius beneficio, febris licet ſimplex, & à ſola procatartica cauſa oborta, diutius tamen, grauiſſimo etiam laborantis periculo, in conſiſtentē inquam, ſeu putridam degeneratura, conſeruetur, & perſeueret, porròque ad periculum hoc euitandum neceſſe ſit, præter iam imperata, quæ de facili aſſequi eſt conceſſum, alia non pauca, illi, quod coniunctæ cauſæ vices gerit, aduerſa accurato artificio, ita præſcribere, vt quanto citius, eodē diſſipato, ceſſet etiam imminentis periculi ſuſpicio, ceſſetque conſequenter ipſa febris. Id ipſum autem quod, vt in pluribus, dictas agere vices aptum natum obſeruatum eſt, vna eſt pororum vniuerſæ cutis corporis interclusio, à frigido arctanti, vel quopiā altero aſtringenti, extrinſecus euidenter inducta, & in eo quidē habitu magis, qui ita per ſe dēſus (hunc aſpectus, & contrectatio indicat) exiſtit, vt vel leuiſſima vltro denſanti, cōſtringenti vè occaſione oblata, faciliimè obſtruatur, ſubindeque in eo ita

caloris

caloris ventilatio intercipiatur, vt feruor febrilis accendatur, & duret; Si præſertim, & maximè tunc in ægro tenuioris ſanguinis, calidioriſque, ac ideo ad efferueſcentiam prompti, copia in venis ſupra modum vrgeat; Accedit obſtructio in parte corporis præcipua, vt ſi cachochimus, potiſſimumque ſi acris, vel aliàs pernitioſus ſuccus, alicubi licet corporis citra moleſtiam conquieſcens, tandē cuiuſuis extenuantis, & colliquantis, vel agitantis, tranſmittentis, attrahentis vè aduentu, è ſuo loco motus, fluoreque tentatus alio præter rationē decumbat; Etenim tunc alicubi iā obſtructionē pariens, & per hanc deſideratam ibi ventilationem intercipiens, pro magnitudine, aptitudineque, febrilem feruorem accendit, ex quo febris præſto eſt, ac perſeuerat, vt paſſim in febribus, quas vulgus ſimptomaticas, accidentales vè appellat, nos obſeruamus; Quamobrem vt aſſequamur, quod cupimus; primum quidē recognito eo, vnde preternaturam fouetur calor, eidem poſtmodum quanto citius ita architectanda deſtructio eſt, vt ſubſequenter calor exuberans reprimatur; Atqui vt vnius demoliendæ obſtructionis exemplo, alterius cuiuſuis etiam, febrim, ex procatartica cauſa, repentim fouentis, demolitio fiat conſpicua, hac profectò methodo prudenter operabimus; Dum ex ſola vniuerſæ cutis condenſatione, obſtructioneque, ac perinde prohibita ventilatione, febris adſit, ſanè poſt omne aſtringens, condenſans vè ſublatū, cuteque vniuerſim pro poſſe laxata, & poris totius quantocitius reſeratis, vel per tectum corpus ſatis, vel ſolis forſam adminiſtratis frictionibus, nō dubitandum quin ſaltem victu refrigerāte inſtituto, febris ipſa breui euaneſcat; Quod ſi præter prohibitam ventilationē, ſanguinis tenuioris inflammati copia vltro in venis vrgeat, neceſſe quidē eſt obſtructionē quāuis, ſi fieri poſſit, abolere, verū quod vigente plenitudine, adhuc aliunde etiam obſtructio euidens vigeat, &, quod magis eſt, putredinis periculum impendat, vnde demum febris conſiſtens euadat, profectò vt ab eo curatio ſumat exordium, ex quo etiam maius imminet damnum, meritò vacandum inprimis vacuationi ſanguinis eſt, &, quatenus vires ferant, ille ſufficienter minuendus, quoniam poſtquam repletioni ſatis ſit occurſum, tuto, vni deſideratæ totius reſerationi, citra vllum ægrotantis damnum, frictionibus, ingenijſque alijs, tecto corpore, vt præmiſſum eſt, vacare licebit; Ad hæc autem, ſi cachochimus turgeſcens ſuccus, vel poſt extenuationem concitatus, alicundè tranſmiſſus, aliò vè attractus, è ſede ſua deferatur, atque ita ibi, ſecundum obſtructionem, inflāmationem etiam pariat euidentē, à qua febris, vtique tunc primū ſublatis præcedentibus omnibus, per quæ & cachochimus ſuccus in partē defluit, ad eam vè attrahitur, & vnde illius turgeſcentia, concitatio vè maior futura cenſeatur, mox & quanto citius abolenda veniret obſtructio, inflammationis origo, attamen quod humor in partè conſiſtens, obſtructionis eſt auctor, vt niſi eo ſublato, fruſtra curatio proſequatur, vtique ſequitur, vt ab euacuatione ipſa neceſſario inchoandum ſit, ſed perperam conſiſtentis iam ſucci euacuationem tentamus, dum interea nouum illius decubitum permittamus; ergo ipſe decubitus principio intercipiendus erit, immo & origo illius quanto citius extirpanda, coercenda vè, vt deinceps quod iam conſiſtit, opportunè euacuetur, & ſi quando ſimul ſemelque vtrunque præſtare conceſſum videatur, ſaluberrimum ſemper ſit, ægro futurum; & breuius ſiquidem, & vtilius tunc neceſſitatibus omnibus ſatisfiat, deterioris mali venturi omnino ſublato periculo; poſtmodū autem, vel vno victus regimine refrigeranti, ac humectanti imperato,

calor omnis præter naturam impreſſus reprimi poterit; Sed de febri huiuſmodi, quam omnes ſimptomaticam cenſent, potiori loco dicendum; Iam ex his ſaltem colligendum, quod dum febris, vel à ſola remota cauſa, nempè procatartica oriunda; vel item ſi ab aliquo ſubſequenter, per eãdẽ cauſam, repentim excitato, obſtructione puta perſeuerante, vt dictum eſt, ægrotantem efficiat, hoc vno, tum cauſæ eiuſdem procatarticæ depulſæ, emendatæ vè, tum demum ab eadem natæ obſtructionis ſufficienter abolitæ exemplo, poſt rectum victus regimen inſtitutũ, quid in febribus reliquis hac ratione productis, ex arte procurandum fuerit, notum eſſe.

DEMOLITIO FEBRIS CONSISTENTIS, quæ putrida eſt, indicatur; Sed priori loco quatenus per euacuationem putridi ſucci ipſam efficientis, intercipiatur illius augmentum, & quo genere euacuationis, ac quo inſtrumento id à medico tentandum demonſtratur.

CAPVT QVARTVM.

SED præterfluentes, quæ paucorum dierum ſunt febres, ſequuntur conſiſtentes & putridæ, in quas ille, vel vnius cauſæ fouentis, conſeruantis vè perſeuerantia, quam facilè tranſmutantur; & de his ideo ſucceſſiuè ſermonem habituri, earum merito curationem diligenter explicabimus; cum potiſſimum ex ipſis humana corpora longè frequentius labefactata, corruptionis, & mortis periculum ſubire perpetuo obſeruemus, & niſi rarò, ac difficulter, per ſe, abſque arte, ſanari veriſſimum ſit; Atque id vt ex voto ſuccedat, vtique poſt corporis afflicti conſtitutionẽ ſufficienter agnitam, præcognitamque febris ſpeciem, eiuſque cauſas, & cauſarum fomitem, ſedẽ vè; Indicationes demum ex his ad curandum neceſſarias rationabiliter decernere, eiſdemque congruis operibus, & inſtrumentis, ſatisfacere, operæ pretiũm eſt; tum vt quod febris, vel cauſæ iampridẽ apparuerit in via, id quanto citius intercipiatur, & ab omni augmento auertatur, tum quod vtriuſuis aliquando iam conſiſtens fuerit, illud breui, tutò, atque iucundè demoliatur; hac quoniam ratione, integra, abſolutaque laborantis ſanatio omnis ſit ſubſequutura; Itaque febris hæc, cuius curationem tradere iam noſtrum conſilium eſt, eo quia minimè ſecundũ formam, quidditatem vè propriam, diſtat à cæteris, quippè vnà cum illis, calida quædam, ſiccaque vniuerſi corporis intemperies ſit, & ſimilaris affectio exiſtat, per quam illud ita læſas ſuas habet actiones, vt facilè tendat ad interitum; nec inſuper niſi quia ſtabilior, quod ſcilicet firmius, ſupra quas præterfluentes dicimus febres, illa conſiſtat, & nec ex ſe ſolũ, ſed à putridis in corpore ſuccis (ex his enim putrida febris nuncupatur) fomitem habeat, à quo conſeruetur, & duret, propriam duntaxat habere differentiam videatur, qua ab habituali, ſeu hectica etiam diſtat; Propterea

pterea ſanè primum, quãtum ad ipſam ſpectat, vt morbus eſt, nihil aliud quod ad ſui directam faciat depulſionẽ indicat, præter vnam ſimplicẽ alterationem in contrarium, qua inquam corpus vniuerſum refrigeretur, & humectetur, (quod & febres reliquas, vt febres, indicare certum eſt) vt ſcilicet illud priſtinæ temperiei reſtitutum, ſuas omnes actiones integrè proſequatur, ſanamque vitam degat; Præterea verò cum febris hæc, non ſolis procatarticis ex cauſis excitetur in nobis, ſed inſuper proximã adnatam cauſam habeat, à qua facta longius perſeuerat, & ſine qua (non ſicut habitualis, de qua ſuo loco dicendum) ſeruari vllo modo nequit; Hinc meritò factum, vt poſt vnam indicatam procatarticæ cauſæ (ſi aderit adhuc) calefacientis depulſionẽ, & illi, ad reliquarum inſtar febrium, congruè reſpondentem refrigerationem, quam recto victus regimine inſtituto potiſſimum conſequimur, operæ pretium etiam ſit cauſæ eiuſdem proximæ, comittantiſque, demolitionem aggredi; Quia hæc autẽ cauſa putridus ſuccus eſt, qui, certis ſedibus, noſtro contentus corpore, ex impræſſa putredine, excandeſcens, feruoris immediatus auctor, & conſeruator exiſtit; Illi quidem idcirco euacuatio inprimis conuenit, verum tamen quoque alteratio, qua, poſt qualitates plures eidem præter naturam impreſſas, putredinalis etiam exceſſus, ſiue vt in putreſcenti eſt, ſiue vt à putrefacienti ſolicitatur, quadantenus reprimatur, eſt neceſſaria; Sed quod febrim hanc putridam, inter ægrotandum, non pauca comittari ſimptomata conſueſcunt, vel quod illa febris, vel fouentis eius cauſæ vim conſequantur, actionum inquam tum vitalium, tum naturaliũ, tum animalium, vt obſeruamus, quæ dum prauitate ſua ægrum labefactant, ita plerunque rectam medendi artem, curationemque deſideratam retardant, peruertuntque, vt vel ex his ſolis, non rarò, ille periclitetur; Iurè ideo factum, vt intercurandam febrim hanc, ſimptomatum quoque præſentium magna ratio habeatur, non quatenus quidẽ depulſionem illorũ, febri poſtpoſita, atque cauſa, præter inſtitutum ordinẽ, aggredi conueniens ſit, quando ſimptoma morbum, vel morbi cauſam conſequens, non niſi morbo, vel cauſa ſublata, penitus eſſe deſinat; quare neque tũc illius primum tentanda curatio, vt potè quæ nequaquam ſubſequutura ſit, ſed quatenus duntaxat lenitio inde ſuccedat, quoniam hæc facilè expectari ab arte poſſit, at qua methodo, quibusque ingenijs id ſpeciatim procurandum ſit, ſuo loco infra latiſſimè demonſtrabitur; hic autem ſolum, quæ febri ipſi, proximæque & annexæ cauſæ eius depellendæ conueniunt, aperiemus; Igitur præceptis methodo noſtra traditis perpetuò innixi, febris putridæ, ex ſuccis putreſcentibus ortæ, curationem inſtituentes, ab eo inprimis proſequendo ſcopo exordiemur, per quem febrim huiuſmodi iam inchoatam intercipere, & ne vltro maior euadat, impedire intendimus; Etenim poſtea ſecundo ſcopo attendentes, quod febris eiuſdem iam factum fuerit, ex arte, debitis inſtrumentis, adhibitis, deſtruere docebimus; poſteaquam perperam medicus morbum tollere ſua arte intendat, quem interea validiorem, & vltrò potentiorem euadere poſſe ipſe permiſſerit; Intercipitur autem febris augmentum, vel vno efficienti cauſæ eius obiecto impedimento, quamobrem cum febris hec putrida à putreſcentibus ſuccis oborta vlterius creſcat, & maior ſucceſſiuè euadat, aucta præſertim putredine, tum extenſiuè, tum intenſiuè; huic vni ideo arcendæ putredini, ab ipſo ſtatim morbi principio, ſedula diligentia vacandum eſt; Iam inchoata autem arceri putredo conſueuit, per alterationem, calori quidem, cæteriſque putredinalibus qualitatibus appoſitè

appoſitè reſiſtentem, verum magis euacuatione putreſcentis materiæ, & illius item, quæ iam ad putreſcendum accommodata ineſt, cum non ſimplex qualitas, ſed ea annexa materiæ, putridam febrim faciat; Namque hiſce rectè, prudenterque præſcriptis, & proſequutis, putredo etiam inchoata ceſſat, vel ſaltem remiſſior fit, extenſiuè ſanè per euacuationem, intenſiuè verò per alterationem; Quare vel ipſo hominis febrientis occurſu, ſtatim atque febrim ab humoribus putreſcentibus natam medicus recognouerit, vt quanto citius illius intercipiatur augmentum, congruā præſcribet, adhibebitque alterationem, & euacutionem; Nec interea tamen quiſpiam audiendus eſt, qui humores tum iam putreſcentes, tum ſaltem putredini aptos, minimè fore quanto citius euacuandos, ſed poſt partes principes, qua ſe contra aduerſa tueantur coroboratione, munitas, ſeruataſque nutritione vires, alterandos duntaxat, & immutandos, aſſeueret, vel quia fortaſſe putauerit, humores tunc non quantitate, ſed qualitate peccare, perinde non euacuatione, ſed alteratione tantum, vt potè proprio contrario, priſtinæ integritati reſtituendos, vel quaſi verum opinatus, humores quomodolibet praua conditione donatos ſemper ſola poſſe alteratione emendari; Quoniam hoc à dogmatibus verę medicinę alienum eſt, quando iam certum, & longa ſit obſeruatione confirmatum, humores praua conditione præditos non ſemper ſola alteratione emendari; & licet his, qui parum, nec multum à propria ſymmetria diſtantes sūt, dum adhuc tamen mediocri, pro viribus, quantitate donentur, congruis adhibitis alterantibus, id facilè ſit conceſſum; his nihilominus, qui euidenti putredine, quæ iam vires ſuperat, ſuperatura vè eſt, vt nec ab illis vinci, & in modum redigi aliquando valeat, manifeſtè afficiuntur, ex his immo iam vitæ periculum immineat, (imminet enim in omni putrida, nec vnquam ab hoc per eam tutus medicus eſſe poteſt) nuſquā alteratio per ſe ſufficiens eſt, ſed inſuper euacuatio velimus nolimus eſt neceſſaria, cum non ſolum quantitas, quia ſupra vires ſit, ideo euacuatione indigeat, ſed & qualitas, dum aliàs commodius, ac citius corrigi non poſſit, euacuatione ſubiectæ materiæ, quæ tamen per eam toleranter attingi valeat, minuenda ſit, atque ſi per tolerantiam liceat, penitus abolenda; ſublato enim accidentis ſubiecto, ipſum quoque accidens cōſequenter, ac neceſſariò deſſicit, vel ſaltem quod illius reſtat, facilius alteratur, corrigiturque; Quamobrem nos ex arte, putredinem quanto citius, putridis febribus apparentibus, intercipere cupientes, non alterantia ſolum, ſed & euacuantia etiam aptè adminiſtrabimus; Ita ſiquidē & extenſiuè, vt dictum eſt, diminuta putredinis materia, putredo ipſa reprimatur, ſicut quando prorſus ablata, omnino aufertur, & vltrò alterātibus, ac alexiterijs adminiſtratis, eadem, & ſi non omnino, emendetur, quadantenus ſaltem coerceatur, & intenſiuè minor fiat; Id autem cum ita ſe habeat, meritò ne promiſcuè, & indifferenter opera hæc exercere liceat, vel potius ordo in his ipſis aggrediendis deſideretur, videndum prius, vt inquam ob tutiorem eorum inſtitutionem, quid priori loco, quid poſteriori, facere neceſſe ſit, prænoſcatur; Itaque poſito alterationem, & euacuationem ſemper fore neceſſariam, vtique alterationi præmittenda euacuatio eſt, quia ſublata, vel imminuta copia. alteratio circa reſiduū potior, & ſine damno, ſit ſucceſſura: quod certè minimè euenturum, alteratione, citra optatam euacuationē, celebrata; alterantia ſiquidē in putridis, ſiuè primis, ſiuè ſecundis qualitatibus agant, quamquā frigida, cum perpetuò attenuent, detergant, & ſucceſſiuè aperiant, facilè per

ſe per vrgentem copiam, ob intimius deductam, impactamque materiã, non obſtructionis pernitioſæ ſolum periculum inducunt, ſed & detrimẽti maioris, partium præſertim internarum principium, ad quas aliquando, alterantium beneficio, humor qui prauus eſt, proficiſcitur, ſuſpicionem euidentiſſimam afferunt; Igitur vt euacuatio ſemper præmittenda ita de ea primo loco agendum eſt nobis, de alteratione verò ſecundo, Euacutio quæ quod putridum eſt, vel ad putreſcendum aptum, è propria ſede deturbat, & foras educit, multiplex eſſe poteſt, quæ autem in præſentia deſideratur, ea ſanè non quæ ſenſim, & inſenſibiliter, per quascũque etiam anguſtas vias, fit, ſed quæ tum pharmaco, tum phlebotomia, euidenter, & generoſè, patentibus vijs, celebrari conſueuit, illa iurè proponitur; poſteaquam eius ad aſſequendum intentum potentia indicatur, tũ ex peccantis humoris ſede, è qua nempe ille recta curatione dimouendus, & educẽdus eſt, tũ ex modo, quo inde educitur foraſque pellitur; In febribus etenim putridis, non ſede eadẽ ſemper, putreſcens humor, qui febri cauſa coniuncta eſt, aut qui ſaltem coniunctæ pabulum ſugerit, & antecedens cauſa dicitur, locari conſueuit; Namque per febres haſce ſæpe, qui putreſcit humor, ſtat in venis, ſæpius verò extra has, vaſis nẽpè alijs, vt in ſuperioribus dictum eſt; & ſi non raro etiam humor, qui ſaltem peccantis pabulum eſſe poteſt, qui inquam antecedens febris cauſa dicitur, promiſcuè collocari ſoleat; Idque quoniam verum, veriſſimũ certè etiam erit, propitiam, appoſitamque ſedibus ijsdem generoſè euacuandis phlebotomiam eſſe, ac pharmaciam, quando phlebotomia, ſectis venis, inde ad libitum contentos humores educat, pharmacia verò ex reliquis ſedibus, immo etiam ex venis, euidentiſſimo irritamenti experimento, ſtantes ſuccos dimoueat, & per ſeceſſum copioſè expellat; Atque ideo cum primus curantis ſcopus ſit, putridæ febris augmentum, intercepta putredine, per euacuationem, prohibere, illum meritò depulici hoc inſtrumento, pharmacia videlicet, & phlebotomia, aſſequi tentabimus; Dum enim humor peccans euacuandus extra venas totus extiterit, vt ferè ſemper in intermittentibus febribus obſeruamus, tunc potiſſimum pharmaco vti licebit, cum phlebotomia inde difficilè humorem educat; Atqui dum humor ipſe peccans in venis vtili adhuc ſucco permixtus ſedem habeat, (habet autem in continuis) tunc & pharmaco, & phlebotomia euacuari ille aptè poteſt; eo quod ſcilicet pharmacum ſuo expellentis virtutis irritamento, à quocumque corporis vaſe, vnam cachochimiã tollat; phlebothomia verò quaſi fracto vaſe è venis ſaltem indifferenter contentum humorem omnem efluere generoſè ſinat; at dum in venis & extra venas ſimul putreſcens humor collocetur, qui & inde febrim faciat, ac foueat, tum inquam continuam, tum intermitientem (quod ſępe contingit) vtiliter & pharmacum, & phlebotomia ad intercipiendum putredinis, & febris augmentum adhibetur, & porrò ad abolendam cauſam febris antecedentem, & quoque quatenus liceat coniunctam; Atque hiſce ſic ſe habentibus. facilè vtrius vis horum inſtrumentorum qualitas, quantitas, & opportunitas in curandis febribus omnibus erit conſpicua, & ſanè primum qualitas, ex ipſa humoris peccantis ſede, vt dictum eſt, quod ſanè humor (ſiue antecedens, ſiue coniuncta febris cauſa ſit) vbi in venis exiſtat, vt per febrim continuam euenit, earum reſeratione, per ſectionem, euacuandus eſt, quoniam vero hæ ab hepate omnes, tanquam à fonte, humorem quemuis recipientes, quaſi viæ, & ductus eundem quoquouerſum per corpus omne deferentes,

naturæ diſpoſitione præſtanti, ita ſe habent, vt illarum quæque, quæ partibus dextris totius inſeruiunt, è magnæ venæ, præcipuo hepatis depoſito, ſub dorſo, ab imo ad ſummum extenſæ, dextro latere, habent exordium, indeque diſtribuendum humorem recipiunt, quæ autem partibus ſiniſtris humorem ſugerunt, omnes è ſiniſtro; hinc factum eſt vt in eodem corporis latere ſemper patens vena ſecanda ſit, cui illa humorē peccantem continens communicauerit, nempe in dextro, ſi illa lateri dextro, & in ſiniſtro, ſi ſiniſtro adhęreat; adheſio etenim ſecum portat fibrarum rectitudinem, iuxta quam ob certum conſenſum, tum euacuatio, tum reuulſio, euidenti experimento, commodius ſuccedit; & ſi vbi peccans humor in venis maioribus ſedem habens, nec magis dextrum, quam ſiniſtrum corporis occupet, vt illi ideo indifferenter venæ corporis patentes omnes, pari conſenſu, communicent, quod in continuis putridis febribus, vt plurimum, obſeruamus, tunc quælibet patens vena, citra delectum, vtiliter ſecari poſſit, vtilius licet, & euidentiori ægrotantis bono, interior cubiti vtruſque, ſed magis dextri vena, quæ à vena magna plurimum, & ab hepate, fonte humorum, breui via validiſſimè prolicit. Sequuntur febres intermittentes, quarum focus omnis, & cauſa, extra venas, in meſenterij puta vijs, & adiacentibus vaſis, reſidet; In quibus propterea febribus, nihil per ſe, ſed per accidens ſolum, aliquid ipſa venarum maiorum per reſerationem facta euacuatio prodeſt, quod nempè illa, propriam earum cauſam, parum, vel minimè attingat; Siquidem meſenterij vaſa, à vena porta tantum ſuam ducant originem, quæ cum vena caua parū habet conſortium, cum per eas propagines ſolum ipſius illi communicet, quæ cum cauæ venæ propaginibus in iecore coniunguntur, ac conuenisſt, mutuis ſe amplexibus excipientes; quamobrem tum loci intercapedo, tū viarum anguſtia, deſideratæ euidenti, & præſentaneę humorum, inde, per venarum maiorum reſerationem, detractioni, impedimento ſunt, immo neque per eandem reſerationē euacuatio inde optanda foret, cum ab his locis, reuocati, attractique in venas vitioſi, ac putridi humores, ſaltem qui fluidi, & ad motum parati febrem comittentes ſunt, probum ſanguinē, & laudatos humores, putredine inficerent, qui febrim intermittentem continuam facerent; Et ſi cum perpetuo ab hepate, ad meſenterij vaſa, quibus chilus ad hepar fertur, (ſunt hæc etiam de genere venoſo) vnà integrè confectus iam ſanguis alendis inteſtinis deſtinatus ſenſim traſfundatur, vnde & quaſi antecedens intermittentis febris cauſa, fouendæ coniunctæ in meſenterio reſidenti apta, ſæpe originē habeat; Idcirco tum ad abolendam hanc, ſaltem vè minuendam, (quando præſertim in venis ipſis totius, humorum & ſanguinis copia vrgeat, vnde coniunctæ cauſæ fomes conijciatur) tum ad cuiuſuis futuri ſimptomatis, ex inflammato per febrim ſanguine, euentum, augmentum vè arcendum, & intercipiendum maiorum venarum reſeratio, per intermittentes etiam febres, ex arte vtilis, & conueniens eſt; Qua item occaſione, eadem ſimiliter deligenda vena eſt, quæ vel humori in dextris vigenti, vt in tertiana, per quam bilis circum iecur ſtat, vel in ſiniſtris vt in quartana, per quam melancholia circum lienem reſidet, æque reſpondeat; In quotidiana enim, quæ ferè perpetuò ex pituita à capite eſt (niſi interea humor pituitoſus alicubi congeſtus, bilique mixtus, atque vnà putreſcens, aliter agendum oſtendat) vtriuſuis cubiti vena ſufficiens erit cum ex his maximè vndecunque corporis euacuatio, & reuulſio etiam habeatur; Etenim ſuo ipſarum poſitu, è propinquo, venam magnam, vnde in reliquas

quas omnes humor perpetuò diſpartitur, euacuant, vt dictum eſt, atque illis exinanitis, vel ob vnum æquilibrium, reducitur humor vnde diſceſſerat, quod reuellere, & euacuare eſt; Cæterum præterea quod eadem meſenterij vaſa, febrientis vtilitate maxima, non ſemel ſponte aperiatur, euacuenturque, apertis nempè orificijs earum venarum, quæ intrinſecus circa ſedem ſunt, quas ſanè meſenterij eſſe conſpicuum eſt; Illuc quippè hæ, mira naturæ induſtria, pertingentes feculentum hipocondrijs contẽtum ſanguinem, humorem vè cachochimum quem vis, ſponte, & commode, pro neceſſitate effundant; Ideo etiam meritiſſimè factum vt, cum apertis illis, non inflammatus tantum ſanguis, circa meſenterium reſidens, minuatur, ſed & inſimul peccantis humoris non paucum, magno febrientis commodo, foras educatur, vt inquam, quandocunque ſe sè offerat occaſio, neceſſitaſque vrgeat, nec quidquam impediat audacter reſeratio earum, ex arte, imperanda ſit, indeque euacuatio ſolicitanda; Ea quamquam prudentia ſemper aggrediendum opus, proſequendũque videatur, qua nullam adeſſe in venis maioribus ſanguinis exuberantiam, bellè præcognitum fuerit, aut eadem forſam præexiſtenti, iam venarum magnarum totius, præmiſſam ſufficientem exinanitionem, per phlebotomiam fuiſſe, conſtiterit; ſiquidem hæc in vrgentis ſanguinis copia neceſſariò ſemper præmittenda eſt, ne adhuc eadem in venis copia perſiſtente, apertis vaſis in ſede, ex venis eiſdem magnis, ad meſenterium facta attractione, maior in eodem excitetur obſtructio; Præter hæc autem, ſi humor, qui peccat, (vel continua, vel intermittens febris fuerit) pharmaco purgandus ſit, cum is quocunque corporis vaſe contentus, pharmaci adminiſtrati viribus, deturbetur,, euacueturque, vtique etiam tale id pharmacum deligendum eſt, quale operi exequendo conueniat; Qualitas verò duntaxat ex aſſequuturi difficultate, vel facilitate indicatur, quippè pharmacum aliud expetatur, ſi facilis euacuatio futura ſit, & prorſus aliud, ſi difficilis; Pharmaca etenim omnia indifferenter, & vndequaquè omnibus pellendis humoribus apta nata ſunt, eademque facultate (vel hæc illis per ſe, atque directè inſit, vel per accidens & indirectè) qua humorem vnum, reliquos item è loco turbare, foraſque) niſi facultatis in eis robur obſit) pellere optimè valet; porrò cum toto temperamento naturæ ſint aduerſa, interea autem aſſumpta, opeque caloris excitata, ſuas exerant vires, neceſſariò virtutem expellentem irritant, atque tum ipſamet aſſumpta (de verè purgantibus loquor) tum quæ vltro ſuperabundant omnia, quæque inutilia ſunt, parataque euacuationi, in via conſiſtunt, magna ſolicitudine depelli coguntur, adeo quod ſi ea ipſa ſuperabundantia, inutiliaque, ita diſpoſita, & in vijs parata exiſtant, vt vel leui quouis impulſu è loco turbentur, ſanè vel leui quouis pharmaco demoliuntur; contra ſi altè recondita, ibique imparata, infarcta, & ad fluẽdum inepta ſtent, non niſi potenti, eoque etiam repetito pharmaco dimouentur; Vnde ſi bilis peccet, & vrgeat, cum ipſa humor ſit ſua natura tenuis, fluxiliſque, ſanè dum viæ euacuationi pateant, vel leui, benignoque pharmaco, foras expurgatur; validiori autem eget ſemper, ſi pituitæ admiſceatur, quæ humor craſſior, & viſcidior eſt, perindeque magis rebellis; quæ item pituita, quo copioſior, eo renitentior, & ideo eget ſemper pharmaco validiori, & potentiori; Atqui valdè longè validius, atque potentius pharmacum melancholia expectabit, vel ſanè quia craſſior ſua natura, & præcæteris renitens ſuccus nimis eſt, vel quia etiam in recondito ſæpe lateat, & longè diſtet à vijs euacuationi conſecratis;

Non vnum igitur pharmacum ſemper in curandis febribus omnibus deligendum, quod ſcilicet tale ſemper operi idoneum cenſeatur, ſed quidē ſæpe vnum, illudque ſimile, aliàs autem aliud, atque diſſimile; Quare ſunt quæ cholagoga ſunt quæ phlegmagoga, & melanagoga pharmaca appellantur, quia nempe vni potius, quam alio humori deturbando, putà bili potius, quam pituitæ, & huic magis quam melancholiæ proportionata patent experimento; Et ſi ea adhuc vbi ſua natura talia non ſint ex arte ſaltem conficienda, additis nempe adiuuantibus, tam occaſione forſam imbecillitatis eorum, quam occaſione incommoditatis in ægro; Inſuper & corrigentibus non neglectis, vt malitia eorundem deterior emēdetur, atque ita opus, ſi liceat, melius omniquaque ſuccedat.

SVCCESSIVE DE QVANTITATE euacuationis, & inſtrumentorum requiſitorum, agitur, vt ex voto ſuccedat res.

CAPVT QVINTVM.

POST hæc etiam quantitas euacuationis cuiusque, ſiue ea per pharmacum, ſiue per phlebotomiam deſideretur, eſt decernenda, ſiquidem intercurandum neceſſaria ea adeo ſemper ſit, quod nihil magis; Itaque primum, iuxtà præcepta aliàs in methodo tradita, ſupponendum, ex peccantis euacuandi humoris copia, diſpoſitioneque, & ex ægrotantis virium tolerantia, vnā vacuationis omnis celebrandæ quantitatem ſufficienter indicari; Et quāquam certò præciſam, ac adamuſſim tantam eam eſſe debere, nouiſſe aliquando minimè eſt conceſſum, quando coniecturis veriſſimilibus duntaxat, & humoris peccantis diſpoſiti quantitas, & virium tolerantia prænoſcatur, quanta ea tamen in putridis arcendis, reprimendis vè febribus vtilior eſt futura, quocunque illa inſtrumento celebretur, ex quadantenus ſaltem expreſſis inditijs, pro poſſe, decernitur; Virium robur cum ſenſus lateat, aliàs meritò ex proprijs ſignorum fontibus mente coniectādum, quo modo autem id faciendum nobis ſit, in methodo aperuimus, putà ex cauſis; vnde corporis conſtitutio, ſubindeque generoſa, vel languens facultatum animæ operatio prouenit; Et ex effectis quoque, qui viuentis corporis opera ipſa ſunt, quatenus inquam foras illa ſe proferuut, ex his enim ibi docuimus robur virium; tum præſens, tum futurum, ſufficienter decerni poſſe, & ibidem quoque vires oppreſſas à diſſolutis longè valdè diſtare demonſtrauimus; vt propterea interuacuandum, non tantū roboris validitas, imbecillitasuè æſtimanda, quantum adhuc ne id illi, vel ex oppreſſione, vel ex diſſolutione euenerit, præmeditandum, ſiquidem minus debile robur ex oppreſſione ſit, magis autem ex diſſolutione, perindeque maiorem admittit oppreſſio euacuationem, quam ipſa diſſolutio; At quod ad humoris peccantis quantitatem pertinet, ſatis ſuperque etiam ex eadem noſtra methodo conſtat, illam, cum per ſe ſenſus lateat, ex effectis quidem validioribus, vel mitioribus, magnam, aut paruam fore credendam; attamen ex cauſis, & cauſarum effectis alijs, vt nō ſpernen-

ſpernendis adminiculis, euidenter tum multam, tum paucam exiſtere, indicandum; Vnde humore multo cum viribus validis exiſtente, euacuationem meritò generoſam facere oportere, cum viribus autem debilibus, parcam, ſaltem vè partitam; humore verò cum eiſdem viribus pauco, euacuationem quamcunque admittendam; at illo pauco cum viribus debilibus, aut etiam validis, vel omnino nullam, vel paruam ſufficere; mediocrem denique, viribus, humoreque mediocriter ſe habentibus, eadem methodo rectè ſancitum; Et ſi dum vltro peccantis eiuſdem humoris, ad obtemperandum expulſioni, habilitas, & viarum, per quas expulſio factura eſt, diſpoſitio expendatur, euidentius conſtet, quantum illius, per febris initia, quibus, vt dicemus, vacuatio molienda eſt, euacuari commodè poſſit; Hoc autem reſpectu inſtrumenti, quo nobis interuacuandum vti conceſſum eſt, ſpeciatim intelligendum duximus, quoniam fortaſſe humor, qui difficilè per initia pharmaco demolitur, facilè aliquando phlebotomia diminuitur, & contra, vt manifeſtum eſt; Ergo hæc in ſingulis, pharmaciæ nempè, & phlebotomiæ operibus, expendēda ſunt, atque in illo phlebothomiæ primum, cum ad intercipiendam in febri putredinem, iam vacuandum eſſe decretum fuerit, ſine dubio ratū, certumque præmittendum eſt, vacuationem huiuſmodi, in febri quauis, minimè ſemper vnam, eandemque ex voto forè profuturam, & intento ſatisfacturam, quoniam inquam vna, vno, eodemque modo tentata, putreſcentem humnrem febrim facientem, fouentē vè, vi ſua, non poſſit toleranter attingere, perindeque minimè in omnibus ea ſemper ſimilis procuranda, ſed neceſſario varia, eaque vel maior, vel minor, pro maiori, minori vè, quam ad humorem multum, aut paucum demoliendum habet, commoditate; Sanè quidem per putridas continuas, in quibus humor, qui peccat, cauſæque tum coniunctæ, tum antecedentis rationē habet, vt plurimum totus reſidet in venis, quem ideo quoniam phlebothomia proximè attingit, eo quia apertis venis, quaſi fracto vaſe, quodcunque illis continebatur, tam nempè vtile, quam inutile, ſeu noxium, foras indiferenter erumpat, vnà merito phlebothomia tunc ſummè expetitur, & ſi vnquam, in his maximè febribus generoſior ea celebranda eſt; dum tunc ergo humor, qui peccat, exundet, multusque ſit, ea ſemper maior, at parcior, ſi ille paucus exiſtat; Per putridas verò intermittentes, in quibus humor, qui tum antecedentis, tum coniunctæ cauſæ habet vim, extra venas reſidet, & vt plurimum in meſenterio ſedem habet, è quo porrò phlebothomia (niſi per venas hemorroidales in ſede tentato) difficilè, & longa ſolum conſequentia, aliquid educere apta eſt, proculdubiò minus laudabiliter ea ipſa phlebotomia exercetur, vel ergo tunc multus, vel paucus humor ſit, qui peccat, & febrim facit, aut fouet, nihilominus niſi illius in venis tantum contineatur, ex quo, vel ob vnā multitudinē, ſuſpectum ſit cauſæ coniunctæ febris augmentum, equidem noxia potius, quam vtilis cenſenda phlebotomia eſt, proportionata dein illa iudicabitur, ſi continua ſimul cum intermittenti corpus afflixerit, intereaque humor peccans, aut paucus, aut multus vbique locorum extiterit; Neque enim aliàs præciſa phlebothomiæ menſura, in febri quauis putrida decerni poteſt, quando præſertim ea, non niſi coniecturali, ac longa obſeruatione eorum, quæ hactenus dicta ſunt, concipiatur; Verū tamen adhuc præcautio quædam in ea proſequenda perpetuò habēda eſt, vt nempe non ſolum præſentibus febrientis viribus illa toleretur, ſed vt inſuper futuris non officiat, vt ipſæ inquam vires, muneribus, vel naturæ,

vel

Digitized by Google

vel artis, reliquis ritè obeundis in poſterum, ſuſtinendis vè, aptè ſufficiat, poſteaquam præſentaneis deſideratis operibus omnibus ille & ſi ſat eſſe poſſint, non tamen ex proſequutis ipſis, ita conſiſtenter in futurum valituræ ſint ſemper, vt quibuſque reliquis ad curationem requiſitis bellè ſat ſint: Nam inprimis feruor ab aucta putredine maior, atque deinceps maior effectus, neceſſariò magis, ac magis vires omnes in poſterum franget, immo putredo ipſa, vel copia, vel prauitate maiori, eaſdem ſua virulentia vlterius afficiet; atque inſuper ſimptomata fortaſsè ſæuiora effecta, earundem robur valdè languidius reddent; quare cum nuſquam toto ipſius febris progreſſu, vires ſimiles ſibi, neque perinde ſuſtinendis quibusque laboribus aptè futuræ ſint, ſequitur neceſſario, phlebothomiam non niſi tantam per initia forè permittendam, quanta ſaltem faciendis reliquis minime impedimento ſit; Etenim phlebotomia, tum quia vacuatio eſt, tum quia vacuatio ſanguinis, velimus nolimus ſemper vires exhaurit; procurandum ideo, vt non niſi eo per ipſam illæ ex hauriantur, quo breui poſtmodum reſtituantur, quod permiſſum ſanè videtur in morbis, qui nuſquam vltrò quam par ſit, viribus ſuo progreſſu ſunt infenſi; dum interea tamen boni ſucci, hoc eſt, ſanguinis copia, repadandis ſpiritibus, ac viribus refocillandis, etiam per diuturnitatem morbi, perſeueret, contra, in alijs; Ergo ne talis febris ſit, futuraque ſit, quæ viribus comparata, multum, vel parum illas laceſſitura ſit, examinandum quidē, attamen dein ne facilè vires per ſe valituræ, ex vna boni ſucci, hoc eſt, ſanguinis copia, in febri etiam longa perſeueranti, conijci poterit; Vt perinde licet in decernenda iuſtæ phlebotomiæ menſura peccantis, ſeu cachochimi in venis ſucci quantitas, cum præſenti ſaltem virium tolerātia, attendenda videatur; attamen deinceps, vt etiam vires futuris proſequendis omnibus ſufficientes ſint, ipſa conſiſtens boni ſanguinis copia maximè obſeruanda videatur, ne dum multum exundantis cachochimi ſucci educere intendamus, boni ibidem inexiſtentis ſanguinis, vltro quā par ſit, foras extrahamus, & viribus reparandis, maximo futuræ curationis impedimento, & ægri damno euidenti, pabulum ſubtrahamus; Verum quod ſpectat ad euacuationem per pharmacum, ipſis febrium putridarum initijs aggrediendam, non minori ſanè prudentia in quantitate decernenda eius vti neceſſe eſt, quam de illa phlebotomiæ dictum hactenus; poſteaquam vtrique licet operi ex arte menſura conueniens præſcribatur, operi tamen per pharmacum aſſequendo certam ad libitum ſucceſſuram nullus vſquam affirmare eſt auſus vel ex eo quidem quod pharmacum minimè agat ad libitum, ſed neceſſariò, pro agentis, patientisque habilitate, at phlebotomia liberè voluntati ſubijciatur, quod per eam quantumlibet ex venis euacuare conceſſum videatur; Itaque res vt propitior adſit, primum quidem pharmacum appoſitum diligenter decernēdum eſt, demum verò quantitas euacuationis per ipſum deſiderata præcognoſcenda, vt ſiquidem pharmaci delectus humori purgando optimè cōgruat, atque euacuationis quantitas copiæ eiuſdem ſufficiat; Quod ergo pellendo humori cuique præter naturam ſe habenti proprium deſignatum pharmacum eſſe iam ante dixerimus, non quia id demoliendo illi ita ex proprietate requiratur, vt ab alio nequaquam pharmaco ille met humor demoliri valeat, ſed quoniam ſolum hoc, non aliud eidem demoliendo humori ſit proprijs viribus proportionatum; tum inquam id certum nos, ratumque habeamus, non erit difficilè, tum pharmacum humori purgando proportionatum, tum vacuationem per eum ritè decernere, ſi pridem tamen

tamen facilitatis, & difficultatis occaſio ad agendum attendatur; Nam & ſi cuique pharmaco, ad tutam vacuationem conſequendam, longo iā vſu, & experimento, conueniens menſura decreta ſit, ad ſufficientem nihilominus, & deſideratā, modo ea maior, modo minor præſcribenda eſt, ex multis, vt latius in methodo diximus, vel puta ex febrientis corporis conſtitutione, tum innata, tum per conſuetudinem aduentitia, qua ſenſus facultatis expultricis aut vegetior, aut ſegnior eſt, cui ideo pharmacū modo mauis, modo minus ad irritandum conuenit; vel ex ſede inſuper peccantis humoris, cui aut per ſe, aut per accidens, magis, minus vè prōptè, & commodè reſpondeant viæ, quibus foras eijciendus humor fuerit; vel ex humoris demū conditione, ſeu diſpoſitione, per quam ille renitens magis, aut minus, expulſioni eſt; porrò ex his, & alijs, in methodo declaratis, ſatis conſtat nè leui, aut valido potius impulſu deturbandus humor ſit, ſubindeque ne operi aſſequendo potens, aut mediocre pharmacum deſideretur; Verum quantum, & quouſque ſit per pharmacum vacuandum, quamuis humor qui noxius, quoniam præter naturam eſt, & febrim, vel actu facit, ac cauſa febris coniuncta eſt, vel facere febrim aptus eſt, ac eiuſdem ſaltem antecedens cauſa cenſetur, ſiuè in venis ille ſit, & continuam febrim pariat, ſiuè extra venas ſedem habeat, & intermittentem cauſet, & ideo quidem totus (aut febrim præcauere, aut eandem profligare conſilium ſit,) eximi ſemper debeat; attamen quod hic duntaxat de euacuatione per febris initia poſſibili, per quam tantummodo febris augmentum intercipitur, perindeque de cauſam febris (vel antecedens ea fuerit, vel coniuncta) minuenti ſolum vacuatione (de eradicanti enim alibi dicemus) intentio eſt, vel exquo præſertim cruditas adhuc magna ex parte vigeat, nec dum humores rectè parati omnes, & integræ euacuationi prompti exiſtant; Hinc vtique etiam ſi peccantis humoris copia multa, & ferendo euacuationis labori, vires ſufficientes, per id temporis, adſunt, nequaquam tamen generoſa procuranda vacuatio eſt, vt potè non ſucceſſura, ſed tantundem ſolum, vt diminuta copia, valentius vires vigeant ſupra reſiduum; Quamobrem conuenientem viribus, & copiæ æſtimaturi nos vacuationis per pharmacum faciendæ menſuram, habenda quidem, & roboris virium, tam præſentium, quam futurarū, & copiæ humoris ratio eſt, verum tamen magis, ne maiori, minori vè tantū ex parte, humor qui peccat, ita promptus, & euacuationi diſpoſitus ſit, vt facilè per apertas, paratasque vias, ille irritanti pharmaco ſit obtemperaturus; Hoc autem quamquā obſcurum, non leui tamen ex coniectura patebit, ſi primū, ſtatim per eadē febris initia, natura aliquid peccantis humoris, vel per vomitum, vel per ſeceſſum foras expurget; Si dein humoris peccantis ſpecies, eiuſque ſubindè motus vacuationi faueat, quippe humor, qui ſua natura tenuis, & calidus potius, quā frigidus, ad agendūque promptus eſt, vt in exquiſita tertiana eſt bilis, hic fluidior ſemper, & vacuationi paratior æſtimandus eſt, non itē ſi ille ſua natura craſſus, & frigidus potius, quam calidus, vel per ſe, vt pituita, in quotidiana, & melancholia in quartana, vel per alterius miſcellam, vt bilis, per tertianam ſpuriam, pituitæ, aut melancholiæ mixta, ideoque in agendo ſegnior ſit; Etenim tunc commoditas, tum maior, tum minor euacuandi, eſt conſpicua, atque tum copioſior, tum parcior humoris eiuſdem peccantis procuranda euacuatio per pharmacum indicabitur.

ET DEMVM DE OPPORTVNO *ipſius euacuationis, & inſtrumentorum vſu, habetur ſermo, vt prudenter curatio proſequatur.*

CAPVT SEXTVM.

SED opportunè opus aggrediendum eſt, ne illud intempeſtiuè aggreſſum lædat, & ſanè vel euacuatio per phlebotomiã ſit, vel per pharmacum celebretur; Etenim quod ad phlebotomiam ſpectat, proculdubio ea, tum qualis, tum quanta requiritur, eo potiſſimum febris tempore adminiſtranda, quo laboranti proſit, & minimè obſit; Tempus autem hoc per initia ſtatutum eſt, quia tunc vires adhuc ſatis ſuperque vigeant, & laborē facilè toleraturæ ſint: Inſuperque tunc cauſa antecedens in venis bono ſanguini mixta ſi aderit, vtiliter adeo, & cõmodè per phlebotomiã minuatur, quod indè coniunctæ cauſæ augmentum intercipiatur, quæ verò iam facta eſt, promptius à viribus vincatur, & propellatur, maximo accedente ſanguinis refrigerio, quippè tunc febrilis feruor, antequã vltro humorũ moles incendio excandeſcat, atque ita iam maior putredo inualeſcat, vnius venæ reſeratione palam reprimatur; Quod equidem euidentiſſimum in continuis eſt febribus, quarum fomes, & cauſa in venis primũ reſidet, ex quibus detracta per phlebotomiam copia, tũ quod reliquum eſt, valentius à natura concoquitur, & ſuperatur, tum exinanitis vaſis, illud ſpatiatur latius, daturque illi maior ventilationis locus; At intermittentibus, quarum fomes præcipuus, & cauſa, in prima corporis regione eſt, è qua illum difficilè venarũ maiorum phlebotomia euacuat, (niſi adhuc in venis ille etiam vrgeat, coniunctã aliquando cauſam in meſenterio multiplicaturus, vel conſeruaturus) hoc minus conſpicuum eſt, vt & minus conueniens, niſi ex venis in ſede, iuxta præcepta alias tradita, celebrata fuerit phlebotomia; Itaque hæc cum ita ſe habeant, ſi quo tēpore febrium putridarũ, ipſo maximè initio phlebotomia præſcribenda, faciẽdaque eſt; Et quamuis ea, licet indicata, tunc tamen iuſta fuerit aliquãdo occaſione impedita, etiam ſi dies adhuc plures iam præterierint, ſublato nihilominus impedimento, non deneganda, dũmodo eiuſdẽ neceſſitas vrgeat, atque vires ferant, neque ſint, febris, vel ſimptomatum diuturnitate collapſæ, quo item caſu, neque ea omnino poſthabenda eſt, ſed retardanda ſolum, quouſque vires ſint ſufficienter refocillatæ, atque tũc etiam, quando illam generoſam non tullerint, partitam ſaltẽ, & per diſtantes vices, modo ex vna, modo ex pluribus accõmodatis venis, & maioribus, & quoque minoribus, imperare iuſtum erit, idque tam diu, totieſque repetendũ, quam diu, & quoties vacuationi ſit ſatisfactum; Quę ſanè iteratio, vel repetitio melior ſemper æſtimatur, ſi non longo temporis tractu prorogetur, & quidem antequam putredo, aut febrilis inflãmatio inualeſcat, ſi prætertim plectoria adſit, & magis ſi etiam ardens, vehemensque febris fuerit, qua efferatus ipſæ humor eiuſdẽ auctor, breui deterior ſit futurus, ſæuum vè aliquod ſimptoma forſam parituruſ; ſiquidẽ tunc quantocitius quod exuberat euacuare vtiliſſimũ & neceſſarium eſt,

cum

eum is, qui metu deterritus tunc phlebotomiā retardare proponat, & minus proficiat, & febrim producat in longius; Interea licet nuſquam ita audacter, & confidenter adeundum opus, vt diſſipatis ab eo ſpiritibus, nimis diſſolutæ vires, magna febrientis pernitie, cadant, ſed iuditio multo, multaque prudentia adeundum illud, proſequendumque. Vt autē vniuerſalium temporū, ita particularium etiā dierum, quibus febres excandeſcunt, delectus habendus eſt; Siquidē intermittentes, vel quotidie, vel certo quoque die recurrant; & ſimiliter continuæ exacerbentur, vt notum eſt; eo ipſo ergo tēpore, cum humores magno æſtu, quaſi furore concitati, efferueſcant, viresque sūmopere laceſſant, & affligant, non eſt quod vltro illæ artificioſa euacuatione quauis labefactentur, eaque propter tunc, neque vtiliter, neque tutò phlebotomia adminiſtrada, tū quod afflicto nulla ſit maior addenda afflictio, neque tunc natura ab vtili reſiſtentia, quā per acceſſionē, exacerbationē vè ſemper facit, quà ſanè non rarò ſalubres vacuationes per ſe illa molitur, vt per ſudores, vrinam, atque ſeceſſum, per phlebotomiam auertenda, tum quod poſito humores extra venas collocari, indeque in venas illos impetum facere, vt in intermittentibus ſit, ſi eo tempore ſanguis effluat, metuendum ſemper ne impetu validiori in exinanitas venas è veſtigio commigrantes illi, ex intermittenti, continuam faciant; Dum itaque maior tranquillitas adſit, in febribus his putridis phlebotomia tuto celebrabitur, atque vt ea certior ſit, nec dierum ſolum, ſed & horarum delectum habere neceſſe eſt; Maxima vtique tranquillitas eſt, ea hora, quæ ab exacerbatione, acceſſione vè valde recedit, & quidem ſi per tempus matutinum fuerit, quo nocturno ſomno vires refocillatæ ſunt, omnium præſtantiſſima erit, ſin ſecus, neque pomeridiana deſpicienda. Sequitur pharmacia, quam in putridis neceſſariam iam demonſtrauimus, cuius ideo opportunitas nunc ſucceſſiuè decernenda eſt, & quamquam ex hactenus dictis eam appoſitè per initia, & quanto citius adminiſtrandam eſſe conſtat, hic nihilominus præſſius neceſſitatem eius per tempora eadem aperiemus; Sanè cum putridæ febres omnes ex cachochimo ſucco fiant, vt certum eſt, cachochimiæ autem proprium, accommodatumque remediū ſit per pharmacum euacuatio, quæ vnam ſeorſum impuritatē omnem, bono, & laudabili ſucco relicto, ex quauis ſede corporis ſubtrahit, ea vtique tunc pridem neceſſariò adminiſtrabitur, cum vrgere cachochimia videatur, dum interea tamen vires eandem fuerint tolleraturæ; Sed ſtatim atque febris adoritur, vrget cachochimia, & putredo, tuncque etiam vires à ſeipſis per ſanitatem parum, vel nihil diſtantes ſunt, perindeque robuſtæ ſi vſquam per febrim exiſtunt, ; Igitur per putridæ febris initia, & quanto citius opportunè pharmacum ex arte præſcriptum adminiſtrabitur; Quod verò ipſo febris exordio cachochimia vrgeat, vt ſubindè putredo maior expectetur nullus vnquam dubitauit; Immo, & vires tunc validiores eſſe, quam deinceps validæ futuræ ſint, nemo vnquam ibit inficias; Sed an interea cachochimus iſ ſe humor, qui aptus natus eſt febrim fouere, & antecedens febris cauſa eſt, pharmaco etiam prudenter adminiſtrato ſit obtemperaturus, non omnibus videtur rationi conſonum; quando non niſi præuia coctione, & debita viarum, expurgandique humoris, præparatione, purgatio, euacuatio vè tutò, & commodè habeatur; atqui per febris initia, cruditas humoris, qui antecedēs febris cauſa eſt, ſemper vrgeat, conſequenterque imparatus ipſe humor, & viæ ſint, nec deſideratæ vacuationi accommodatæ, diſpoſitæ vè cenſeantur; quanto magis humor iā actu

Digitized by Google

putreſcens, actuque febrim efficiens, qui & febris coniuncta cauſa dicitur, ab expectata coctione, præparationeque, tunc longè diſtabit? poſteaquã ipſum iam nimis tunc præternaturam effectum valdè magis de neceſſitate ab ea diſtare oportet; Verum enim verò licet ex his, quis à pharmaci euacuatione, per putridæ febris initia, abſtinendum ſibi apparenter forſam perſuadeat, re vera tamen, ſi quæ vniuerſim de coctione ante vacuationem requiſita, in methodo diximus, hic ſpeciatim turſum recognoſcet, vtique vacuationem hanc per putridæ febris initia libenter, & ex arte admittet; Diximus namque ab humore, tum vtili, bono ſcilicet sãguine, à recta ſymmetria iam decedente, tum ab inutili, excrementitioque ſucco, pituitoſo, bilioſo, aut melancholico, morbos, & nunc febres putridas, ſua ammetria, excitari; Diximus inſuper humores hoſce, non niſi per coctionem ſuæ conditioni reſtitui, vt perinde eorũ vnus retineatur, & alter expellatur; Atque coctionem hanc duplicẽ indicauimus, vnam propriam, qua humor, qui vtilis eſt, ſecreto inutili, in nutriti ſubſtantiam tranſmutatur; alteram impropriam, qua dum vterque ſuæ conditioni donatur, inſimul omnẽ ſibi congruum eſſendi modum, in conſiſtentia, & temperamenro qualitatum cæterarum, ad finẽ proprium aſſequendum, adipiſcitur; Quibus ſanè ſic poſitis, ſtatutum inprimis fuit, coctionẽ propriam vbique & ſemper neceſſario præponendam expulſioni; quia nunquam ſuis viribus natura expellat, quin prius illa ſufficienter humorẽ tali coctione concoxerit; Statutum præterea coctionem impropriam non ſemper deſiderari, quippè ea ſaltem in humore antecedenti nunquam omninò deſit, velut ſæpius in coniuncto etiam ſua natura ſemper fluido, vt bilis eſt, facilè adeſt; Siquidẽ humor tunc vt nondum totus actu febrim facit, ita qualis, qualis fuerit, nec dum adeo totus à propria indita conditione alienus eſt, quod etiam totus euacuationi ineptus cenſeatur, præſertim per initia, quare iure, & meritò eum appoſito pharmaco tunc foras educi poſſe ſancitum; Humorem autẽ intelligo non vtilem, & alimentitium, ſed inutilem, excrementitiumque; Quamobrem poſito, ab eo, bile putà, pituita, & melancholia (ab hiſce enim vt plurimum putridæ febres fiunt, & raro à ſanguine, præſertim ſincero) febrim, vel continuam, è venis, vel intermittentem, è prima regione corporis, excitari; vtique tunc, cum ille iam vera, & propria coctione iudicatus; & ab vtili iam ſucco ſecretus, aut quidem forma, & poſitu, exempli gratia, bilis, extra venas, ſicut in tertianis intermittentibus, aut forma ſolũ, vt eadem, in venis cum ſanguine, veluti in tertianis continuis, non dubitandum, quin ex ſe pharmaco purganti aptè ſit ceſſurus, cum & ceſſioni natura ritè ſecunda futura ſit; Et quamquam ille, etiã iam febris auctor, neceſſariò à ſibi per naturam debita ſymmetria diſtans eſt, aut quia inquã calidior, acriorque, aut alio ſimili qualitatis exceſſu donatus, (putreſcit enim) per quem afficit, adhuc nihilominus ipſe quoniam per ſe ſufficienter, ex parte ſaltem, fluidus cenſendus eſt, vt putà excrementitius iudicatus, perindeque euacuationi conſecratus, iurè ideo vel congruo exhibito pharmaco vtiliter, & tuto purgari, euacuari vè poterit, & ſanè magis per initia febris; quibus penè ſemper ille talis eſt; nec minus adeo tunc viæ obſtructæ ſunt, quod vel etiam vtili euacuarioni minimè obtemperaturę ſint, generoſius licet, ob ductuum breuitatem, ex prima regione corporis, ſcilicet meſenterio, at parcius ob eorundem diſtantiam, & viarum longitudinem, ex venis vniuerſi, id expectandum; Cæterum poſito, ab vtili, alimentitioque ſucco, bono inquam ſanguine iam propriam ſymme-

Digitized by Google

ſymmetriam prætergredienti, febrim oriri, proculdubio aliter agendum nobis, nondum enim excrementitium iudicatum eſt, quod illius febrim facit, ſed adhuc ſub iudice ſtat, & in principio febris magis, quare cum nondum inutile iudicatum,& ſi aliàs foret euacuationi commodum, attamen ex arte nondũ pharmaco deturbandum, niſi fortaſſe leuiſſimum illud, ad priores duntaxat vias ab impuritatis colluuie quadantenus detergendas, præſcribatur; Itaque vt in putridis ab excrementitijs ſuccis effectis febribus, per initia euacuare commodum eſt, quod febrim fouet & facit, ita ferè ſemper in his tunc pharmacũ, non niſi prudenter, adminiſtrandum; Qudcunque autẽ idipſum fit, neceſſariò illud opportunis etiã diebus, & horis adminiſtrandum eſt, nẽpe diebus quietioribus & quibus febris, ſi continua fuerit, minus exacerbetur, ſi intermittẽs, vel quieſcat, vel minor recurrat; Inſuper & dierum eorundem horis, quibus, ſi quo magis, opus medicamenti diſtet ab exacerbatione, vel recurſu; Vnde ſiue matutina, ſiue veſpertina hæc hora fuerit, ea tuto deligetur, vt inquã vacuatio, fauente natura, ad votum ſuccedat, nec cum humores, quodã quaſi æſtu incitati, obturbatique permiſcentur, eorum iuſta ſecretio intercipiatur, aut item naturæ perpetuò operanti, ſalutemque procuranti, tunc præcęteris temporibus nocumentum aliquod inferatur; Ita ergo de opportuno pharmaciæ tempore, ad antecedentẽ cauſam in putridis abolendam, decretum ſit; Verum quod in eiſdẽ occaſione eadẽ, non pharmacia tantum, ſed & phlebotomia vti ferè ſemper eſt opus, forſam ne ab vna magis, quam alia exordiri ex arte neceſsè ſit, aliquibus erit ambiguũ; attamen ſuppoſitis, quæ vniuerſim de ordine pharmaciæ, & phlebotomiæ ad inuicem, in methodo diximus, facilè ambiguitas euaneſcit; Etenim poſito in putridis omnibus, tam continuis, quam intermittentibus, antecedentem ipſarum cauſam, non in venis tantum, ſed & extra venas, in meſenterio nempè, atque in hoc maximè, ſedem habere, (in omnibus autẽ febrientibus colluuiem cachochimię circa primam regionẽ corporis, vt plurimũ, redundare, vel ex euidenti hipocondriorũ afflictione, eſt cõſpicuum) proculdubio ex duobus hiſce enacuandi modis, ad cauſam antecedentem primo abolendam inſtituris, ille qui exequendo, celebrando vè alteri fauere aptus eſt, neceſſatiò præmittendus, nec vllatenus poſtponendus; modus itaque per pharmacum cum non ſolum faueat alteri per phlebotomiam celebraturo, ſed illi inprimis vtilis ſit, meritò ſemper in quauis putrida præmittetur; Quandoquidem cachochimia primã corporis regionem occupante, ſi venam aperueris, iecur, exhauſtæque venę ſordidum, & impurum ab ea exugent, & in ſanguinis locum rapient, magno ægri damno, quoniam ſi tunc fębris intermittens ſit, perducta forſam in venas putredine, deinceps fiet continua: at ſi continua etiam ab initio facta conſiſtat, ea longè deterior ſubſequetur, annexaque illi ſimptomata ſæuiora euadẽt, vel noua, & peiora aliquando inſuergent; & quamuis illius quod etiam redundat in venis, tunc per phlebotomiam vtiliter minui videatur, attamen quia pollutio à recenter rapto deterior, vt potè à magis diſſimili facta ſemper ſit, iure multo maius inde ſequitur detrimentũ, quã habeatur vtilitas; Veriſſimũ tamen eſt, quod ſi febris ſit continua, eaque ex concitatis valdè putridis bilioſis humoribus ardentiſſima, tunc vtilius ſit à phlebotomia vacuationẽ exordiri, quod porrò pharmacũ omne quãquam mediocre, vigente feruoris impetu, cõcitatiores humores reddat, & ſummo ægri malo feruorẽ augeat, quem contra facilè compeſcit phlebotomia, ea quoniam dum citò, abſque agitatione, copiã minuit, citò quo-

que humorum in venis maſſam vniuerſam, dilatato illi ſpatio, per quandam veluti ventilationem, refrigerat; quam ob rem appoſitius tunc eadem phlebotomia ante pharmaciam adminiſtranda erit, ſubminiſtranda verò pharmacia, & ſanè blanda, ſi miteſat feruor, aut etiam nulla, ſi longius vehementior perſeuerat flamma, adhibenda eſt, atque ſolis tunc enematibus vti ſufficiet, quibus inquam placidè, ac leniter, refrigerandoque, inteſtina, in omnem meliorem euentum, ab omni ſorde abſtergantur, & vijs quaſi communibus omnibus quadantenus ſufficienter apertis, patens corpus inde fiat euacuationibus; eadem & ſi enemata longo adhuc tractu ante phlebotomiam imperare opus videatur, ne putà illa, dum quodammodo ab extimis ad intima mouent, feculentiorē fortaſſe ſanguinem, à centro corporis ad circonferentiam iam naturæ impulſu tranſmiſſum, quadantenus auertant, atque ideo minus vtilis phlebotomia ſequatur.

DE VACVATIONE, QVAM MVLTIS VIIS, *per ipſarum febrium primordia, ſponte à natura tentatam obſeruamus, hoc loco tractatur; & quanti ea interea à medico æſtimanda, quidque in eadem ab eo, pro ægri ſalute, agendum demonſtratur.*

CAPVT SEPTIMVM.

ET de artificioſa cauſæ antecedētis in putridis febribus vacuatione, quæ ad earundem febrium intercipiendum augmentum, per initia inſtituenda eſt, hucuſque ſatis; Iam ſi ea ſpōte contingat, quid tunc ex arte à medico faciendum, explicare eſt operæ pretium; Per febrium ſiquidem putridarum initia, & adhuc augmento, plerunque eueniat, vt dū cachochimus peccans ſuccus ita naturæ moleſtus euaſerit, vt non tantum quod illius actu putreſcens, febris coniuncta cauſa eſt, ſed & quod mox eiuſdem putredine tentaturum, febris fomes antecedens exiſtit, ſtare loco nequeat, ſed ex ſibi iampridem impreſſo feruore, & ſubindè quaſi furore commotus, parteſque ſenſiles feriēs, facultatem tandem expellentem excitet, cuius poſtmodum impulſu, magno ægri leuamine, foras, ſpontè, citra artem, depellatur, & ſanè multifariam, quia ille inprimis dum maſſæ totius ſanguinis in venis permixtus, immoderatius agitatus, facultatis ſecernentis, expellentiſque regulam nullatenus admiſſerit, ſed efferatus potius ſuos excedens limites naturæ maxımè moleſtus euaſerit, fit ſæpiſſimè, vt è venis eiſdem loco conſueto reſeratis, effluat indiſcriminatim cum ſanguine, præſtoque hinc fit euidens hemoragia, ſiue ex vtero, ſiue ex naribus, ſiue conſuetis hemoroidibus; fit etiam aliquando vt citra quā è venis effluat, ſaltem ad partes corporis transferatur, in illiſque tumidum abſceſſum pariat; Aut dum illum vbicunque conſiſtentem virtus naturæ commodius regat, & moderetur, fit vt eum ſolum, quia videlicet noxium, ac tunc nimis vltrò moleſtum, vtili, ſeu meliori relicto, expultrix facultas expellat,

pellat, ſi quidem in venis fuerit, per ſudores, pre vrinam, verum ſi extra venas ſit, vt in meſenterio, per ſeceſſum, aut vomitum; Atque propterea tunc ſedulo attendendum, ne ſponte factum naturæ opus ſic vni deſideratæ antecedenti cauſæ reſpondeat, & diminutioni eiuſdem ita ſufficiat, vt prætetea exarte aliud eius gratia, ſiue per phlebotomiam, ſiue per pharmaciā, minimè tentare neceſſe ſit, quando plerunque natura per ſe adeo neceſſitati ſatisfaciat, quod omnino perperam, & vanū artis auxilium æſtimetur, veluti aliàs manca etiam natura eſt, vt illi arte opem ferre oporteat; Itaque poſito febrientē per initia hemoragiam pati, ſanè ſi febris continua ſit, cuius potiſſimum cauſa omnis in venis conſiſtit, cū per hemoragiā, quod venis continetur quam facilè & proximè foras educatur, vtique eadem ipſa hemoragia, tunc, ad antecedentē cauſam minuendā apprimè conueniens eſt, minus verò ſi febris intermiſſerit, quod potior eius cauſa, extra venas, ſcilicet in meſenterio, reſideat; Cæterū & ſi venæ omnes in vnum conueniant, adeo quod vna exinanita, reliquæ ſucceſſiuè exinaniantur, atque ita ab vna ea vniuerſum euacuari poſſit; non ex quacunque tamen (quantum ad præſens negotiū ſpectat) ex æquo ſemper laudabilis, & vtilis eadem hemoragia cenſenda eſt, ſed ex ea vena duntaxat, quæ propius foco cauſæ febrim fouentis conſentit, quoniam cum opus ſit, per febris initia minuere, quod redundat, quodque aptū vltro eſt factam febrim augere, ſane ideo non omnis hemoragia admittēda, ſed quæ hoc ipſum redundans, cachochimiam nēpè congeſtam, quātocitius, & breuiori ſpatio, magna ex parte, effundat, qualis ſanè eſt, quæ foco eiuſdem cachochimiæ propius conſentit; Ergo per quam venam inprimis hemoragia in his febribus fiat, obſeruandū eſt; prætetea verò contemplandus qui ſanguis effundatur, quandoquidem ſi talis ille fuerit, qualis peccanti humori reſpondeat, & inſuper via, per quam ille effunditur, aſſequendo fini apta videatur, profectò de vtilitate, & bonitate hemoragiæ non dubitandum, contra, ſi aliàs res ipſa ſe habeat; Atqui venæ per quas, vt plurimum, ſponte foras ſanguis erumpit, aut ſunt venæ vteri, in fęminis, aut venæ apud omnes in ſede, (ſi vna tamen hemoroidarum affectio præeſſe conſueſcat) vt manifeſtum eſt; Ex vteri etenim venis in fęmina generosè onus vniuerſi deponitur, quod in fęmina: hæ venæ maioribus alijs conſentientes cachochimiæ totius rectæ purgandæ à natura inprimis conſecratæ ſint, atque perinde cuique etiam copiæ eximendæ idoneæ videantur, quamobrem in febri continua primum, ex illis, ad antecedentem cauſam minuendam, vtiliter ſanguis effunditur; Sed in quouis, dum venæ circa ſedem, etiam per ſanitatē, certis interuallis, fęculentum emittere ſanguinem conſueuerint, proculdubio ſi emiſſio eadē ab illis in ægro per febres appareat, & vtilis ſimiliter, & laudabilis eſt, quod venæ hę proximè ex venis meſenterij ortum habere videantur, vt ideo promptè, inde redundantiam omnē, fouendæ febri cuique, tam ſcilicet continuæ, quam intermittenti, (huic & ſi magis) accommodatam, effundant; Et quod inſuper venæ hæ, reliquis maioribus, & cauæ præſertim conſentiant, natura autē mirificè, ductibus incompertis, quod peccat, ad eas ex toto, quaſi ad communem viam, perducat, ideo euidenter quoque ex toto ille cachochimiam expurgant; Quando autē ex natium venis hemoragia, per febris initia, foras eruperit, quamquam poſſibile eſt tunc, poſt vnam plecthoram, naturæ impetu, ad illas & ſi lōginquas, etiam ferri cachochimum, quod in maioribus venis conſiſtit, & potiſſimum ſi continua febris ſit, quoniam ſi intermiſſerit, id difficilè eſt

credere

credere, attamen niſi per eas immoderatior, fiat effuſio, quam minimè vires toleraturæ ſunt, durum adhuc in continuis eſt, credere ſufficienter illud, vt inquam conſerat, excerni aliquando potuiſſe, proptereaque excretio ea tunc parum conueniens ęſtimanda, niſi ob iampridem afflicti capitis cauſam fortaſſe ſucceſſerit; Aliundè vero ſi hemoragia adſit (niſi via aliqua per ſanitatē familiari, & conſueta fiat) cum omnino inutilis eſſe ſoleat, vtique tunc, etiam ſi contingenter profutura, nulla tenus à medico deſideranda, quod aliàs, maximè per phlebotomiam, liceat aſſequi quod expetitur; Verum poſt hęc ſanguinis effuſi conditiò, an ſcilicet peccanti humori reſpondeat, eatenus ſic contemplanda, quatenus (cum vt plurimum cachochimia in febribus putridis vrgeat) quod, febrim fouet, & antecedentis cauſæ eius rationem habet, iam foras depellatur, atque ex ſubſtantia, & accidentibus tale appareat in ſanguine; Nam ſi ſanguis peccet, qnoniam deprauatus & putridus, ſanè ille effuſus quamquam refrigeſcens tantiſper conpactus vt optimus conſiſtir, minimè tamen ęque ſindi poteſt, ſed ſimul atque attingitur, totus in partes exiguas facilè diſcerpitur, immò nec per ſe ille diu cohęret, ſed diſtrahitur breui, & eliqueſcit, colorem prȩterea ad nigum potius, & viridē, quā rubicundum inchinantem obtinet, conditionis naturalis amiſſæ certum inditium; Sed quando bilis vrgeat, & peccet, ſemper quidem per hemoragiam effuſus ſanguis refrigeratus mediocriter conſiſtit, quia licet ſatis ſuperque ſecundum partes in vnum cohæreat, finditur tamen promptè ob tenuitatem; intereaque colorę citrino ad flauum inclinanti donatur, indeque biliosa ſanguinis conditio indicatur; Verum ſi illico dum ſanguis effuſus eſt, ita craſſus, & viſcidus findenti appareat, vt difficilè ſit illum diuellere, immo, & in effuſione ipſa lentè adeo effluat, quod quaſi glutem manere in via videatur, vtique ſi ille viridis, & niger ſit melancholiæ vrgenti reſpondet, at ſi albeſcens fuerit, pituitæ naturam ſapiet, & ſi vbi etiam tenuis ille, ac fluidus nimis extiterit, ab eadem pituitæ natura non ſit diuerſus, quoniam & viſcida, & aquea pituita ipſa ſit; Ita nāque per hemoragiam ſpontè factam, pelli vtiliter, quod noxium fuerit, fiet perſpicuum; Quod ſi contra eueniat, vt ſcilicet talis potius effundatur ſanguis, qui & conſiſtentiæ mediocris exiſtat, & rubro ſubobſcuro, ſed florido colore donatus videatur, profectò tunc malo relicto, quod vtilè ſolum, ac laudabile eſt, id foras, magna ægri pernitiæ (niſi vrgeat phlethora) pelli æſtimandum erit; Atque ex his quid agendum, apparente hemorigia, planum fiet; an nempè permittenda ea ſit, quoniam vtilis, immo ſi lenta fuerit ſolicitanda, aut inſuper defficientem illam ſupplere per phlebotomiam opus ſit; an intercipienda potius eadem hemoragia ſit, vel impetus eiuſdem tum ſedandus, tum in oppoſitum auertendus, locoque eius idoneam phlebotomiam præſcribere ſit neceſſarium; Etenim poſito per febrium putridarum initia, ex arte, euacuationem è venis, per phlebotomiam neceſſariò forè procurandam, vtique hemoragia per id temporis ſpontè à natura per venas idoneas, aduerſuſque noxios ſuccos architectata, quoniam laudabilis, proficuaque eſt, ideò & permittenda, & adhuc, ſi lenta fuerit, meritò etiam ſolicitanda, & ſi manca, irritanda, vel ſupplenda eſt; Atqui omnimodè intercipienda, & auertenda, ſi inutilis, & noxia illa futura cenſeatur, quoniam ſcilicet nec per vias humori peccanti congruas facta, nec item aj poſitè eidem humori vacuando reſpondeat; Cæterum quantum, & quonam vſque hemoragia ſpontè facta, vel permittenda, vel ſolicitanda ſit, nec non quomodo illi

do illi deficienti per phlebotomiam eidem ſatisfacere neceſſe ſit, ex duobus colligendum; nempe ex virium præſentium, & futurarum tolerantia, & ex peccantis humoris in venis ſede, & copia, vt in methodo latius dictum; Quippè ferentibus omniquaquę viribus, ſemper quæ e certis venis vtilis hemoragia, ea largius permittitur, vel item ſi opus ſit, audacter ſolicitatur, immo adhuc ſi manca fuerit, eam per phlebotomiam ſufficientem ſupplere conueniens eſt; Atqui contrà, non ferẽtibus viribus, illa quamquam fortaſſe per ſe vtilis, & copiæ humorum æquę reſponſura, attamen vſque quo vires refectæ ſint, ex arte, veluti quæ inutilis, ſemper auertenda, intercipiendaque; dum tamen tuto id fieri permittatur, ne porrò excandeſcens in vijs humor, ideoque foras erumpens, ex repreſſo ſuo repentino exitu, aliò deterius feratur; nam tunc factum fortaſſe melius æſtimandum, ſi non omninò, ſed ex parte ſolum repreſſio fiat; Poſt hemoragiam ſponte factam, alia etiam eſt antecedentis cauſæ vbicunque ſtantis, per febrium putridarum initia, euacuatio, vt præmiſſum eſt, quã purgatione quoque ſpontanea, paſſim tunc in ægris, vomitu, ſeceſſu, ſudore, vrinaque. & aliàs fieri obſeruamus. de qua item quærendum, an ne vtilis tunc futura, & ideo permittẽda, immo ſi manca, vltro ne adiuuãda, aut ſi inutilis, vtrum nè rationabiliter reprimenda, intercipienda vè ſit, poſteaqnam ea fortaſſe vtilis, vel inutilis, per eadem tempora, ægro eſſe poſſit; Itaque poſito primum, putrida febri affectos per initia, tum per vrinas, tum per ſudores, ſponte euacuari, quod ſanè eatenus fieri æſtimandum eſt, quatenus tunc fortaſſe multa, eaque praua ſuccorum crudorum congeries vrgens, vno præſertim calore aucto, magnã ex parte extenuata, ſeroque permixta, ſenſibiliter per renes, & vreteres, ad veſicam tranſmittatur, aut mauis per cutis poros rorido ſudore foras eijciatur; Quod vtique paſſim in continuis obſeruari contingit, vt potè quod per has, humor qui peccat venis contineatur, ex hisquę commodè, & facilè per vrinas, & ſudores foras proſiliat; Verum adhuc ſæpiſſimè in intermittentibus idem fieri certum eſt, poſteaquam in illis, quod extra venas reſidebat, indeque acceſſionem faciebat, tandem feruoris vi tenuius factũ, & per acceſſionẽ in venas effuſum, inde demũ tanquã nimis moleſtũ, vijs breuioribus commodioribusque, per cutis ſcilicet poros, & vrinarios ductus expellatur. Vtrauis autem harum vacuationum, per febrium putridarum initia, obſeruata, vtilis ne eã cenſenda fuerit, examinandum eſt, & quidem ex eo, vnde conſtet vacuationem ipſam humori peccanti reſpondere, eo quia inquam tale per eam foras educi videatur, quale ad febris conſeruationem facere iam conſtabat, quod porrò ex conſiſtentia, & colore, ac interdũ ex odore, ſatis indicatur; Licet enim per ſudores, & vrinam, ſerum ſanguini in venis mixtum, vt vtrique communis materia, maximè excludatur; adhuc tamen quidquid crudi ſucci, & præſertim pituitoſi, calore extenuati, vt ſæpe etiam bilioſi, & aliquando melãcholici, eidem ſanguini permiſceretur, vnà cum ſero, vt dictum eſt, per ſudores, & vrinam, commodè eijcitur, quare & ſeri quomodolibet excluſi conſiſtentia, atque color, ob peccantem humorem admixtum, tuncque foras expurgatum, ſatis apertè vacuationis ipſius conuenientiam exponit; neque tamen inconueniens & vana ea habenda ex his erit vacuatio, quæ non adamuſſim requiſitis omnibus reſpondeat, quando ſaltem humoris cuiuſuis demolitio, per febrium putridarum initia, ſponte celebrata, vtilis & conueniẽs ſit, quia per eam onus, quo natura premebatur, euidenti ægri leuaminę (dum & virium tolerantia adſit) tunc minuatur;

tur: Excipitur autem ſudor factus, dum, ob partis cuiuſque principis, vel ſenſibilis valdè, præſertimque internæ, afflictionem vehementẽ, vniuerſum, quaſi ferendæ illi, opis gratia, contrahatur, vt ſubindè quis quis ſit, qui extima occupet humor, ille è poris, madore quodam, erumpat; Excipitur item vrina multa, cum, ſupercalefactis renibus, & aliàs illis præternaturam ſe habentibus, ſerum, & quod illi permiſcetur, ideo præter modum attractum, per vreteres in veſſicam illa batur: euacuationes etenim hæ quia omnino præter naturam ſunt, meritò omnino noxiæ, & inconuenientes ſunt; Cæterum licet vtilis, & conueniens ſit, per ſudores, & vrinam vacuatio, adhuc tamen quantitas in ea debita requiritur, poſteaquam nimius ſudor, & vrinæ copia exuberãs, vt diſſolutionẽ habitualis ſubſtantiæ inducit, ita dum longius perſeueret, diſſipat vniuerſum, & vires infringit; at vnius vel alterius vacuatio, quæ per putridarum initia, & moderata, & per interualla celebratur, quia rationi cõſona, quod nempe extenuatorum, per vices, craſſorum ſuccorum euacuatio ſit, iure febrientibus leuamen affert, cum virium tolerantia, & perinde laudabilis in illis ſemper eſt; Verum vtrum, cum ea ſic ſe habuerit, tuncque neceſſario permittenda ſit, ita dum lenta nimis, vel manca videatur, omnino artis ope ſolicitanda veniat, quiſpiam fortaſsè perquiret; Sed quod hoc minimè per ea febris tempora ſit conceſſum, vel ſanè ex vna medicamentorum ſudores, & vrinas valenter excitantium facultate, & agẽdi modo, conſpicuum eſt, & ideo permitti quidem debere ſublatis impedimentis, puta externis refrigerantibus, & cohibentibus alijs, interimque imperata, omni, tum mentis, tum corporis, quiete, vetiſſimum eſt; atqui medicamentis illam tunc ſolicitare idoneis, quæ ſcilicet vel extrinſecus calefaciant nimis, & ad reſolutionem inuitent, vel intrinſecus ſuccos vehementius extenuent, extenuatoſque altius valenter ferant, dum adhuc corpus, craſſis, & multis, refertum ſit humoribus, in febribus tam continuis, quam intermittentibus, (at in his magis) ob mala imminẽtia multa, valdè periculoſum eſt; quamquam dum, quæ compeſcendo feruori, aut viſciditati humorum extenuãdæ, ad parandiſque vijs, in putridis perpetuo damus, id ſufficienter præſtent, liberum illis vti omnibus videatur; Sed de ſpontanea euacuatione alia, quæ per initia, tum vomitu, tum deiectione ſit, an vtilis illa tunc, & antecedenti abolendæ cauſæ commoda ſit futura, nec nè, deinceps perquirendum; Siquidem inchoantibus febribus, vtraque via, ſæpe vacuatio præſto ſit, quæ tamen & vtilis, atque proficua, & inutilis, ac pernitioſa eſſe poteſt; Porrò vomitus (vt ab hoc ordiamur) appoſitè valenterque inprimis ventriculum euacuat, dum ſcilicet illè, noxiæ rei in ipſo congeſtæ, vel aliundè defluxæ, iniuria laceſſitus, compreſſo fundo, totus ſurſum impetu latus, per oſophagum, illam vomitione excutiat; Præterea autẽ etiam ab inteſtinis, & meſenterio, totaque prima corporis regione, ſuccos redundantes, præſtantiſſima euacuatione, vomitiò ellicit, cum præſertim in ventriculo, miro naturæ ingenio, omnis partium circonſtantium illuuies aliquando euidentiſſimè confluat, quæ ſubindè vomitione foras reijciatur, & ſanè generoſe ita, vt nec aliàs validiſſimum vllum etiam frequens pharmacum illud præſtare potuiſſet; Quamobrem in intermittentibus febribus quibuſque, ad abolendam, tum antecedentem, tum itẽ coniunctam mali cauſam, prima ipſa coporis regione ſubſidentem, vomitio valdè vtilis cenſenda eſt, atque idcirco dum ſpontè fiat, plurimum tunc ſalutaris, & curationi cõmoda æſtimanda; Immo adhuc cum ex habitus vniuerſi, venis omnibus,

viarum

viarum ſucceſſione manifeſta, per iecur, & meſeraicas, in eundem met ventriculũ terminanti, ſufficienter cachochimorum ſuccorum congeries queque, eo non rarò perducatur, merito, & in continuis fomitem antecedentem, vt plurimum, in venis habentibus (hunc licet ſæpiſſimè in prima etiam corporis regione habeant) euacuatio huiuſmodi, quia proficua, deſiderabilis eſt; Cæterum eam verè talem eſſe (quacunque in febri fuerit) indicat humoris exeuntis qualitas, atqui magis ſi virium tolerantia adſit, & vbi leuamen accedat multo magis; Et quamquam in putridis vnus vel alius præcæteris humor peccat, vt certum eſt, penè tamen ſemper etherogeneitas adeſt, per quam ideo vomitu, alius, atque alius humor foras expellitur, at dum ille ſit, à quo ventriculus lancinnabatut, & cuius iam febrim fouere ſufficiens coniectura fuerat, vtique eius per vomitum euacuatio vtilis, & laudabilis eſt; laudabilior tamen ſemper, ſi cũ tolerantia ſit, quoniam aliquibus vomitum nimis eſſe moleſtum conſtet, ex quo violentum nimis ipſe ſe in his præſeferat, & vires ſuo impetu, dũ quoque paſtum reijcit, deijcientem valdè; quod tunc ventriculus de propria ſede exiliens, aſſidentes partes, quibus annectitur, ſubindeque illis conſentiens vniuerſum, magna vi diuellat, & crebra, ac valida concuſſione affligat; & id quidem præſtat magnus vomitus, illeque perennis, quia moderatus, & tempeſtiuus, tum tolerabilis, tum ſalubris ferè ſemper eſt, immo vacuationum omnium præſtantiſſima, quæ omnem, per febrium putridarum initia, primæ regioni inhærentem noxij ſucci illuuiẽ, commodè, & ſufficienter educit. Quamobrem ita eo ſe habenti, quod nempè noxium tempeſtiuè, & modeſtè pellat, ſanè vt tunc ille optandus, ità ſemper permittendus eſt; Immo ſi ob humoris difficultatem mancus, & imperfectus videatur, præparatione adhibita, detergentibus ſcilicet, attenuantibusque, atque per ablutionem laxantibus adminiſtratis, dum vomendi neceſſitas præmat, & quando præmit, addendus ſtimulus, vt artis, & naturæ concurſione effectus edatur perfectior; Veluti contra, ſi nimius ille, intempeſtiuuſque æſtimetur, perindeque violentior ſit, & ægrum nimiopere fatiget, poſtquam ſatis ſuperque noxium foras eruperit, leniendus merito, & per quietem, poſt reuulſionem, ſi conueniat, fotu roboranti, & quadantenus ſubaſtringenti imperato, vt ſuo loco dicemus, compeſcendus eſt. Supereſt euacuatio, quæ ſpontanea deiectione ſit, quæ ſanè aliàs quaſuis omnes febrienti per initia contingentes euacuationes, vtilitate, & præſtantia, longè ſuperat, ea quippè præcæteris ſincerum peccantem humorẽ, tum nempè febris antecedentem cauſam, tum coniunctam, ita ſufficienter, & appoſitè, è ſede ſua, idoneis vijs, dimoueat, & educat, vt nulla vſquam melius, appoſitius quæ; Siquidem vel cachochimus ipſe ſuccus in habitu totius, aut venis maioribus, vel in prima demum regione corporis ſtet, ille profectò vijs patentiſſimis, & valdè idoneis, per imum ventris, per cõmunem quaſi corporis cloacam, vna inteſtinorum deiectione, affarim, abundèque depellitur, vt porrò inde, quæ tantopere per febrium quarumuis putridarum initia, antecedentis cauſæ præſertim diminutio exoptatur, eadẽ deiectione, generosè ſuccedat; Et quamquam vndequaque corporis, idem ſimiliter præſtant ſudor, ac vrina, attamen quod ſenſim nimis, paulatimque, & non niſi tractu temporis longo, quantitatem exundantem minuant, & quidẽ modo ineptiori, quo partibus tantum tenuibus ſublatis, craſſæ remanent omnes, atqui plenitudine, cum præcipiti, vehementique febris inflammatione, vrgenti, cunctatio inutilis ſit, immo periculoſa nimis, quod per potentẽ

inflammationẽ putredinem ſolicitè architectantem, tarditas euacuationis, quæ illi materiam ſubtrahat, ſemper pernitioſa ſit, propterea ſudor, & vrina, & ſi peccantẽ humorem, inuadentibus febribus, euacuent, ob vna tamen operis tarditatem, & quaſi ineptiem, deiectioni ipſi neutiquã æquè comparantur; Vt neque certè vomitus, qui quamuis, & affatim, & indiſcriminatim ſuccos quoſuis, tam ſcilicet craſſos, quam tenues, in ventriculum à natura deductos, valenter foras explodat, quoniam attamen id per oſophagum, vi maxima, & impetu laborioſo, præternaturam præſtet, ideo neque ipſe ſpontaneæ deiectioni æque reſpondet; Vna itaque per imum ventris deiectio, cum per febrium putridarum initia aliquando contigerit, ea neceſſario obſeruanda, & vt opus naturæ præſtantiſſimum, ſaluberrimumque, & curationi idoneum, cæteris per eadem tempora vacuationibus non neglectis, attendenda eſt; Et ſi interea deiectio eadẽ non ſemper etiam ſuis careat incommodis, quibus aliquando inutilis, ac noxia eſſe poteſt, meritòque intercipienda, ac auertenda eſt; Namque licet vtilis ea, & permittenda, adiuuandaque ſit, quæ ſufficiẽter, placidè, & cum euidenti virium tolerantia adeſt, quæ inſuper poſt pabuli feces conſuetas, humorẽ adhuc talem eduxerit, qualis febrem fouere, facere vè iam videretur; Nihilominus ea inutilis ſemper, quæ defectu retinentis facultatis obſeruatur, quia quamquam aliquid forſam humoris peccantis eduxerit, nutritioni tamen ſummè aduerſa eſt, quarè quanto citius roborantibus ſubaſtringentibus ſupprimenda, vel in modũ ſaltem redigenda eſt; Inſuper autem noxia ſemper deiectio eſt, quæ quãquam peccantem ſuccum educere videatur, interea tamen impetu nimio vrgeat, & ductus ipſos, per quos fit, nempè inteſtina, aliam vè partem per conſenſum, deiectorum humorum vi praua, præternaturam valdè afficiat, ideoque citra tolerantiam adſit; tunc etenim ea, quamuis quod noxium eſt foras educat, meritòque permittenda ſit, eatenus attamen duntaxat conueniẽs eſt, quatenus illa ſatis à viribus toleretur, aliàs quippè non deferenda, ſed roborãtibus frigidiuſculis ex arte adhibitis, in modum ſi liceat reducenda eſt; dum interea tamen refrigerantibus eiſdem, humor per inteſtina tranſmiſſus, appoſitè abluatur, nè porrò illis ipſe detentus, vel impetum expulſionis adaugeat, vel item grauius inteſtinorũ conſtitutionem afficiat, magno ægrotantis damno; Atque ſanè ſic per noxiam deiectionem procedendum eſt; quoniã ſi vtilis, & proficua æſtimetur, non permittenda ſolum, vt dictum eſt, verum inſuper ſi fortaſſè manca fuerit, adiuuanda, & medicamẽtis expurgantibus proportionatis, tum iniectis, tum aſſumptis, prudenter ſolicitanda eſt; In hoc licet proſequẽdo opere cautè valdè incedere opus videatur, pręſertim in his, qui prauo victus regimine vſi, vitioſis, corruptiſque multis ſcatent humoribus, & facilè purgationibus etiã leuiſſimis, ſolui conſueſcunt, ne ſcilicet graui virium, tam præſentium, quam futuratum detrimento in his deiectio nimia excitetur, & quod opus vtile futurum expectabatur, id, ob vnum ſaltem exceſſum, perperam, & nocentiſſimum, enadat.

.:.

SAEPPE

SAEPE ETIAM ABSCESSVS, per humorum tranſportationem, euacuationis loco, in febribus obſeruatur, an ideo ille vtilis, an inutilis ſit futurus, expenditur.

CAPVT OTTAVVM.

SED ſi præter hæc, per febrium putridarum initia, augmentũque, à natura abſceſſus ſpontè excitetur, vt aliquando obſeruamus, profectò maior tunc prudentia, in procuranda ægri ſalute, adhibenda eſt, quando abſceſſus hic, qui ex peccantis humoris à toto ad partem translatione fit, & vtilis, atque proficuus ægro, & inutilis, ac, vt in methodo latius dictum, ægro eidẽ valdè noxius eſſe poſſit; Vtilis ſanè eſt, ſi per hanc humor, qui peccat, è ſede ſua, in partem quampiã corporis ignobilẽ, vel nempè ad propria emunctoria, qualia ſunt glandes, circa aures, circa inguina, atque alas, vt per indè tumor ibidem appareat, vel ad extimam cutim, vt ideo tubercula, maculæque in ea compareant, ita perducatur, vt febris diminutio inde ſuccedat, quia inquam inde minus cor affitiatur; Quod quidem in continuis, & prauis febribus, in quibus ſucci peccantis virus vim maiorẽ inferens, inordinatos multiplices habet impetus, magna aliquando ægri vtilitate, obſeruatur, quia nempe ſanatio plerunque inde ſolicitetur; Contra magno ægri damno, quando & ſi peccantem humorem è ſuo loco moueri, alioque transferri pateat, attamen tunc alicubi partium corporis, cordi maximè conſentientium ille collectus, vel adhuc febrim ſimilem, vel longè fortaſſe ſæuiorem foueat, & quaſi nouo inducto malo, ægrum valentius afficiat; Quod vtique in febribus putridis omnis generis tunc euenit, cum partes animales, vt cerebrum, aut ſpiritales, vt pulmones, & cor, aut demum naturales, vt hæpar, & ventriculum, ac aliàs his adiacentes, ſiue in opere comites, aut illis plurimum conſentientes, humor occupat, vt in eis, & ſimilarem affectum, vt inflammationem, & diſſimilarem, vt obſtructionem, inducat, vnde vel calor febrilis præternaturam maior euadat, vel aliàs, opera ad vitam neceſſaria euidenter, certo febrientis caſu, infringantur; Itaque res cum ita ſit, vt inquam abſceſſus vtilis, ac inutilis eſſe poſſit, procul dubio ſi inutilis, auertendus, & intercipiendus erit; at ſi vtilis non permittendus ſolum, ſed & adiuuandus, & ſolicitandus; Et quod ad inutilem pertinet, nulli dubium quod ille omnino tum reuulſionibus, tum repeſſionibus auertendus, & intercipiendus eſt; Reuulſionibus inquam, quibus defluens humor à parte recipienti in contrarium auertatur; Atqui inſuper repræſſionibus, quibus recipiendo humori pars, pro poſſe, aſtringentibus frigidis roborata, ineptior fiat, iam verò receptum, quadam veluti compræſſione ſui, depellat; Verum tamen cum ad hæc rectè præſtanda, tum operum, tum inſtrumentorum qualitas, quantitas, ac opportunitas certa deſideretur, quam vna abſceſſus, & partis afflictæ conditio meritò expoſcit, propterea equidem non generatim ſolum hæc in quouis apparenti obſceſſu prænouiſſe ſat eſt, ſed vltro ſpeciatim in ſingulis perpendere eſt opus, & pro-

prium, ac accuratum deſideratur examen; Sed ne ordinem confundamus, quando infra de ſimptomatibus in putridis febribus abolendis, leniendiſ vè ſermo erit (fiunt enim in his ſimptomata ferè per abſceſſum) de ſingulis commodius dicemus; Dato autem appareurẽ abſceſſum vtilẽ, ſalutaremque ægro futurum, & ideo nec ſolum permittendum, verum, quod magis eſt, etiam ſolicitandum eſſe, vtique quatenus intentioni vtrique ſatisfacere liceat, attendendum; porrò permittitur, ſublatis ijs, quibus impediri aliquando poteſt, ſolicitatur verò illis ſuppeditatis ingenijs, quibus recipientes partes ad recipiendum diſponuntur; præterea verò ijs quoque adminiſtratis, quibus tranſmiſſio, attractio vè generoſior fit; Multa namque ſunt, quæ abſceſſui, præſertim ad extima, impedimento ſunt, & inter cætera, quodlibet ambiens frigidnm, & ſubaſtringens, cuius occaſione, ductus omnes interclusi, liberum humori tranſitum minimè concedunt, quare nos tunc pro voto aſſequuturi intentum, ſumma ope, & arte nitemur, vt externum ſaltem omne refrigerans, & ſubaſtringens, tegumentis interea prudenter adhibitis, auertatur; Ita namque libero ad corporis extima tranſitu exiſtenti, abſceſſus vtilis, ſpontè rentatus, naturę operanti permittitur; Cęterum ſi quia fortaſſę mancus, & propterea ſolicitandus, videatur, vtique ea ratione partes recipientes relaxandæ, reſerandæ vè ita tunc erunt, vt fluentis, vel tranſmiſſi ad eas humoris, aditus facilis euadat, quod & calidorum humidorum moderato adminiſtrato fotu, & leui etiam adhibita frictione, ſuccedit; Sed quod ad attrahentia ipſa pertinet, quamquam aliqua ex his ſunt quæ per ſe, putà ſuctu, trahunr, vt cucurbitulæ, aliqua autem, quæ ex accidenti, vt quæ quadantenus calefaciunt, doloremque inferunt, ex quibus quidem nonnulla attrahant, at non euacuent, aliqua verò vtrũque ſimul præſtent, perindeque pro tolerantia virium rirè deligi poſſint nihilominus ab omnibus huius generis medicamentis in putridis febribus abſtinere ſatius eſt, quam ea, perieulo ægrotantis euidenti, adminiſtrare; Etenim vel ex ſolis attrahentibus, ſuſpicio eſt, ne quam par ſit, attractus humor vehementius in partẽ ruat, ibique repenrim aliquid deterrimum, magno ægri damno, parturiat; Sed ex attrahentibus ob calorem, & dolorem, dubitandum ſemper, ne ex inflammatione febris creſcat, at ex dolore labor, ac virium afflictio magna præſto ſit; Solis itaque nos relaxantibus contenti, quibus rectè, tutò, iucundeque ſuccedar effectus, nec grauior ægro moleſtia adueniat, obſceſſum inchoatum naturæ beneficio comittemus; Licet extremis aliquando neceſſitatibus vrgentibus (quod in venenatis, & peſtilentibus febribus euenit, in quibus virus ad intima tendens extra ſemper quomodolibet retrahendum) extrema remedia cõcedamus, dum interea tamen ſuperſit ſpes ſalutis aliqua. Sed hic forſam occurret dubitatio, vtrum in febri, quæ putrida, malignaque, & quæ ex cachochimia multa fit, cui perindè vacuatio, eaq; multiplex, etiã per initia, & augmẽtũ vtilis futura cẽlebatur, & perindè tunc ea vtiliter tentata ſit, tũ pharmaco, tũ phlebotomia, ne inquã in ea, vigente adhuc plenitudine, cõpetat abſceſſum non apparentẽ, etiã per excitata in partibus extimis vlcera, prouocare, exemplo multorũ fortaſſe, qui hac per febrim huiuſmodi ſeruati ſæpe fuere; Quæ dubitatio optimè tollitur, ſi naturam ſpontè, vel etiam illata aliundè vi, operantem nos immirari non ſemper opus eſſe ſuppoſuerimus, quippè interdum licet ars ſupra naturam poſſit, & vt plurimum illi operanti non leuiter ſuccurrat; attamen aliquando defectu artis naturæ modum immitari nequeuntis, vni naturæ opus derelinquere neceſſe

eſſe ſit; Hoc que præmiſſo dicendum quod etiam ſi abſceſſus extimus in putridis continuis, & potiſſimum malignis febribus, vtilis ſæpiſſimè viſus ſit, qui præſertim cum euacuatione manifeſta contigerit, non propterea tamen vlcera, per modum abſceſſus, in partibus extimis, per febriū eius generis initia, & augmentum, ex arte excitare eſt operæ pretium, tū quia periculoſum, tum quia parum vtile cenſeatur; Periculoſum quidē, quoniam medicamentis id fiat inflammantibus, & veſicantibus, caloremque febrilem palam augentibus, & vltro etiam deterius quid efficientibus, ad quæ præterea ſequitur dolor, & afflictio alia multiplex, vnde vires infringuntur valdè, earumque opera mirificè interturbantur, manifeſto ægrotantis detrimento, & euidenti vitæ periculo; Atqui præterea inutile, quoniam inſolitus cum ſit vt plurimum abſceſſus, illeque vijs per vim repertis, nec omnino conſuetis, à natura tentatus, non eſt credibile talem ipſum excitari arte poſſe per medicamentum, quod naturali ſpontaneo operi reſpondeat, ergo neque euacuatio per idem medicamentum obtenta laudabilis erit, quia nec tale excludat, quale certo peccat, (excludit enim ſolum icorroſitatem quandam parti etiam proximiori inditam) nec etiam ſi id aliqua ex parte ageret, illud niſi diminutè, & lentè admodum agat, maiori ſine dubio ægri damno, quam vtilitate; Verum ex dubitatione hac iam ſublata, altera occurrit non contemnenda, vtrum nempè externo apparente abſceſſu, qui vtilis quidem cenſeatur, attamen imperfectum euacuationis modum oſtendat, per quem ſcilicet, non niſi diminutè, quod febrim facit, foras erumpat; vel dato illud aliquando ſufficiēter per eum erumpere potuiſſe, iam tamen non niſi lentè id factum ex eo contingere, cum morbi vehementia, prauitasque, quanto citius illud generosè educendum indicare videatur; Vtrum inquam perſeuerante adhuc abſceſſu tali, tunc alio generoſo remedio ad aſſequendum intentum vti ex arte ſit conceſſum, ſiue occaſione poſſibilis, & indicatæ euacuationis illius quod peccat, & febrim facit, aſſequendæ, id proponatur, ſine occaſione faltem perficiendæ iam inchoatæ, attamen non perfectæ; Quā ſanè dubitationem omnino ſublatam crediderim, ſi inſtrumentum, eiuſque potentia, atque vſus, ad euacuandum ex arte deſideratus palam conſtiterit; Si tamen etiam per ipſum abſceſſum, naturæ impetus vtilis, & per tolerantiam ſufficiens ſit, at illi & potentia, & vſus inſtrumenti adhibiti minimè ſit impedimento, vt perindè commodiſſimum ſit, perſeuerāte, immo vigente abſceſſu, illo ex arte vti; Etenim quod ad inſtrumentum attinet, vt per eum generoſa, & ſufficiens euacuatio peccantis humoris rectè ſuccedat, vel pharmacum eſt, vel phlebotomia, vt alibi ſæpius demonſtratum; At pharmacum, quia vim expellentem irritando per ſeceſſum euacuat, conſequenterque à circonferentia totius, ad centrum, vi quadam, trahit, ſine dubio quando abſceſſus ad extima vtilis cenſeatur, modus euacuationis per pharmacum, quamquam per ſe expetibilis, perperam tamen, & noxius eſt, quoniam attractione in oppoſitū manifeſta abſceſſum auertit, & impedit, nec ſuplet illi, nec item fauet; Vnde certiſſimum eſt, vtili vigente abſceſſu nullatenus per pharmacum (leniens ſemper excipio, vt potè quod non irritet ſed laxet) tentandam euacuationē eſſe; Et ſi fortaſſe iam peracto, & pro viribus abſceſſu completo, ſi tolerantia adſit, vti pharmaco, pro neceſſitate, ad operis perfectionem, liceat; At euacuatio per phlebotomiam ſine dubio in febri, & quidem continua appoſitior, tutiorque eſt, tum quia abſceſſus à venis ad extima corporis ſit, tum quia motum ipſum abſceſſus etiam vigentē phlebotomia

botomia non impediat, illi immo faueat & adiumento ſit, quando natura tunc onere præſſa, per phlebotomiam, è venis ſublata copia, valenter reſurgat, & generoſius opus inceptum proſequatur; Namque phlebotomia attrahendo non euacuet, ſed dumtaxat ratione librationis ſanguinis in toto, per partem poſt partem à toto educit, euidentius licet id agat, à parte proximiori, & per fibrarum rectitudinem à magis conſentienti, quam ab alia quauis; Quare ſi fiat abſceſſus ad cutim vniuerſam, phlebotomia ab hac non auertet abſceſſum, quia citra attractionis impetum phlebotomia ſolum minuet copiam, qua natura oppreſſa lentè opus proſequebatur; Quamquam ſi fiat abſceſſus ad emunctoria, tunc verum eſt, quod non à latere, ſeu vena illis conſentienti, niſi letale quid immineat ex eo, ſed, vt cautius agatur, ab alia potius phlebotamandum, & ita à phlebotomia, tanquam à noxio remedio non abſtinendum; Euacuandum ergo per ſanguinis miſſionem etiam ſi natura abſceſſum faciat, dummodo ob repletionem in vènis præſertim vrgentem euacuatio ad naturæ leuamen cenſeatur neceſſaria; Secus ſi repletio nulla vrgeat, ſola autem pernities humoris ſit, cuius occaſione laceſſita natura abſceſſum faciat, hoc autem ex quo conijciatur, in ſuperioribus iam oſtenſum eſt; Et quidem hæc ex arte, in vacuatione, ſponte per febrium putridarum initia, apparente, intercurandum præſtanda ſunt, ſed cum non omnis vacuatio hæc ſeparatim contingat, ſed plerunque alteri complicata obſeruetur, cui interdum altera quidem conueniat, & interdum contraria ſit, propterea vt ægrotantis ſalubritati, & virium conſeruationi ſit omniquaque conſultum, nec interea vacuatio, in ægrotantis detrimentum, intercipiatur, vel permittatur, ea ſanè lege potiſſimum moderanda erunt omnia, qua permittatur quæ vtilis, at quæ noxia eſt, vel minus vtilis reprimatur; Verum vtilior illa ſemper iudicabitur, vt dictum eſt, tum quæ tutior, & iudicundior, tum quæ abolendæ cauſæ morbi accommodatior erit, minus autem talis, quæ aliàs æſtimabitur; Sed præterea quãtum, & quouſque id procurandum fuerit, non niſi ex neceſſitate operis peragendi, & tolerantia virium rectè percipietur, hæc verò, vnà cum opportunitate, & ordine agendi, vni medici prudentiæ, iuxta ea quæ in methodo diximus, relinquenda ſunt;

RELIG

RELIQVVM CONSISTENTIS FEBRIS, ex efferueſcentibus, putridis, & ſæpe item venenatis humoribus, illud fouentibus, quomodo per alterantia, & coctioni fauentia, reprimatur, vt tandem humoribus iiſdem ritè ad euacuandum diſpoſitis, obſeruata vbique tum qualitate, tum quantitate, tum opportunitate, penitus euaneſcat, decernitur.

CAPVT NONVM.

ATQVE certè hucuſque quod in putridis curandis febribus, ex arte, per initia, & quanto citius agendum ſit, vt illarum inprimis augmentum intercipiatur, præceptis in methodo noſtra traditis perpetuo innixi, quoad licuit euidentius, demonſtrauimus, ſubindeque priori curandarum febrium harũ ſcopo adamuſſim aſſequendo, viam commodam indicauimus, & aperuimus; Sequitur modo vt earundem febrium curationem proſequentes, eadem noſtra ſeruata methodo, ad alterum agendi primarium ſcopum appoſitè attingendum, artem rationabilem oſtendamus, vt nempè quod iam pridem febris factum eſt; & deinceps etiam quomodolibet eſt duraturum, penitus ceſſet, & ſublata fundirus cauſa, præſertim coniuncta, illud omnino deficiat, ac cum ſimptomatibus euaneſcat; Sanè autem febris hæc, quæ iam facta conſiſtit, vltroque vrget, cum eatenus & talis, & tanta ſit, quatenus præternaturalis calor, ex putredine, putreſcenti vè humore, fit, & conſeruatur, proculdubio ea potiſſimum via, ipſa, quæcunque ſit, facilè aboleri poterit, qua putridus humor, vnde febrilis calor habet fomitem, alteratur, & vel priſtinæ ſymmetriæ, vel propè ſaltẽ reſtituitur; Siquidem hunc calorem reprimi, adhuc perſiſtente putredine, ac putrido ipſo humore vigente, impoſſibile ſit; Merito idcirco vni ſedandæ putredini, vnique putrido febrim fouenti humori, poſt iam pridem ſpontè, aut arte, per initia, celebratam poſſibilem vacuationem, relicto, quomodoliber conficiendo, edomandoque, ſedula deinceps diligentia incumbendum, vt inquam tandẽ natura arte adiuta, facultatis coquentis ope, ita humorẽ eundem peccantẽ diſponat, vt tum ille omnem putredinalem qualitatẽ amittat, tum quatenus opus fuerit, ſuæ euidenti euacuationi, ſponte, vel arte, poſſibili paratus euadat; poſteaquam dum adhuc ille putreſcit, adeo ob cruditatem ineptus vacuationi ſit, & viæ eidem vacuationi conuenientes impeditæ exiſtant, quod perperam tunc, opus huiusmodi, vel ſpontè, vel arte futurum, expectetur; Et ſanè veriſſimum quod dum nos in putridis febribus curandis vni putredini reprimendæ, arcendæ vè per artem vacamus, coctioni etiam ipſi fauemus, eamque meliorẽ reddimus, atque vno & eodem ferè opere plura conſequimur;

quimur ; Quoniam quamuis coctio ſolius ſit naturæ opus, per coquentem facultatē operantem, medio calore nobis inſito, huic operi proportionato, confectum, vt quotidiè experimur ; Ipſa autem ars, ſuis ingenijs, & viribus, euſque minimè valeat; vt nec notitiam requiſitorum omnium ſufficientem habere nos poſſibilè eſt, quo nempè ipſam operantem naturam propriè imitari valeamus ; Ars eadem nihilominus ſuis ſecundum rationē inſtitutis præceptis perpetuò innixa, non parum commodi, & vtilitatis coquenti, alias vè etiā operanti naturæ, tam per ſanitatem, quam per ægritudinem, affert; quando præſertim illa optimis monitis plena, ſi non primum cum natura agat, ſecundo ſaltem, remotis impedimentis omnibus, quibus ab opere ipſa met natura præpediebatur, ſuppeditatiſque inſuper auxilijs, quibus eidem quadantenus opem ferre datum eſt, ad perfectionem operis quamplurimū faciat ; Siquidē coctio in nobis ex ſe quædam ordinata humorum alteratio eſt, eaque per calorē proportionatum facta, & ad deperditæ ſubſtantiæ reparationem potiſſimū inſtituta; perquam inquam humores meliores, vtilioreſque, perpetuo conficiuntur, & diſponuntur ita, vt vni reparandæ ſubſtantiæ, tum ſpirituum abſumptorum, tum partium ſolidarum diſſolutarum, accommodentur ; Excrementitij verò, & inutiles, quorum ſemper adeſt copia, ſimul atque ſemel ab vtilibus excernuntur, inſimulque tales ſaltem euadunt, quales & innoxij ſint, & expultrici facultati ritè obtemperaturi ſint, foras quomodolibet expellendi; Nec per ſanitatem quidem ſolum, ſed & per ægritudinem, & per febres inprimis, per quas illi calore externo alterati, putredine afficiuntur ; Adeo vt putreſcentibus in nobis humoribus, quales ſemper in febribus ex putredine ortis eſſe conſueuere, duplex eſt in hos, vnius coquentis facultatis beneficio, per calorē nobis met inſitum, naturæ opus ; vnum videlicet tranſmutationis, qua poſſibilis deperditæ cuiuſuis ſubſtantiæ ex partibus horum melioribus fit reparatio ; alterum verò immutatio ea eſt, qua partium eorundem ineptarum, inutiliumque, à reliquis ſecretio fit, ſimulatque confectio, & in quid minus noxium reductio, vnà cum ſufficienti ad demolitionem diſpoſitione, preparatione vè, vt ideo maior eis obedientia inſit ; Atque omnia hæc ſola per ſe natura perpetuò per febrim operatur, cum externa nihil poſſe perficere videantur, ex quo præſertim dininam, & occultam naturæ potentiam, ingenijs, vt diximus, humana arte inuentis, data opera aliquādo imitari impoſſibile ſit ; Cæterum quoniam poſſibile, aduerſantibus ſaltem, & perturbantibus, obuiam ire, quibus nempe retardantur hæc, præpediunturque, iure idcirco ars ipſa, qua in febribus, dum nos putredinem profligantes, coctioni fauere intendimus, minimè contemnenda eſt ; Etenim coctionis muneri aduerſa eſt putredo, illa quoniam humores ea affectos, ita perturbet, vt naturæ magno ſit impedimento ; tum ne, per ſummam confuſionē, inutiles, excrementitios vè, ab vtilibus, & alimentitijs illa rectè ſecernat ; tum ne illis iam alienis qualitatibus præditis, ad nutritionem, aſſimilationem inquam, & reparationem aptè vtatur ; tum quoque demum ne inutilium eorum excretioni (quando iam tales cenſeantur) commodè vacet; & tandem nè debitum quoduis facultatis naturalis beneficium, tuuc temporis, ad recuperandam ſanitatem deſideratum, natura exerceat, occaſio eſt euidētiſſima ; Coctioni itaque, cæteriſque naturæ operibus, ad reſtituēdos, parandos vè humores per febrim putridos, nos aret fauemus, ſi putredini ipſi omniquaque aduerſi, omnibus ijs, quibus putredo conſiſtit, & viget, obuiam eamus ; Conſi-

ſtit

ſtit autem, vigetque putredo; primum meritò efficientis, & conſeruantis, putà caloris exuberantis, & illius vndè calor hic habet fomitē, quod vt plurimū obſtructio eſt, ex humorum præſertim crudorum viſciditate oborta; Secundo occaſione ſubiectæ materiæ, nempe humorum, qui ideo putreſcunt, quod crudi, craſſi, inæquales, & ethcrogenei, perindeque ad alienas recipiendas qualitates maximè prompti; Tertio forma ſua ſeque ipſa, per ſe, quatenus eſt, quid iam pridē humori impræſſum, ad corruptionē ordinatum, toto temperamento ſymmetriæ naturali ægrotātis aduerſum, & inimicū; Quamobrē dum refrigerantibus, quibus reprimatur calor; attenuantibus, & detergentibus, quibus fluidi reddantur humores, ac inter ſe, quatenus fieri poſſit, æquales; nec nō & alexiterijs, quibus omnis etiam venenata conſtitutio deleatur, ſufficienter occurramus, facilimū erit putredinem ipſam intercipere, abolereque, & conſequenter coctionis, ac cæteris facultatis naturalis operibus, arte medica, magnam opē ferrè; quod ſanè, vt paulo ante dicebamus, potiſſimū medici putridam febrim curantis conſilium eſt; Ergo iam nos huic muneri ex arte vacantes; Qualia vtique primū refrigerantia, ac humectantia, attenuantia, detergentiaque, & alexiteria deligenda ſint; Quanta dein eadē neceſſariò præſcribenda; Et qua poſtmodū opportunitate illa adminiſtranda veniant, expendemus; Ab ipſa autē refrigerantium instrumētorum qualitate exorſi, ſupponemus varia, multipliciaque forè, quæ internam noſtri corporis intemperiē corrigunt, nec vnius generis, & conditionis exiſtere, nec vno modo in nobis illa operari, quod aliqua intrinſecus agant, aliqua verò extrinſecus, per ſe item, aut per accidens operentur; Sed quæ ex his intrinſeca ſunt, refrigerantque, aut ea prætereūtia, ſuam nobis ſolū frigiditatē impertiunt, & exuberantē calorem temperant, aut dum in nobis manent, quia præſertim in noſtram vertuntur ſubſtantiā, materia vtique, & pariter frigida qualitate, eundē intemperatū calorē emendant, dum ſcilicet per coctionē, in ſanguinem & ſuccū vertuntur, alendo corpori idoneū, qui priſtinæ qualitatis ſui pabuli ſemper particeps, conditionis ſuæ quandā ſubſtanriam gignit in nobis. ſicque pro diſſipara calida, frigidam ſubſtituens, reponensque, cum ſubſtantia, intemperiē quoque calidam mutat, & ſugerit frigidam; Attamen quod præter frigiditatē, humiditas etiam febrientibus maximè proficua eſt, vt potè qua frigori annexa, longè validius per eam feruor compeſcatur, & acrimonia, ſi quæ in humoribus ſit, ex ipſa caliditate nata, citius reprimatur, obtūdaturque; Iurè in adminiſtrandis quibuſque frigidis, frigiditas quidē ſupponenda primū, verum præterea & humiditas minimè gētium negligenda, eaque propter intrinſecus refrigerentia hæc, humectātiaque, tum ad medicamenta, quæ refrigerando tantūmodo, & humectando alterant, tum ad alimenta, quæ internutriendum idem præſtant, referri debent; Verū quod ad alimenta ſpectat, quæ medicamentoſa cū fuerint, dum nos alunt, nos pariter refrigerant, humectantque, ac exuberantē partium, humorūque calorem obtundunt, at qualia ea in curandis febribus vniuerſis eſſe debeant, quanta couueniant. & qua opportunitate exhibenda ſint, ſatis in ſuperiobus dictum; Reſtant medicamenta, quæ vel actu frigida, humidaque, vel potentia talia ſunt, & quāquā horum quoduis, febrienti maximè conueniens eſt, præſertim intrinſecus adminiſtratū &, quo certè modo, euidentius, & generoſius agere aptū eſt, quod attamen ex his actu, & frigidū, & humidū eſt, illud omnium maximè idoneū, & (per tolerantiā tamen) conuenientiſſimū cenſendum ſi-

quidem illud optatum munus propius, meliusque attingat, atque perficiat; & ſi inter multa, ea primũ locum teneant, quæ tenuia, liquida, ac fluida exiſtunt, vt potè quæ ad quocunque penetrandũ, permeandum vè, facilima ſint, ſubindeque ad noſtrum corpus omniquaque refrigerandũ, & humectandũ, verè idonea; qualia vtique ſunt quæ potantur, ſeu bibẽda exhibentur, vt putà aqua eſt ſimplex, vel medicamentis alterata, ſeu liquor frigidorũ, & illi ſimile aliud muitiplici arte paratum; Talia ergo ad feruorẽ in febri arcendũ prudenter à medico intrinſecus adminiſtrabũtur, vt quatenus ex his liceat, putredinalis calor compeſcatur; Extrinſecus verò quoniam quæcunque validè refrigerant, ſi præſertim actu frigida ſint, & extrinſecus adhibeantur, facilè nimis calorẽ expanſum in vnum intus cogere poſſunt, ſubindèque feruorem febrientis augere, ſanè meritò ſedula diligentia euitanda erunt, prohibendaque, ne ſua frigiditate per ſe quodãmodo deſiderato refrigerio blandientia, ex accidenti, magno laborantis malo, nimis calefaciant; Admittenda autẽ ſolum, quę virtute frigida, at actu quadantenus calida percipiuntur, & potiſſimũ ſi humida, hæc quippè extrinſecus adminiſtrata, vt dum vi ſua ſpiracula laxant, calori libertatem permittunt, ita commodius ſua præſentia ad intima permeant, refrigerantque, quamuis nec ob id vniuerſim, vt per balneũ, toto ſcilicet corpori, per febres putridas, ſalubriter illa adhibeãtur, ſed fotus duntaxat occaſione, partibus aliquibus ſeiunctim congruant, quoniã impuro exiſtente tunc corpore, alicubi conſiſtens humor, ibique quieſcens, horum generoſo vſu, concitetur, & penè coliquatus, iactatuſque, ad laxatas alias feratur partes, ſubindeque mutata ſede, ex intermittenti febri, continnã faciat, rurſum ex ſimplici duplicẽ, & illam demum pluribus annexã ſimptomatibus reddat, quod vtique minimè fit, dũ parti cuipiam tantũmodo, fotus gratia, adminiſtrentur; Er hic quidẽ erit frigidorum, humidorũque delectus in febribus, attamen quod nec ille ſimpliciter talis ſat ſit, ob alias adhuc præternaturales qualitates humoribus ſecundum putredinẽ inditas, vt præmittitur, quæ tum hos, tum vias ipſas multifariã demolitioni cuique reddunt ineptas; Appoſitè idcirco cõſultum, ſi inſuper frigidis, & humidis eiſdẽ, vires inerint aliæ, quæ alteratione alia, prauas qualitates huiuſmodi corrigere, emendareque valeant, nec fouere vſquam illas poſſint, aut quomodolibet augere; Nãque putreſcentibus ſuccis, poſt feruorẽ ex putiedine ortum, ineſt craſſities, viſciditaſque, per quam vt obſtructio ipſa conſeruatur, ita feruor viget, vnde putredo; quare vt non feruorẽ ſolum, & acredinẽ putreſcentium humorum, refrigerantia, humectantiaque remedia tẽperent, ſed inſuper craſſos emoliant, attenuentque, at lentos detergant, & corporis vias leniãt, ſiue clauſas pateſaciant, aperiant vè, certis ideo ad id præſtandum qualitatibus eadem donari procurandum eſt, ex quibus attenuatio humorum hæc, deterſioque, & viarum reſeratio fęliciter ſuccedat, quod in his maximè poſita ſit omnis & corporis, & vacuandorum humorũ præparatio, quæ ante euacuationem quancunque apprimè neceſſaria eſt; Cæterũ medicamentis his, poſt ipſam infrigidantem, & humectantẽ vim, attenuãs quoque inerit facultas alia, qua craſſi, compactique ſucci, ſi fuerint, incidantur, comminuantur, & variè diſiungantur, & cum humiditate iuncti iam fluidi ſint, quando medicamentum ſubſtantia tenui præditum extiterit, qua maſſam humoris facilè penetret, & ſe illi cõmiſcere optimè poſſit, ita enim euidenter attenuat, vt contra ſi craſſæ ſubſtantiæ fuerit, ſeque ſua conſiſtentia humori tenui miſcuerit, illum incraſſat, compactumque

ctumque reddit, perindè ac ſi aquæ terra inferatur, fiatque lutum; Prætereа & detergens virtus etiam in eo præſto erit, per quam ſcilicet lenti, atque glutinoſi humores internis quibusque corporis vaſis exiſtentes, eiſque adhæreſcentes, indè eluuntur, ac deturbantur, ſi puta ſubſtãtiæ quidem tenuis medicamentũ extiterit, atqui non nihil nitroſæ conditionis eadẽ illius ſubſtantia prædita ſit, per quã humores infarcti conuenienter abradantur; veluti contrariũ illud præſtat, quod pinguis, & glutinoſæ ſubſtantiæ eſt, cuius inquã partes colligatæ nimis, inuicẽque tenaciter valdè cohærentes, in quancunque corporis ſedẽ impegerint, ei firmius adhæreſcant, eam obliniant, atque ita ſi in interiores corporis ductus inſerantur, eos obſtruant, & infarctu tenaciter hæreſcentes impleant adeo, quod omnino tranſitus omnis intercipiatur; Poſtmodum verò medicamento frigido, humidoque aperiendi vias omnes potentia ineſt, ſi illud proportione reſpondeat hiſce deſcriptis operibus, vt porrò ſi primũ, omnem aſperitatẽ, & ſiccitatem, ſua humiditate, & frigiditate placidè leniat, perindèque partes, quas attigerit, laxet; ſi ſecundo, ſua tenuitate, penetrantique vi, attenuet, conterat, & comminuat; ſi denique tertio, attenuatum, ſua nitroſitate, abradat, & ab infarctu dimouear, quoniã hiſce inſimul per medicamentũ effectis, neceſſariò ductuum cauitates reſerantur, patentesque fiunt euacuationi; Et licet rarò ſpontè natum medicamentũ habeatur, quod omnibus intentionibus hiſce bellè ſufficiat, illud ipſum tamen, per artis induſtriã, tale parari poterit, quale pridẽ minimè videbatur, hoc eſt tale, quale incõpertam antea vim iã optimè ſit conſequutum; Atque ſanè id dictũ de medicamentis intrinſecus, tam in continuis, quam in intermittentibus, ad hæc præſtanda adminiſtrandis, quoniã & extrinſecus etiã aliqua adhibita, ſi præſertim corporis parte qua piam, humor febris fomes ſedẽ habear, ad quam etiã extrinſecus adhibita medicamenta facilè ſua virtute perueniant, cum ideo non parũ prodeſſe poſſinr, equidẽ ſalubriter illa adminiſtrantur, inter quæ ſunt, quæ fotus modo parata, poſt tenuẽ ſubſtantiam ad penetrandum aptã, qua donantur, actuali etiam humiditate ſua, vnà cũ caliditate tẽperata, vim emolliendi, laxandi, coliquandique poſſident, ſi extrinſecus adminiſtrata ad peccantẽ humorem ſubiectum quadantenus ſua virture perueniant, vt quidem ſpeciatim in intermittentibus ſit febribus, quæ cauſam propriam, humorẽ nempè peccantẽ, meſenterio reſidentem, habent, vt perindè inferno ventri extrinſecus talia adhibita, modo dicto, ad humoris eiuſdem, & ductuũ præparationẽ, ſint maximẽ proſutura. Sequuntur alexiteria, quæ frigidis, & humidis, vt dictum eſt, neceſſario ſæpæ admiſcenda ſunt, vt inquam putredo ipſa iam facta, quatenus putredo eſt, & ſua forma, vitæ ægrotãtis è directo aduerſa eſt, alexiterijs ipſis, reprimatur, ac extinguatur; Quorũ ſanè qualitas quamuis abſcondita, vt nec ex arte illa à nobis euidenter elligi pro vſu ſufficienti valeat, ea nihilominus talis ex arte coniijci ſatis ſuperque poteſt; Sed in quo potiſſimũ conſiſtat, præponendũ eſt; Deleterium quod vitæ noſtræ aduerſum eſt, in quod equidẽ, per febres, putredo humorum efferueſcentiũ certa quædã via eſt, illius quoniã finis humorũ ſit ſumma corruptio, generationi, atque conſeruationi ſumme contraria; Deleterium inquam hoc, cum non ideo tale, quod qualitatis primæ, aut alterius ſecundæ manifeſtæ apparentis exceſſu, vitali noſtræ facultati, ſeu mauis organico illius temperamẽto, moliatur inſidias, ſed quod toto ſolum temperamento ſuo, hoc eſt armonico proprij temperamenti qualitatum omnium ſuarum concentu, nobis adhuc ignoto, alteri

alteri armonico noſtræ vitalis facultatis repugnet, meritòque noxium, ſummè pernitioſum, & lethi auctor exiſtat; Vtique alexiterium ipſi deleterio verè oppoſitū, nobis omnino ſimile, atque penè modi eiuſdē cenſendū foret, niſi deleteriū ſuas multifariam in nos pararet inſidias, vel inquam per ſe, atque directè, vel itē per accidens, & indirectè; Argumento ſanè ex eo deſumpto, quod deleteriū omne, vnius minimè ſpeciei ſit, ſed multiplicis, diuerſæque; quælibet autē eiuſdem ſpecies propriū habet ſymmetrum qualitatū tēperamentum, quo toto aduerſus nos ſpeciatim inſurgat, quod inquā vnum cum ſit, pluribus cōmune eſſe nequit; quare nec modo eodē deleterium quoduis nobis tendit inſidias; Cum itaque erga nos deleterium ita ſe habeat, proculdubio rationi maximè conſentaneum erit, ſi alexiterium non nobis ſimile primū, ſed ſi deleterio primū diſſimile eſſe conſtituerimus; poſteaquam licet præſente, vrgenteque in nobis deleterio, alexiteriū exhibitum, quod ſua tēperamenti ſymmetria ſimile nobis, noſtræque ſymmetriæ conueniens fuerit, vitæ ideo tutandę noſtræ, defendendæque aptum maximè videatur, vt potè quod vel ſua temperiei ſimilitudine, cordis noſtri, in quo facultatis vitalis ſedes eſt, temperiē foueat, vel conuenienti ſaltem, & ſimbola qualitate quapiam, ex temperamento oborta, illi recreationem, refocilationē vè afferat, vel demum quod ſua ſubſtantia ſpiritus inprimis alere aptum ſit, quibus ſcilicet vitalis facultatis robur, ad inſiſtendum deleterio, potenter vigeat; Attamen ſi idipſum alexiterium, licet modis hiſce nobis non ſimile, deleterio autē directè oppoſitum fuerit, vt inquā illi toto ſuo temperamento aduerſum ſit, & inimicum, eidē nihilominus pellendo, diſſipādoque, idipſum alexiterium cenſendum erit antidotū; Et quamquam illud nobis ſæpe diſſimile, vt citra deleterij occaſionē à nobiſmet ſumptum, ipſiſmet valdè noxium, & inſalubre eſſe poteſt, adhuc nihilominus quia ad expellendum deleterium quod ruinā nobis iampridē moliturm videbatur, maximè commodum eſt; illud idcirco appoſitè adminiſtratum, ſaluti aſſequendæ maximè idoneū eſtimandum, & verum alexiterium habendū eſt; Atque ſanè id quoniam verū ideoque in febribus ex putredine factis, quæ poſt reliqua alterantia, adhuc alexiterijs ægent medicamentis, vt alibi dictum, meritò eorundē adminiſtrādorum qualitas certa accuratè deligenda, qua nempe in his deleteria putredinis conditio (ſi quæ fuerit) extinguatur; Vtique humoris putreſcentis conditio primum, dein quoque putredinis gradus eſſet perſcrutandus, vt ſcilicet deleteriæ illius vi oppoſitum alexiterium adamuſſim deligatur; Namque ſanguis ſi putreſcat, quoniam vt ille per ſe nobis ſimilis valdè, ita per putredinem diſſimilis valdè factus, perindèque etiam valde aduerſus, iurè vbi vltro gradū maiorem, aut minorē putredinalis conditionis illum attigiſſe conſpicuū fuerit, eundem merito tum maiorem, tum minorem virulentiam adeptum fuiſſe certum æſtimabitur; At ſi pituitæ, ſi bili, ſi denique melancholiæ idem aliquando conti gerit (contingit enim vt plurimum) profectò vt pro maiori, minori vè diſſimilitudine primum iudicatur receſſus à ſimili, ita ſecundo, pro maiori, atque minori gradu putredinis adepto, deleteria eius potentia, vna, aut alia æſtimatur, ſubindeque ſemper illi alexiterium vnum magis quam alterum cenſetur appoſitum; Verum enim verò quod exactus hic, tum deleterij, tum alexiterij propoſitus delectus, nobis, per ſummam rei obſcuritatem, non eſt conceſſus, vt nec actiuorū, & paſſiuorum delectus, in arte medica exercenda, exactus conceſſus eſt, hinc equidē fit, vt in putridis curandis febribus, in quibus alexiteria pu-

tredini

tredini deleteriæ ex æquo reſpondentia deſiderantur, ea non niſi quatenus medico curanti, prçceptaque artis obſeruanti, iam ſæpius, & in multis animaduertiſſe, ſimulatque iuuaſſe, innotuit, ſe ſe offerant, & paranda, & adminiſtranda; Interea licet in his deligendis ſemper cauere illum neceſsè ſit, vt qualiacunque alexiteria ipſa fuerint, ea primum, ſecundū manifeſtas qualitates ſuas, & morbo, febrili. ſcilicet feruori, & cauſæ, quatenus fieri poteſt, ſin contraria & ſubſequenter quod cōditioni ægrotantis, quoad fieri poſſibile ſit, magis ac minus conueniant, ſimilia vè ſint; Secundum, yt eadem alexiteria, ſuis qualitatibus, nec attenuationi nec deterſioni deſideratç aduerſa ſint, vt nec demum reſerationi vaſorum quorumuis, quibus peccans humor detineatur, impedimento ſint ſed vt potiuſ quanto magis liceat, naturç & arti, in omnibus maiorem fauorem prçbeat; Ita enim prudenter alexiteriorum qualitas ſeligetur; Verum vſus eorum, quoniam & internus, & externus paſſim proponitur, vtiquè in interno, ſiuè halitu inſpiratum, ſiue ore aſſumptum alexiterium ſit, nihil eſt quod difficultatem habeat, dum tamen illud tale adminiſtretur, quale meritò deligendum; Sed in externo, de vtilitate illius fortaſsè ſuſpicandum, eo quoniam difficilè ſit æſtimare alexiterium, quod toto ſuo agit temperamenro, ſiue toraci, qua parte illi ſubeſt cor, ſiue alibi corporis, etrinſecus adhibitum, vbi arteria è corde profecta ſatis conſpicuè pulſat, ſe ſe ita viribusque ſuis, inde in cor, per poros apertos, ferre poſſe, vt vitæ contra, deleterium, faueat; niſi ſanè illud tenuiū partium copia præditum in agendo vehemens adeo ſit, quod facilè quocunque corporis permeans, ſuam vbique potentiam generosè exerceat, quod vtique citra qualitatum maniſeſtarum euidentem exuberantiam nō ſit, hæc autem cum maximè noxia tum febri, tum cauſæ, tum denique curationi videatur, iurè in alexiterio euitanda eſt, & niſi mediocris valdè ea permittenda, ad remediorum abundantiam.

POST ALTERANTIVM HACTENVS deſideratorum qualitatem, adhuc eorundem adminiſtrandorum quantitas, & opportunitas, hic expenditur.

CAPVT DECIMVM.

SED poſt hæc de quantitate tum frigidorum, humidorumque in putridis præſertim febribus adminiſtrandorum, tum attenuantium, & detergentium, vbi his opus fuerit, tum demū alexiteriorum, ſi & horum vſus expetatur, ſermo ſit; Etenim quoniam frigidis, & humidis, quæ in curandis febribus omnibus ſummè deſiderantur, diminutè nimis adhibitis, febris demolitio perperam aggrediatur, illis verò modum valdè excedentibus, contrariū morbi genus inducatur, quanta idcirco eadem intercurandum vſurpanda ſint, idonea ex coniectura pro poſſe decernendum eſt; Coniecturam autem hanc, præcognitus caliditatis, ſiccitatiſque præternaturalis, interſebriendum, exceſſus, ſupra innatum ægri temperamentum, ſufficienter præbet; Ergò quo minus ſuſpectus accidat exceſſus, ac certior frigidorū, humi-

humidorumque, ad febrim, proportio decernatur, naturalem curandi ægri corporis temperiem, caloris præſertim, humiditatisque, prænoſcas inprimis oportet, vt tantum per febrim ab innata ſymmetria illam diſceſſiſſe intelligens, menſuram refrigeranti, humectantique auxilio rectè, ac tuto imponas, vt inquam nec morbi quidpiam relinquatur, nec contrarium morbi genus inducatur, ſed vitioſus affectus, qui febris eſt, in naturalē ſtatum, ſeu temperiē permutetur; Nam quæ plurimum à naturali ſui conditione receſſit ea maioribus, validioribusque ſemper eget contrarijs, quæ autem non plurimum, minoribus omnino, & lenioribus; Id verò adamuſſim aſſequi planè difficilè eſt; Et ſi ſenſus in vnoquoque per ſanitatē doceat, ne magis, minus vè calidum, & ſiccum inſit cuique temperamentum, dum vel ſe ipſum quis talem eſſe animaduertat, vel ſaltem ex frigidioribus, humidioribusque profectum, & oblectamentum ſentiat; Et ſi item habitus corporis vniuerſi, qui temperiē eiuſdem per ſanitatem ſequitur neceſſariò, & penè illius eſt effectus, palam inſitum temperamētum calidum, & ſiccum, vel contra oſtendat; quoniam habitus gracilis, attamen denſus, & ad actiones valenter commodus, ille calidus eſt, maximè autem ad ſiccum vergens, ſi durus adhuc videatur, vt contra qui carnoſus, & mollis eſt, & ad actiones ineptus, ille frigidus æſtimatur, ad humidum autem magis inclinans, quo mollior ille, & pinguior fuerit; Et ſi demum anteacta vita, vna cum ætate, ipſum temperamentum propius indicet, vt ſi præteritum vitæ regimen tale omnino fuerit, quale augendo calori aptum natum ſit, vnde tunc calidius redditum temperamentum meritò videatur; Et eo quidem magis, quo magis ætas iuuentuti propinquior ſit, vel contra, ſi calori obruendo, diſſipando vè, regimen præceſſerit aptum, quare tunc temperamentum frigidius potius cenſeri debeat, quam ſecus, præſertim ſi ætas ad ſenſium inclinet; Porrò his quamquam exactè præcognitis, difficilè nihilominus adhuc erit, exceſſum caloris, & ſiccitatis in ægro præciſè dignoſcere; Siuè inquam ille intenſiuè talis, ſiue extenſiuè æſtimetur, hoc eſt vel ſecundum gradus maior, aut minor exiſtat, vel ſecundum ipſius met conſtantem impræſſionē firmius, aut infirmius partibus ſolidis inſit; Vtcunque autem res ipſa ſe habeat, commodum ſaltē erit ex his ſatis decernere, quantum refrigerans, & humectans, vt dictum eſt, remedium ſemper requiratur, in minori autem minus, (de intenſiuo tamen ſolum hic ſermo eſt, qui in ſolis, putridis febribus obſeruatur, quia de extenſiuo alibi ſermo erit, vbi ſcilicet de hectica febri loquemur) Adeo, quod dum quis, per ſanitatem, calido, ſiccoque temperamento, alius verò frigido, humidoque ſit præditus, at ambos per æque adoriatur febris, ſemper poſteriori, qui à proprio temperamento longius receſſit, frigidiora remedia, quam priori, decernenda erunt; Sed cum in adhibendis quibusque remedijs, tolerantia ægri ſemper ante oculos ſit habenda, profectò etiam in febrienti curando, dum requiſitam refrigerantium menſuram adminiſtramus, tolerantia non negligenda eſt; Attendenda verò tolerantia ipſa, tum penes robur totius, tum penes robur partium, tum demum penès cauſæ, ſcilicet humoris febrim facientis ad parandi, repugnantiam; Etenim ſi maioris exceſſus febrilis caloris occaſione, frigida valida expetantur, neceſſe eſt toti inſitum calidum, cuius vnius beneficio vita ſtat, validum ineſſe, illudque perinde ita robuſtè firmatum, vt refrigerij impetum commodè ferat, ne inquam ab eo, vna cum exceſſu, extinguatur, poſtea quam tantum refrigerij præciſè, quod requiritur, & citra noxam, ſat ſit, ex arte præſcribere impoſſibile eſt, quare ne

re ne ex repentino nimium refrigerantis impetu, illud iugulatum intereat, accuratè ex robore ſuo præcauendum; Conſpicuum autem eſt validum inſiti caloris robur, in his, qui denſo, firmoque, & carnoſo prædi ti ſunt habitu, ſi præſertim ætas florida fauerit, nec à frigidorum vſu labefactetur; Quoniam qui raro, & glabro, vel molli, vel emaciato, ac tenui donati habitu ſunt, hi paucum, & diminutum, ſubindeque languidum calorem habent, eoque magis ſi ætas inclinet, & frigidis non ſit aſſueta; Inſuper autem ſi quæ internæ partes, & præſertim naturales, ferendo frigori præceteris deſtinatæ, ex aggregatis forſam in eis humoribus, obſtructione, tumore vè, aut afflictione alia affectæ langueant, (hoc in intermittentibus febribus, vt plurimum, obſeruamus, at in continuis idē ſæpe ex proprijs notis indicatur) vt ſuperueniente frigore quam par fuerit validiori, ille vltro afficiantur (cum à frigore, & aſtrictio, & obſtructio, & afflictio quæ vis, præſertim frigida, augeatur) vtique quod partes eædem tunc, remedium alioquin per ſe corpori vniuerſo vtile futurum, omnino renuant, illud idcirco tantum minimè dandum; Sed vltimo, febris cauſa, humor nempe peccans, minimè poſt habendus eſt, poſteaquam ille, & tenuis, & craſſus, & calidior, & frigidior, & humidior, & ſiccior eſſe poſſit, cui ſuperando, apparandoque, frigiditas, ac humiditas maior, & vtilis, & inutilis eſſe ſolet, quoniam frigiditas cum humido, vt tenuem, & calidum, ac ſiccum humorem facilè in modum redigit, ita craſſum, & frigidum, rebellem reddit, & magis quidem humidum, quam ſiccum; ſpecies idcirco humoris recognoſcenda ſemper, antequam frigidum cum humido validum præſcribatur: nam pituita, & melancholia illud non ita admittant, eſt enim pituita humida nimis, & melancholia (ſaltem quæ naturalis) frigida, vt contra admittit bilis etiā atra, & quoque ſanguis, & quidem magis per febrim, quæ continua fuerit, quam per eam, que intermiſſerit; Atque dum in vnum ita conſentiant omnia hæc, vt quantitas refrigerantium, & humectantium requiſita toleretur, tanta profectò ea vtiliter adminiſtrabitur, non item ſi aliàs forſam ſe habeat res; namque tunc, habita ratione illius, quod magis vrget, vel quantitas minor, vel ſaltem partita, iuxta præcepta in methodo tradita, conueniens eſt; Laudabilior licet eorum ſemper ſit vſus, quæ virtute talia cenſentur, quam quæ actu talia ſunt, hæc quia repentim, illa verò ſenſim magis agant; Sequitur quantitatis attenuantium, ac detergentium, ſubindeque aperientium in febribus putridis curandis examen, quando non omne ex his quamquam validiſſimum, aut longè minus validum, in febri quauis, appoſitum cenſeatur medicamentum; Vt igitur ex arte præſcripta ſint omnia, ſanè animaduerſione dignum eſt, hæc tum attenuantia, tum detergentia, perindeque aperientia, eatenus tanta adminiſtrare oportere, quanta humori ſufficienter parando deſiderantur; Deſiderantur autem in craſſiori, & viſcidiori maiora, minora in tenuiori, & fluidiori, vt certum eſt; Itaque humoris per febrim putridam peccantis ſpecies, peccatique modum prænoſcere primum oportet, vt illi dein emendando, remedium proportionatum deligatur; Siquidem bilis ex ſe, tenuis, fluidusque ſuccus exiſtit, quem ideo minus conterere, detergereque neceſſe eſt, contra, pituita penè ſemper craſſior, viſcidiorque, & obſtruens eſt, vt illi iurè validiora attenuanria, detergentiaque, indeque aperientia fortiora conueniant, veluti adhuc potentiora, peccante melancholia, deſiderantur; Dum ſanguis autem perperam ſe habeat, vt ille magis, aut minus ad bilioſum, vel pituitoſum, ac melancholicum inclinarit,

clinarit, ita potentiora eadem, vel minus talia adminiſtrabuntur, qualia inſuper in miſcella humorum quorumuis adinuicem, adminiſtrare eſt operæ pretium, pro craſſiori nempe, tenuiori vè, & viſcidiori, aut fluidiori prædominante; Hoc verò & de internis, & externis intelligas velim, poſteaquam ſçpe in febribus, præter interna, externa etiam vtiliter adhibeantur medicamenta, quibus rectè diſponuntur humores, & viæ omnes paratiores euadunt, vt in ſuperioribus diximus. Quod ad alexiteriorum quantitatem ſpectat (dum hæc tamen neceſſario in febri adminiſtranda fuerint) vtique illud vnum duntaxat præcauendum iudicamus; nempè cum hæc toto ſuo temperamento agant, vel porrò quod ſua ſimilitudine nobiſcum talem habeant ſimpathiam, qua vires nobis ad reſiſtẽdum traditæ corroborantur, & confirmantur, vt perindè valenter contra veneficam putredinis qualitatem nobis ruinam molientem agant, vel demum quod ipſimet venenatę putredini, ſua diſſimilitudine ita aduerſa ſint, inimicaque, vt vim eiuſdem obtundant, aut etiam reprimant, vt inquam vltrò in nos illa operari, nobiſque ſua virulentia nocere minimè valeant; Cum autem hæc ita ſe habeant, ſi quidem nobis ſua ſimilitudine fauerint, vt dictum eſt, tunc nemini dubium quin generoſe ea adminiſtrare tuto poſſint. quipè quod ſimilia cum ſint, quanto maiora, validioraque, tanto meliora, vtilioraque futura credantur, quæcunquæ etenim nobis ſimilia ſunt, ſemper iuuant, & nunquam nocent, dum attamen illa intra metam ſimilitudinis contineantur, nec eam, vel ſaltem per accidens, exceſſiſſe planum ſit; Sin verò alexiteria hæc, ſua diſſimilitudine, qualitati putredinali contraria fuerint, quoniam fortaſſe, vt aliàs indicauimus; morboſç laborantis conſtitutioni aduerſa ſunt, idcirco non niſi prudenter adminiſtranda, hoc eſt, tanta duntaxat exhibenda ſunt, quanta iampridem ſufficienter, at citra noxam, agere apta nata ſunt; Conſtitutionem laborantis appello ex morbo aduentitiam, etenim hæc quouis modo ſemper deſtruenda, nec vllatenus conſeruanda; Quãobrem alexiterium antidotum, dèleteriæ putredini aduerſum, cum aduẽtitiæ ex morbo conſtitutioni longè diſſimile fuerit, intereaque ſæpe nobis innatę itidem aduerſum valdè, & nullo modo ſimile, vt ſi præter occaſioſionem morbi exhiberetur, non parum nobis afferret noxæ, profectò niſi ea moderatione quantitatis præſcribatur, qua neque copia nimia, nempè vltra neceſſitatem, lædat, neque exiguitate, à deleterio vincatur, abſtinendum ab eo potius, quam illud, magno ægri damno, adminiſtrandum: Secus ſi de genere eorum ſit, quæ duntaxat deleteriæ qualitati sũt contraria, at nobis ſimilia valdè, tale etenim liberaliter exhibitum iuuat, nec vlla ratione nocet; Quale itaque primum fuerit, quod proponitur alexiterium, ſupponendum eſt, dein vſus illius rectus, ſeu menſura, ex longo iam obſeruato vſu, eiuſdem, & præſentis ægrotantis conditione bellè perſpecta, decernenda erit; Sed hoc medici curantis prudentiæ sẽper relinquendum; De opportunitate tum refrigerantium, & humectãtium, tum attenuantium, detergentiumque, & ſubinde aperientium, tum demum alexiteriorum, iam deliberandum. Atque à refrigerãtibus, & humectantibus, ſumpto principio, vnum præcæteris præmittendum; tunc videlicet temporis hæc adminiſtrari potiſſimum oportere, quando & indicantur, & tolerantur; Indicantur autem ſtatim apparente febre, & tunc inprimis, vigentibus viribus, tolerantur, ergo iurè tum frigida, tum humida, quanto citius in febri opportunè præſcribuntur, adhibenturque; Immo quod omni febris tempore ea deſiderentur, & facile ſatis toleren-

tolerentur, omni ideo eiuſdem febris tempore vtiliter adminiſtrantur; Verum enim verò difficultatem facit quantitas horum, quæ non omni febris tempore ægrotanti idonea eſt; Etenim nec indicatur ſemper tanta, nec tanta inſuper toleratur, quoniam nec febrilis feruor ſemper ſimilis, ſed modo maior, modo minor ægrotantem affligit, cui proportionatum contrarium meritò adhibendum eſt; Dein nec partes alterationem paſſuræ, ſimilium perpetuò virium, per eadem tempora febris ſunt; Immo nec humor peccans, ob etherogeneitatem, per tempora eadem, omnino ſemper ſimilis eſt, quare nec eadem frigiditatis, & humiditatis quantitas, omni morbi tempore eſt opportuna; Tempora ergo febris putridæ, principium nempè, augmentum, ſtatus, & decrementum, vniuerſim ita precognoſcenda, vt tum per ea, quatenus feruor febrilis vigeat, cui ideo alterantia in contrarium ſufficienter adminiſtrentur; tum quatenus ferendę alterationis eiuſdem robur adſit, cuius fauore ſatis ſuperque corpus alterare liceat; tum demum quatenus humor qui peccat, & qui febris potiſſima cauſa eſt, alterationem commodè permittat, cuius ideo alterationis beneficio contingat illum facilius ſuperari, & in modum redigi, vt inquã ritè expenſis omnibus, opportunitas certa infrigidantium, & humectantium pateat; Porrò veriſſimum eſt, febres quaſuis interdum magno impetu adoriri, vt plurimum tamen ſenſim excandeſcere, & per augmentũ ad ſtatum vſque generosè vigere, tandemque per declinationem euidenter decreſcere, vſque ad ſanitatis integritatẽ; adeo quod meritò vel vno temporum ordine, ſubindèque feruoris magnitudine certa, ſatis facilè eſt, iuſtum tunc refrigerantium, & humectantium contrariorum vſum, determinare; Sed humor putreſcens, qui febris auctor eſt, quoniã etherogeneus, atque raro ſibi ſimilis, vt puta qui licet per febris initia biolioſus ex prædominio aliquando fuerit, cui ideo refrigeratio, & humectatio maxime idonea videatur, progreſſu attamen diſſipata, abſumptaque maiori bilis copia, vna potiſſimum pituita, quæ aliàs permixta longè ſubdominabatur, præcæteris vrgeſcens, humiditatẽ, & frigiditatem minus admittit, & plerunque etiam contra; Hinc vtique & merito factum, vt qui nam potiſſimum prædominetur per febris tempora ſuccus, accuratius expendere opus ſit, vt illi nempè maior, minor vè refrigeratio, humectatioque, quæ propitia, decernatur; Inſuper autem quotidiè experimur, toto febrium putridarum tractu, robur virium ferendæ refrigerationi, & humectationi accommodatum diuerſum eſſe, ſiue illud penes corpus vniuerſum, ſiue penes partẽ quampiam eius, & ventriculum præſertim, heparque, & partes naturales reliquas circonſtantes, attendatur; Namque exempli cauſa, febricitans, cui fortaſsè ventriculus inerat pridem firmus, atque robuſtus, iam vel febris, vel cauſæ, vel ſimptomatum occaſione, illum debilem, & languidũ habet, qui ideo minimè refrigerantia, & humectantia tanta, quanta ad veram curationem iuſta cẽferentur, admittit; Idem de hepate intelligas vellim, deque partibus naturalibus reliquis, quæ ab vſu infrigidantium, & humectantium nimio, per omne febris tẽpus valde afficiuntur; Quamobrem non niſi omnibus examinatis, certa refrigerantium, & humenctantium menſura, vel tota ſimul, vel ſaltem partita adminiſtrabitur; Succedunt attenuentia, & detegentia, aperientiaque, quorum itidem opportunitas in putridis curandis febribus maximè eſt neceſſaria; Etenim licet veriſſimũ ſit, à principio ad finem vſque febris, quæ præſertim ab humore craſſo, pituitoſo, & viſcido fuerit, vſum attenuantium, & detergentium, aperientiumque, ſummè vti-

lē forè, atque proficuū, veluti ſanèper febres intermittentes inprimus obſeruamus, quod inquam in his, obſtructiones, ſi vel alibi febrium, multæ adſint in meſenterio, ibique humorū craſſities penè ſemper cum viſciditate vrgeat; Præcauendum attamen non omnem horum quantitatem, omni febris tempore, rationabiliter admitti poſſe, tum occaſione febris, aut ſimptomatis illam ſequentis, tum item occaſione cauſæ eiuſdem; Siquem medicamenta, quæ attenuant, atque detergunt, & leuiora, & validiora ſunt, eaque frigida, & calida cenſentur; Et quidem magis, aut minus talia; non omni autem febris tempore eadem frigida, vel calida vtilia ſunt medicamenta, principio enim frigidiora ſemper meliora, circa finem contra calidiora potiora ſunt; Dein non omni febris tempore, humor qui peccat, & febrim facit, eadem expoſcit attenuantia, & detergentia, quia cum ob etherogeneitatem, vt dictum eſt, ille principio tenuior, & in fine craſſior ſit, principio etiam leuiora, at in fine validiora expetit; Itaque rationabilis curatio ordinatum duntaxat, attenuantium, & detergentium vſum vti ſalubrem, atque proficuum concedit, inordinatum autem, vt noxium non admittit; Iam de alexiteriorum opportunitate ſermo ſit; Sunt enim, vt diximus, hæc in duplici differentia, quod alia ſimilitudine ſua, vires foueant, alia verò ſua diſſimilitudine, veneficam putridi ſucci qualitatem extinguant; Quamobrem non omni febris tempore indifferenter ex his omnia ſunt proficua; Nam & ſi quæ nobis ſimilia ſunt, qualia præſertim deſcripſimus in ſuperioribus, ea ab initio, ad finem vſque, febrienti auxilium afferant, vtiliterque perinde adhiberi poſſint, quod nempè virtuti ſemper faueant, nec vſquam præternaturam afficere apta ſint; Quæ tamen ſua diſſimilitudine deleteriæ ſolum qualitati aduerſantur, niſi dum pernities ipſa praua vrget, vtiliter adhibentur; vrget autem per gradus circa augmentum, ad ſtatum vſque (ſed breuitas tunc, & longitudo temporum aduertenda) gradatim igitur, per eadem tempora, adminiſtranda ſunt, aliàs quippè cum nobis ea minimè ſint ſimilia, certo noxam non leuem erunt allatura, prudenter itaque præſcribenda ſemper.

Digitized by Google

APPARATIS, APTEQVE DISPOSITIS, *tum humoribus, tum vijs corporis, ad euacuandum omnibus, ſi perfectæ curationis ergo, ſponte à natura fiat eorum euacuatio, an ea talis, ac tanta, an denique opportunè facta, cenſenda ſit, explicatur.*

CAPVT VNDECIMVM.

PROCVRANDA equidem erant omnia hæc, eaque diligenter proſequenda, vt quod putridæ febris iam pridem factum afficiebat, illud arte fauente, commodius, & tutius natura depelleret; Quod porrò in putridis febribus, vltimus eſt, illeque præcipuus curantis medici ſcopus; Cæterum hæc præparantia ſunt, & ad finem intentum aſſequendum viam facilem efficientia, quippè eo inprimis tendant omnia, vt humor qui actu febrim facit, qui inquam febris cauſa coniuncta eſt, ille vincatur, ſupetetur, & redigatur in modum adeo, vt tandem nobis reddatur innoxius, ſeu ita ſaltem diſpoſitus, vt vel vno recto naturæ iuditio, vel accedente inſuper artis auxilio, commodè demoliatur, depopuleturque; Etenim putreſcentem humorem, efferueſcentemque, refrigerantibus compeſcere, attenuantibus autem, & detergentibus, ſi opus fuerit, eundem debitæ conſiſtentiæ reſtituere, demumque putridam illi iampridem impræſſam qualitatem emendare, atque corrigere, humorem ipſum eſt ad eam maturitatem deducere, qua ille imperanti naturæ optimè cedat; quod hucusque faciendum demonſtrauimus; Iam verò ne humor domitus rurſum recrudeſcat, denuoque putreſcat, indeque morbum deteriorem inducat, aut inquam febrim, aut alium quemuis nouum præternaturalem affectum; vtique poſt hæc omnia, ille quam fieri poſſit melius arte depellendus erit, niſi tamen depulſus ille ſponte fuerit, aut interea, modo congruo, ſponte depelli ad ſufficientiam videatur; Namque; vt in methodo diximus, tū ſponte, tum arte, optata depulſio hæc fieri conſueuit, quod per ſe ſæpe natura opus ipſum peragat, tum ſenſibiliter, tum inſenſibiliter, ſæpius autem, velit, nolit, egeat artis auxilio; Per ſe quidem, proprijsque viribus natura, vel toto febrium putridarum progreſſu, ſenſim deſtruit, quod peccabat, tum quadam veluti reſolutione inſenſibili, tum ſenſibili, per vias communes, euacuatione, aut abſceſſu vt aliàs explicatū eſt, nec vtique ſolum quatenus id cauſæ antecedentis rationem habuerat, verum adhuc quatenus illud coniuncta febris cauſa fuerat; Patet autē ſenſibus naturæ factum, dum illud modo ſenſibili architectetur; Siue inquā per expulſionem ſiue per abſceſſum, quamuis rarò modis hiſce, quamquam appoſitis, finem intentum illa per ſe ſufficienter attingat, quoniā licet quæ tenuia ſunt, ſic facilè demoliantur, attamen quæ craſſa, difficilè, ac rarò excluduntur: rarior autem ſufficiens inſenſibilis reſolutio, ob vnam præſertim humoris peccantis multitudinem, cui forſam vires deffatigatæ non reſpondent, obſeruatur; Sed vt cunque, imminenti febris

declinatione, perfecta nè iã facta ſit, & abſoluta, aut proximè inſtet, vel imperfecta, & manca cenſenda ſit, nec vltro ſub ſpe reſtet, cauſæ coniunctæ deſtructio, vniuerſim ſaltem ex eo coniectandum, vnde opus naturæ manifeſtum, aduerſus cauſam, humorem nẽpe, quem febrim, ſua prauitate, excitare æſtimabamus, palam præceſſiſſe, adhuc vè præſens vigere, vel ipſis ſenſibus dijudicare liceat, (ſanè enim ſi latenter, & inſenſibiliter id præſtitum fuerit, non niſi ex conſtanti iam, & certo ægri leuamine, cũ euidenti ſalubritate, conijcitur) atque ne pridem, vel interea talia, tantaque, per debitam opportunitatem, opere eodẽ demolita, vel adhuc demoliri, obſeruare conceſſum ſit; Talia equidem erunt, cum primum ſpeciem peccantis humoris, puta, bilis, pituitæ, aut melancholiæ, ac interdum ſanguinis, præſeferre ea videbuntur; cum dein per vias idoneas, hoc eſt, foco, vel ſedi humoris eiuſdem bellè conſentientes, illa excludi videantur; cui tandem excluſioni conſpicua annectatur ægri tolerantia; illi verò manifeſtum leuamen ſuccedat; Namque vt putrida, quæ tertiana febris eſt, à bile habet originem, & quanto acrior illa eſt, à tanto ſinceriori bile fouetur; Ita in febris huiuſmodi ſponte facta ſanatione, ſi bilis qualis peccabat, talis explodatur, appoſita ſanè exploſio æſtimabitur; Dignoſcitur autem humor talis ex ſubſtantia, & accidentibus, vt in methodo latius enarrauimus; Idem de quartana intelligas, quæ cum ab exuſta melancholia ſit, dum ſponte curetur, in ea ſemper exuſti melancholici ſucci excretio, & quidem magis, minus vè ſinceri, pro qualitate, & gradu febris, expectanda eſt; Humoris autem miſcellam (ſi quæ fuerit) ex iampridem copiose explicatis facilè iudicabis; at hæc in pituitoſis febribus maximè patet, in quibus ſemper bilis pituitæ permiſcetur, quæ ideo vna cum ea foras per curationem excluditur; Quod ſi præterea in febri ex ſanguine, iuſto naturæ iuditio ſanguis depellatur, (depelli autem raro per declinationem ſolet) ille tunc ſecundum ſimilitudinem æſtimabitur. Sed ne per vias idoneas, talis, qualis peccabat humor foras erumpat, ſatis medico prudenti conſpicuum fiet, ſi pridem tamen ipſi focus illius elluceat; Etenim non ſemper vnus in omnibus febribus cauſæ focus eſt, ſed penè ſemper alius in intermittentibus, & alius in continuis, & in eiſdem adhuc varius, atque diuerſus; Quoniam videlicet in continuis, humor qui febris cauſa eſt, venis, vt plurimum, contineatur, aut partem ſaltem habitus corporis occupet, qua cordi ille perpetuò communicet; in intermittentibus contra, vel in primis vaſis meſenterij ſedẽ habeat, vel alibi ſaltem corporis ſtet, vnde non niſi per excandeſcentiam erumpens, latiusque ſe ſe effundens, cor ipſum attingat, afficiatque; Ergo ſi peccantis humoris demolitio, in febri continua, ex venis proximè facta, compareat, veluti per hemoragiam, per vrinam, atque ſudores, & ſucceſſiuè ſaltem per ſeceſſum (quod vt per hemoragiam omnis humor, ita per vrinam, & ſudorẽ, tenuior, & per ſeceſſum craſſior, è venis expurgatur) iam appoſitè omnem depelli febris cauſam, humorẽ nempè peccantem, poſſe, veriſſimile eſt; In febri verò intermittenti, ſi per ſeceſſum, vomitumque inprimis (quod hi modi præcipuè meſenterio circunſtantibusque vaſis purgandis ſufficere videantur) dein quoque ſi per hemoroidas, per ſudores, & vrinam, per quas etiam vias, naturæ fauore, ſæpiſſimè generosa, & ſalubris, tenuioris ſaltem partis cauſæ febris expulſio celebretur; Quamquam non raro, etiam iuſto naturæ iuditio, alias fieri planum eſt, quoniam interdum vias ſibi illa meliores inueniat, quas nos forſam deteriores, & minus aptas opinabamur; Et ſanè potiſſi-

mum

Digitized by Google

inium dum humor ipſe peccans in parte corporis penitiori collocatus exiſtat, vndè viæ ipſæ ad expellendum euidentes minus ſint, vel inquā pars ipſa inferioris, vel ſuperioris, vel medij ventris, noſtri corporis fuerit, vndè manifeſta, ex proprijs vijs, naturæ expectatur euacuatio, vel item ad propria emunctoria abſceſſus; Vtcunque autem res ipſa ſuccedat, dū illi euidens tolerantia comes ſit, ſuccedatque ægri leuamen, non dubitandum quin talia euacuata iam ſint, adhuc vè vacuari, qualia febrim facientia euacuanda erant; Sed quod ad quantitatē euacuationis ſpectat, ſanè illius difficillimum ſemper medici curantis iuditium creditum eſt, quando peccantis humoris menſura penè latens videatur, nec quæ ex æquo illi reſpondeat euacuatio euidenter ſit conſpicua, ea quippè licet vel maior, vel minor, externis quibuſdam aliàs expræſſis coniecturis, æſtimari aliquando poſſit, impoſſibilè attamen ſemper fuit adamuſſim eā ex his poſſe decernere; Itaque ex ſubſequentibus duntaxat effectis, ex tolerantia nempè, cum ægri leuamine perfecto, deſideratoque, illa quadantenus pro poſſe iudicabitur; Namque vt vna tollerantia, ex oblectamento quodam in expellendo contrario haberi poteſt, ita leuamē ipſum ſufficienter illius expulſi certum argumentum eſt; Quamobrem dum per tolerantiam expellarur quod peccare iam videbatur, & febrim facere cenſebatur, vt inde verum febrientis leuamen ſuccedat, meritiſſimè ſufficiēter vacuatum eſſe fatendum erit; Atqui verum leuamen dicimus, per quod æger, non à febri ſolum, ſed & à ſimptomate quouis, ex febre, aut eius cauſa exorto, immunis prorſus exiſtit; per quod item vires & ſi iam labefactatæ, mox tamen facilè, recto victus regimine inſtituto, reſtituuntur; Siquidem corpus quando perfectè purgatum fuerit, vt nihil humoris peccanris febrim efficientis in ſe reliquum ſit, ſed totum quale peccabat, tale ab eo foras eiectum, expulſumque extet, tunc nec parumper ſolum ſe leuatum percipit æger, vt per obſcuram expulſionem fit, quæ confert quidem, at leuiter, ſed ad omni prorſus febri, atque ſimptomate, vnde affligebatur, ſe ſe vindicatum, ſolutumque ſentit; Iamque ſomnus placidus, isque multo quam ante, artior obrepit, non quidē ex imbecillitate virium, vt aliquando fit, in ægro obortus, ſed perindè quaſi labore fatigatum corpus, ita mox humorum noxiorū quaſi ſarcina deoneratum, ceſſante febri, ceſſantibus ſimptomatibus, ſedata demum ſpirituū præternaturali motione omni, leui ſomno conquieſcat; Sitis inſuper expreſsè miteſſit; Appetētia cibi reſtituitur, & dolor, faſtidium vè aliud, ſi quod vigebat, facilè euaneſcit: Hincque demum laboranti vires reſurgunt, validèque, & ſanè conſtantes euadunt, quia porrò nihil intus latens reliquum ſit, vnde langor, vel ſimptoma aliud habeat fomitem. Sequitur opportunitas, quæ ad vtilem euacuationē æſtimandam ſemper requiritur, quæ ſanè ex duobus potiſſimum prouenit, tum nempe ex virium tolerantia, tum expellendi humoris appoſita diſpoſitione; Quādo primum neceſſe ſit vires ipſas (vel illas totius, vel partis vacuationi inſeruientis intelligas) laborem operis, etiam ſponte tentati, ſufficienrer ferre valere, ne tunc forſam iam nimis afflictæ, vltro ab opere vtiliter tentato, vitæ diſcrimine magno, labefactentur, & cadant: Prærerea verò oporteat, vt pro neceſſitate, purgandus humor ita diſpoſitus, atque paratus ſit, vt nec inquam ille craſſus, aut viſcidus, vias ſibi impediat, nec vè alia præter naturali qualirate donatus ſit, qua inter vacuandum afficiat, & lædat, ſed benè coctus, aptèque elaboratus, & iudicatus exiſtat, vt ſubindè iucundè, & tutò expellatur; Quæ ſanè duo non omni morbi tēpo-

re præſto

re præſto ſunt, ſed modo priori, & poſtetiori modo; Atqui in febri, quæ puttida, vt plurimum, res ita ſe habet; In intermittēti, cuius cauſa omnis, & humor, ex quo fit, penè ſemper in meſenterio eſt, ibique vt excrementirius, & quaſi ab omni bono, & ſincero ſucco ſecretus exiſtens, breui, ac commodo ductu, ad ptimas corporis vias tranſmittitur, & qui inſuper ſua natura, ſecundum partes, etherogeneus eſt, & ideo tum tenuis, tum craſſus, partimque infarctus, & partim fluidus, ab initio febris, in finem vſque eſt, vt non niſi ſenſim, & partitè, ille à natura ſuperetur, & in modum tedigatur; meriò in febribus hiſce, humorem febrim facientē, fouentemque, ſecundum partes aliquas, etiam per initia, & per ipſum quoque augmentum, ad ſtatum vſque, ſatis eſſe diſpoſitum, & euacuationi paratum, cenſendum eſt; Adeo quod dum per acceſſiones ille exeandeſcens, vel aliàs etiam è loco deturbatus multifatiam foras erumpit, & per vomitum, per ſeceſſum, & alijs vijs euacuatur, opportunè euacuari credibile videatur; Quando præſertim ferentibus viribus, nec alicundè illis afflictis, etiam ab initio febris, per augmentū, & ſtatum ipſum, talis euacuetur, qualem ante, vel vt antecedens, vel vt coniuncta cauſa, peccare coniectura erat, vt pituita in quotidiana, bilis in tertiana, & melancholia in quartana, & ita in mixtis alijs, vt alibi ſæpe dictum; Immo vt re vera ſummè tolerabilis ſemper fuit, quæ ſenſim, & paulatim euacuatio fit, (niſi illa tamen quia intercepta nimis, ideo manca fit) ita ſine dubio eadem vtilior, tutiorque eſt, & quamquam tempotibus, quibus adhuc cruda, & imparata longè valdè ſuperant, quæ cocta, parataque ſūt, ſummoperè nihilominus ſalubris, ſi pedetentim cū coctione incipiat, & vnà tandem cum ea, per declinationem febris, perficiatur, quoniam ſic longè minus vires fatiget, vt contra, tota ſimul, per coctionē exactam, tentata, eas ſemper languentes deſtruat, ad interitum; In continua autem febri, cuius cauſa omnis, ſeu humor vnde fit, in venis, & corporis habitu potiſſimum reſidet, ibique bono, & vtili ſanguini permixtus, atque item in anguſto reconditus longius diſtat à vijs, per quas generosè, & integrè corpus purgari conſueuit, ita vt licet illæ etherogeneæ etiam conditionis, vt in intermittenti, eſſe poſſit, difficilius nihilominus, tum ob viarum anguſtiam, diſtantiamque, tum ob ſecretionem difficiliorē, ſenſim, & paulatim foras erumpat, ob idque in febri huiuſmodi, ſpontaneæ euacutionis opportunitas ea credenda ſit, quæ tempore declinationis, & circa ſinē ſtatus, celebratur, tunc quippè & humoris peccantis coctio, ac diſpoſitio melior, & ad purgationē corpus paratum magis credibile videatur; At alijs temporibus, niſi redundantis praui cuiuſpiam ſucci in ptima regione corporis congeſti, cauſæque antecedentis tationem habentis, & expultricem facultatem lancinantis, euacuatio per vim fiat, vtique non niſi perperam, citraque tolerantiā, ac magno virium lapſu, celebratur, & intempeſtiua potius quam opportuna æſtimanda eſt; Et quamquam roboris vitium beneficio, in corpore, ſua natura, ad expurgationes omnes patiendas, apprimè commodo, immo ad errata ferenda quamplurima, etiam cum morbo, ſufficienti, aliquando ſalubriter, tutò, ac toleranter, ante hoc tempus indicatum, opportuna expulſio facta videatur, vt plurimum attamen res ſe habet, vt dictum eſt; Verum animaduerſione dignum, ſæpius reſolutione latenti, ſeu conſumptione peccantis ſucci, febrim putridam (præſertim quæ longa, in corpore per initia ſatis euacuato, & abſtinentia, ac alijs præcedentibus diſſoluentibus, euidenter confecto) ſiue continua ea, ſiue intermittens fuerit, eſſe deſinere, & rarius

rius euacuatione euidenti; Quare licet in harum fine, ex arte, à medico, euacuatio aliqua tentetur, ea attamen tunc ſola, vt plurimum, craſſarum fortaſſe quarundam relictarum partium ſuſpitione tentatur, vt cautius ſcilicet, cum ægro agatur.

CVM EX ARTE DEVICTI HVMORIS exacta euacuatio procuranda fuerit, qualis nam ea, quibusque inſtrumentis aggreſſa, appta cenſenda ſit, & primum per pharmacum, non neglecta vbique quantitate, opportunitateque, declaratur.

CAPVT DVODECIMVM.

EX his verò in febrienti per medicum obſeruatis, ſatis illi perſpicuum erit, non quid declinante iam febri, in eo, cuius curatio ex peccantium humorum demolitione primum expectatur, ſit aliquid operandum ex arte, an mauis opus totum naturæ ſoli dimittendum; Quando humoribus, vt dictum eſt, iam euacuatis, vel mox certè ſufficienter, & opportunè euacuaturis, nihil ex arte agendum ſit; contra illis licet domitis, & ſuperatis, nondum tamen foras ad votum expurgatis, ne ipſi rurſum recrudeſcentes, eundẽ, vel alium, & fortè peiorem morbum inferant, ex artis inſtituto, quanto citius, medicamentis, expurgandi; Itaque poſito humorem, vndè febris, quamquam per declinationem iam victum, ac domitum, adhuc tamen perſiſtere, & ſuis antiquis ſedibus, vel alio tranſmiſſum, detineri, atque ita operæpretium eſſe Medicum, ſua arte, medicamentis appoſitis, illum indè, tandemque foras excludere; Profectò vt in reliquis medicæ artis operibus neceſſariò proſequendis vſu venire conſueuit, ita in hoc, tum ſcilicet euacuationis, & inſtrumenti qualitas, tum quantitas, tum demum opportunitas prænoſcenda; Inprimis autem qualitas ex certi humoris congeſti ſede, & vijs illi ad euacuationem idoneis attendenda, ſecundum quam inquam tum opus, tum inſtrumentum deſignandum eſt; At humor coniuncta morbi cauſa, in febri potiſſimum, quæ continua eſt, in venis vniuerſi reſidet, in febri licet, quæ intermittit, ſit penè ſemper in meſenterio, vel circa; Eſtque ipſe humor, vel pituitoſus, vel bilioſus, vel melancholicus, vel demum ſanguis, ſed ferè ſemper etherogeneus, hoc eſt ex his euidens mixtura; Humores hos ergo vt primum è venis, quibus detinentur, deturbemus, foraſque conuenienter educamus, non decedendum à vijs illis, quæ vaſis eiſdem maximè conſentientes ſunt, & quamquam corpus totum ea conſtructione factum à natura eſt, qua in vnum partes illius omnes, & vaſa conſpirent, vt in eo inquam omnia ad vnum adeo conueniant, quod puta vno illius exinanito vaſe, cætera facilè exinaniantur, attamen quod non quæuis euacuatio ſecundum artem facta ſemper laudabilis eſt, nec cuique item euacuationi celebrandæ omne inſtrumentum habile, idcirco & meliores viæ, & potiora inſtrumenta ſceligenda ſemper ſunt; Meliores autem viæ, venis maximè, & proxi-

proximè conſentientes ſunt; aut vna venarum earundem reſeratio, cui chirurgicum conuenit inſtrumentum, aut adhuc expellentis facultatis irritamentum, tum per vrinā, ad renes, & veſſicam, tū per ſudores, & inſenſibilē reſolutionē, ex cutis poris, quod medicamentis idoneis, facilè conſequimur; Quamquā per ſeceſſum, in quē viæ omnes, vt in cōmunem totius cloacam, habent terminū, pharmacis expurgantibus adhibitis, eędē venæ totius, vnà item cum meſenterio, circunſtantibusque vaſis alijs, quæ immediatè inteſtina attingunt, generoſius euacuantur; Sanè itaque quod ad venarum reſerationē chirurgia tentandā, per febrim ſaltē continuam, pertinet, id vtique per eam ad votum ſucceſſurum minimè credibile eſt, quando tunc humor, qui cauſa febris coniuncta fuerat, ex coctione ſuperatus, & ab vtili, ac bono ita ſecretus exiſtat, vt mox ille ſeorſim, & facilè, delectu quodā, ſit deturbaturus, id verò neutiquā aſſequutura chirurgica phlebotomia ſit, quia ea nullo delectu omnes qui in venis ſunt humores, promiſcuè, & indiſcriminatim, graui ægri damno, proleĉtat, poſteaquam dato illā inutilis ſucci partes multas excludere, attamen quia pariter vtilis multas, tunc pridē deſideratæ refectioni neceſſarias, perperā foras eliciat, ſublato ideo ægri nutrimento, graue damnū allatura eſt; Immo fortaſſe, quod grauius eſt, inutilē iam vi naturæ ſecretum, vtili rurſum permiſcebit, ſimulque omnes iterum confundet ſuccos, naturæ ſalubri opere omni euidenter intepellato; Permiſſum quidē per id temporis, ſi noua, illaque vrgentia ſimptomata, ob cruditatē nouam, vel fluxionē aliquam, contingant, phlebotomiā exercere, vt ſit, attamen ad ſolius cauſæ coniunctæ iam domitæ erradicationē aſſequēdam, tunc minimè gentiū conceſſum eſt; Nulla verò ratione permiſſum in intermittenti, cuius coniuncta cauſa circa meſenterium reſidet, ibi quoniam phlebotomia nihil niſi accidenter agat, quod immo, niſi occaſione antecedentis cauſæ reſidentis in venis, vel nouæ cuiuſpiā inflāmationis impulſu, ea ipſa phlebotomia, per febrim huiuſmodi, vt aliàs dictum, celebretur; Et quamuis febres etiam diuturnæ, tum continuæ, tum intermittentes, per hemoragiam ſæpe ſæpius eſſe deſinant; vt quod continuæ interdum, per ſanguinis effuſionē è naribus, vel menſtruis venis, prorſus euaneſcāt; Intermittentes verò per hemoragiam ex hemoroidibus potiſſimū, & aliquando itē menſtruis; nihilominus quamquā opus hoc tunc naturæ eſt per delectū operantis, expellentis vè, quæ cum boni modico, vel plurimum, vel totum illius quod paulo ante peccabat, foras expellit, non propterea tamen, naturam eandē ſic operantē, velle per phlebotomiā arte imitari, tutum, & proficuū eſt, vt potè quod phlebotomia indiſcriminatim ſanguinē è venis effundens, inutilē tantummodo illi adiunctum humorē (ſi tamen adiunctus ſit) minimè ſit effuſura; Cum itaque res ſic ſe habeat, vtique vijs, & inſtrumentis alijs, humor, qui febrim, ſiue continuā ſiue intermittentē proximè faciebat, aut ille in venis, aut in meſenterio, ſeu circa, conſiſtat, ex arte iam demoliendus erit; Dictum autē eſt, venas exinaniri per renes, & veſſicam, vrinæ prouocationè, medicamentis diureticis, facta, nec non quoque per vniuerſi poros, ſudoribus, vel inſenſibili reſolutione, quam multis experimur ingenijs; Attamen euacuatio, quæ per ſeceſſum, & inteſtina celebratur, ex ſe febrienti magis vtilis, magiſque proficua cenſenda eſt, quando ea ex ſe omnibus pugādis humoribus vbique vaſorum corporis reſſidētibus, aptiſſima videatur, & ſit; In inteſtina quoniam ductus omnes corporis vniuerſi terminum habeant, & tanquam in commųnē cloacā illi onus ſuū

aptè

aptè deponant, adeo quod cum ſuccos excrementitios febrim aliàs facientes, iam tamen ſufficienter domitos, ſuperatos, atque diſpoſitos, per deſinentē febrem, foras educere operæ pretium fuerit, tum inquam craſſos, tū tenues omnes, maximè idonea via ea cenſenda ſit, quæ per ſeceſſum tendit; Hanc autē pharmaco tentamus, medicamento nēpe vim expellentē ad ſeceſſum valenter irritanti, cui poſtmodū, natura fauente, opus intentū bellè ſuccedit; Igitur de hac ipſa vacuatione dicemus primū; & de alijs poſtmodū, quærentes tum qualitatē, ac vtendi modū tū quantitatē, tum opportunitatē omnium; Sanè verò pharmacū deligendū adhoc idoneū eſt, quod inquam tale verè exiſtat, quale in vnaquaque febri, vel continua, vel intermittenti, exundantē, & excrementitium humorem aliàs peccantē, ſed modo victum, & ſuperatū, foras per ſeceſſum educere aptū ſit: hoc enim proculdubio appoſitū expetire huius euacuationis inſtrumentū, æſtimabitur; Tale equidē erit, ſi renitentiæ humoris habita ratione, (ſiue ea ſedis ipſius, ſiue conditionis propriæ occaſione contingat) ob quam ſcilicet, pharmacū vnum magis quā alterum euacuationi aſſequendæ validum ſit; Illud demū, delectu præuio, adminiſtretur, & porrò ea forma, & compoſitione paratū, qua æger ipſum commodius recipiat, retineatque, vſque quo illud opus ſuum plenè perficiat; Diximus aliàs, pharmaca quæ expellentē facultatē irritantia euidenti vacuatione per ſeceſſum purgant, (ſunt enim præterea, quæ vias laxando vacuant, ſunt & quæ duntaxat cōprimendo, ſed hæc vt reconditū, & infarctum minimè educunt, ita rarus, aut nullus, hoc febris tēpore, illorum vtilis eſt vſus) alia phlegmagoga eſſe, pituitā nēpe vacuantia, alia cholagoga, & melanagoga alia, vt potè quæ vel bilē, vel melancholiam, aliū vè ſuccum, vltro educere apta nata ſunt, quoniā inquam magis, minus vè conſiſtentē, infarctum, & renitentē humorem è loco ſuo, aut proximo, aut remoto, pellentis facultatis beneficio, mouere ſuis viribus valeant; Vt plurimū tamen cū hi, qui peccant humores, & febrim faciunt, mixti, ac cōplicati ſint, meritò poſt præcognitam peccantis, & prædominantis renitentiā, vel ſolius tolerantiæ habito reſpectu, in omni febre, pharmacū quoduis humori pro viribus proportionatū adminiſtrari aptè poteſt; Atque vel pituitam purgare velimus, vt in quotidiana, vel bilē, vt in tertiana, vel demū melancholiā, vt in quartana, aut irē hos omnes mixtos, in illis tam intermittentibus, quā continuis, non erit inſulſum, hac vna obſeruatione, & arte vti, quinimo eriā in febri ex putri ſanguine orta, ad inutile quoduis (id enim à ſanguine longius diſtans, reliquis ſuccis propius accedit) iam pridē coctum, & ſuperatū, euacuandū, ſi per vires liceat, eodē vti inſtrumento vtiliſſimū erit; Sed pharmaci huiuſce quantitatē accuratius expendere opus eſt, quod ea eriā ad tutiorē eius delectū maximè faciat; Meritò autē illa ex peccantis humoris copia eſt cōiectanda, quia eouſque ſemper euacuare ſit opus, quouſque totum illud, quod febrim faciebat, depopulatum æſtimetur; Verū quod ob vnā viriū tolerantiā, id vt plurimū totum ſimul difficilè euacuetur; Immo quod ob variā humoris conditionē, ac ſitū, impoſſibilè ſit, quantouis pharmaco, ſeu vi quacunque eius, aſſequi quod intendimus; Hinc ideo, vt tum operi, tū inſtrumento, hoc eſt, vacuationi, & pharmaco, rationabilis præſcribatur menſura, quā inquam vires ita cōmodè ferant, vt ex demū ſequuto opere illæ minimè labefactatæ reſtent; Sanè poſt vnā humoris vacuandi agnitā, tum conditionē, vel qualitatē, tum exundantiam, vel copiam, adhuc poſitus illius in corpore, & quæ præterea ſequuntur reliqua,

qua. (de his nos ſatis in methodo) diligenter præcognoſcenda; Ex febris autẽ motu, vt alibi dictũ ſæpius, humoris patet ſpecies, & qualitas, quia quotidiana pituitã, tertiana bilẽ, quartana melancholiã, & ſinochus ſanguinem indicat; Et ſi ex vehementia, & lentore, aliiſque ſignis, an ſincerus, vel mixtus humor fuerit, planũ ſit; Cæterum vbi nã corporis vacuandus humor collocetur, ex vno febris genere ſatis recognoſcitur, quippe in venis ſemper per continuã ſtet, extra has autẽ, putà in meſenterio, adiacentibus ve vaſis, per intermittentẽ, reſideat; Eiuſdẽ verò humoris peccantis copia, ex aliàs expræſſis notis, per febrim quãcunque ſufficienter habetur, an videlicet per quotidianã pituita vrgeat, multa, vel pauca, aut per tertianam bilis, aut demũ per quartanã melancholia, ſicut & in febre à ſanguinè, id quod poſt coctionẽ excrementitiũ fuerit iudicatũ, ſiue etiam mixtis humoribus exiſtentibus, an vnus ex his magis, aut minus ſupra alterũ vigeat; Equidẽ ex his ſatis pharmaci deſiderata potentia indicatur, per quã ſcilicet humor hic, vel alius, ex ſede hac, vel illa, appoſitè dimoueatur; Namque inprimis ſecundũ agnitam humoris ſpeciẽ, vni pituitæ validius pharmacũ conueniens eſt, quam bili, atque à melancholia longè illud potentius, & maius expetitur, ſicuti item propter miſcellam, modò fortius, modò debilius, pro humoris nempè prædominantis conditione idẽ deſiderari ſolet; Dein quoniã ex venis, nũ viis patentibus variis, rum licet è longinquo, magnis tamen naturæ, ſi vel vnquã per febrim, magis afflictæ, ſolicitatæque auxiliis, humor quilibet facillimè foras expellitur, indè idcirco humor leuiori pharmaci potentia (niſi durus ægrotantis ſenſus impediat) vacuatur, quam ſi ille in meſeraicis, vel circa has locis reconditis, aliquando reſideat, (inibi ſanè ſemper per intermittentes febres ille reſidere conſueuit) quoniã inde viæ licet breuiores, ab infarctu tamen raro immunes ſunt, craſſiſque perinde ſuccis abundant, à quibus difficilè, accedente præſtim pauca naturæ moleſtia, liberantur; Quamobrẽ quotidianæ intermittentes diuturniores, & equidẽ magis, quæ quartanæ ſunt, exquiſitæ enim tertianæ à ſinceriori bile productæ, breuiores, ob vnã duntaxat humoris tenuitatẽ, ac promptitudinẽ, obſeruantur; Et hiſce licet iam conſpicuis, quantũ, & cuius roboris pharmacũ eſſe debeat, ſatis appareat, attamen adhuc idẽ, & inſuper euacuatio quanta eſſe poſſit, ac debeat, ex vna virium tollerantia, ipſi deſideratæ vacuationi conparata, certius conicitur; Siquidẽ verum eſt, quod humore exiſtente multo euacuatio sẽper multa expetitur, & pharmaco etiam vti valido (pro conditione tamen humoris, ſitu eiuſdẽ, & partium vacuationi inſeruientium ſenſu) oportet, & porrò vel intermittens, vel continua febris fuerit; Interea nihilominus, an viriũ ægrotantis robur (id enim vt plurimũ ex præcedentis febris ſæuitie, longitudineque, magis aut minus labefactatum, & diſſipatum eſt) nimis vltro infractũ, vt requiſitæ dein inſtaurationi minimè ſat ſit, ſed nouæ cruditati, ac putredini faueat, ex operibus quibuſque conſpicuis, vitalibus, naturalibus, & animalibus, obſeruandum; robore quoniã debili exiſtente, ac vacuatione multa iã requiſita, non niſi partitè, & ſenſim, pharmaco congruo, illa tentanda, atque iuxta præcepta in methodo tradita, per interualla ſolum ſolicitanda eſt; robore eodẽ contrà robuſto, dum parata ſint omnia, affatim, & tota ſimul, præſertim copia humoris mediocri, nec maxima ſe habenti, procuranda eſt; In maiori autẽ ſemper tutius eſt infra ſubſiſtere, quam repentim, & vniuerſim, valido pharmaco, euacuare; Quod etiam magis attentè obſeruandum, vrgentibus humoribus

ſua

ſus natura craſſis, pituitoſis nēpe, & melancholicis, propterea quod hi raro ſecundū omnes partes ſuas ſufficienter parati, & ad euacuandū diſpoſiti, penè ſēper, valentiori aggreſſi pharmaco, exagitantur potius, & perperā cōmouentur, vt ſubindè vel deterior recurrat affectus, vel ſimptoma ſaltē aliquod peſſimū de nouo emergat, veluti quidē interdum in quotidianis ex pituita factis apparet, atqui frequenter, & euidenter in tertianis, ex craſſa bile productis, & certè euidētiſſimè in quartanis, ex melancholia, in quibus ſatius multo experimur humorē redundantem, poſt rectū regimen victus ex arte inſtitutū, vni relinquendū naturæ coquenti, inſenſibiliterque illum abſumenti, quā pharmacis etiā exactè confectis illum vacuationis ergò aggredi velle; Neque mehercle audiendi ſunt hi, qui per febres longas, aliquando, & præſertim in quartanæ curatione, tum magna, repentinaque animi affectione inflicta, tū corporis perturbatione nimia inducta, tū demum ex paſtu ſemel, vel in qualitate, quantitate, & opportunitate omnino perperā adminiſtrato, tum quoque ex medicamento vehementiſſimo, potentiſſimoque adhibito, laborantes perfectiſſimè ſanatos profitentur; Quod illis id ſolum fortuito, & præter omnē artem, ſummo vitæ periculo, eueniſſe certū ſit, ea autem ratione tantummodo, qua multa plerunque ſuccedunt inexpectata, quoniā videlicet ex animi affectu violento, repentinoque, ex paſtu perperam exhibito, ex medicamento demū aliquo valenter nimis exagitanti, naturæ ipſi alioqui pro viribus operanti, vis vltra modū illata, facit neceſſariò vt ſpiritus omnes, omneſque etiā animæ facultates, præſertim naturales, nimiopere concitatæ exurgeſcentes, ſummū quid, id vnam propriæ ſalutis conſeruationem, aduerſus noxium quoduis iam præſentaneū, agant, vt idē inquā pellant, vel ſaltem alterum omnibus modis, ſi fieri poſſit, efficiant, ſeque demū pro poſſe tueantur, ita vt ex his tunc multa ad miraculum contingant, vel per alterationē ipſam, vel per vacuationem, alios vè modos, quorū finis caſu ſanitas eſt; Hoc autē vt per vim, & violenter actum ſemper ſit, ſemper etiā incertum, & periculo plenū æſtimandum erit, vnde à prudenti Medico nunquā imperandū, procurandum vè, neque à ſanæ mentis ægro deſiderandum, admittendum vè; Cæterum poſt hæc opportunè pharmaco ſemper vtendū, & tempus appoſitum illi decernendū eſt, quo ſanè febris coniunctā cauſam, iam victā, & ſuperatā, ex arte demū ſufficienter demoliamur; Itaque vt duo ſunt ea, ex quibus operis huiuſce tuto proſequendi occaſio habet originē; Ex vna nempè humoris peccantis bellè diſpoſiti præſentia, quæ ſui ideo neceſſariam arguit demolitionem, quod ab eo quanquam victo, ſuperatoque, atque ad vacuationem diſpoſito, rurſum nihilominus febris ipſa, etiā deterior recurrere, aut alius quiſque morbus repētim occurrere, vt ſæpè diximus, facilè poſſit; Ex altera dein, ſcilicet viriū febrientis tolerantia, ſine qua medicum opus quoduis, euacuationēque præſertim hanc pharmaco tentandam, nos perperā aggredimur; poſteaquam inquam virium coagentiū ope, tunc velimus nolimus, egeamus, qua nō ſufficienti, afflictio ſemper præſto eſt; Meritò quando iam diſpoſitus humor ſit, & inſuper ipſa virium tolerantia vigeat, tunc opportunè pharmacum ad euacuandū adminiſtratur; Sanè autem iam ſufficienter diſpoſitū omnem humorē eſſe conſtabit ex eo, vnde illum iam conuenientem coctionem, à natura per ſe, vel ope item artis adiuta, fuiſſe paſſum conſtiterit; tum ſcilicet propriam, qua excremētitius ille iudicatus, ab vtili ſucco ſecretus exiſtat; tū impropriā, qua & tenuis, & fluidus factus expurgationem quamprimū

Digitized by Google

expectet ; Etenim & in continua putrida, & in intermittenti, hæc coniectura optima & neceſſaria eſt ; Putridum autem humorē febris anctorē ideo æſtimandum fore crudū eſſe certum eſt, quando ille à ſymmetra, innoxiaque conſtitutione ſui ſenſibiliter receſſus, febrim iam actu efficiat ; coctus contrà dicendus, cum ille aut priſtinæ redditus integritati, aut in quid minus noxium conuerſus, vltrò nocere deſinat, nec febrim pariat ; Atque ita à coctione illum magis, minus vè hactenus recedere veriſſimū eſt, quatenus effectus febriles maiores, aut minores, in eodē ægro ipſe produxerit, ita vt humoribus in ægro eodē adhuc præſentibus, ſi tum febris, tū reliqui febriles effectus ipſum valenter afflixerint, proculdubio illi crudi valdè cenſendi erunt ; dein vt dum creſcit afflictio, ipſa etiam praua humorū conditio creſcit, ita dum illa decreſcit, ipſos item humores, aut priſtinæ, aut meliori ſaltē reddi conditioni opinandum eſt, idque eo magis, atque minus iudicandum, quo afflictio ipſa decreſſet. Igitur cum per coctionē, præſertim propriam, conditio humorum peccantium melior vbique euadat, deterior per cruditatē coctioni huic oppoſitā, iure ex vno febrientis ſenſu, de coctione rectum iuditium fiet ; Sed quod ad coctionē impropriam ſpectat, humores ſanè omnes ſemper iam fluidi, & vacuationi omniquaque parati, eadem via, æſtimandi ſunt, quoniam dum per ſe natura, vel artis itidē adiuta auxilijs, humorem à propria ſymmetria iam deuium, priſtinæ integritati, vel ad quid minus noxium reddere contendit, eas inſimul illi qualitates impertit neceſſariò, quæ ipſi naturaliter ineſſe conſueuere, vt ſi alimentitius humor euaſerit, qualitates donat alimento conuenientes, ſin verò excrementitius fiat, qualitates impertit, excremento foras expellendo deſideratas, & quidē citius, faciliusque attenuantibus, & detergentibus ex arte diu adminiſtratis ; Senſus autem melioris ſtatus in ægro, non per febris augmentum, aut ſtatum, ſed per euidentē duntaxat declinationem adeſt, & deſinente etiam febre magis ; Quare per declinationem eandē, & poſt omnem febrim magis, coctio huiuſmodi præſens eſt, tunc ideo ratione diſpoſitionis humoris expurgandi ſaltem pharmacū ex arte præſcribitur, & adminiſtratur ; Ratione autē roboris virium, an pharmacum quod deſideratur tuto adminiſtrari poſſit, ſinè dubio ex operibus præſertim naturalibus ægri, iuxta aliàs ſæpius dicta, ſatis fiet conſpicuum ; Quamuis animaduerſione ſemper dignum ſit, an ne ille valdè nimis ex præcedenti febris, atque ſimptomatum, aliorumque quamplurium præternaturalium lancinatione, afflictæ adeo ſint, quod deinceps difficilè ferendo pharmaco ſuffecturæ videantur, quippè tunc aut ab eo abſtinendū, quouſque ſatis illæ refectæ ſint, vel ſaltē ne ſequatur læſio, partiendū pharmacum eſt, & per vices adminiſtrandum ; Inſuper autem vt tutius, & iucundius ſuccedat opus, reſeratio viarum, & ductuum ſaltem cōmunium, per quos ad ſeceſſum celebranda vacuatio eſt, maximoperè expetitur, vndè ne tunc, poſt vſum attenuantiū, & detergentium, illa ad votum præſto fuerit, perquirendū etiam erit, & ſi non niſi difficilè haberi poſſe videatur ; attamen ſenſus tum internus, tum externus ægrotantis ſufficientē fortaſſe huius præbebit coniecturam, vt puta quoniam intrinſecus æger neque grauedinē, neque dolorem, neque demum triſtem affectionem aliquam, circa hipocondria conſiſtentē, vel ex his affectis, læſionem alibi per conſenſum ortam ſentiat ; extrinſecus verò nemo eiſdem hipocondrijs ineſſe tumorem, per duritiem videlicet, tenſionem, vel grauitatem, arguat, vt perindè obſtructionem ex congeſtis humoribus factam ibi adeſſe æſtimare valeat, ſed vias omnes potius,

ſeu ductus in inteſtina patere, & ab infarctu omni liberos eſſe cenſere, veriſſimilè opinetur; De venis verò, & penitioribus vijs reliquis, nulla melior coniectura eſt, quam ſi iam foras per ſeceſſum, aliquid illorum, qui redundant humores, & qui veriſimiliter febrim excitarint, ſpōte effluat, hoc licet non ſemper neceſſariū ſit; Verum quamquā per euidentē febris declinationem, hæc in ægro attendantur, adhuc nihilominus particulare tempus declinationis eiuſdē, quo operandi occaſio vrgeat, obſeruandum diligenter, quod ſcilicet modo citius, modo tardius, in certa febris ſpecie; illa occurrat; Etenim declinatio in febribus, vt in morbis ſingulis, modo longior, modo breuior eſt, quia vel paucis, vel multis diebus illa terminatur; Breuior autem eſt declinatio, vnà cum temporibus reliquis (vt alibi latius expreſſum) ſi humor vndè febris, cæteris paribus tenuior, & ad agendum, ac patiendum paratior ſit, qualis ſanè eſt ipſa bilis, quæ præſertim ſincera, quoniam ſemper ſi patiens fuerit, breui tempore pariatur, vt ſi etiam agat, breui opus ſuum perficiat; exemplo tertianarum, exquiſitarum, quæ cæteris paribus, putridarum omnium breuiſſimæ ſunt; Longior conrra tum declinatio, tum tempus aliud febris eſt, cum humor, à quo illa gignitur, craſſus fuerit, & denſus, quia ille renitens, ſeu conſiſtens, in pariendo, agendoque, longius ſemper perſeueret; quod nos perpetuò in quotidianis à pituita prædominanti factis, & tertianis quoque ſpurijs, vt & in reliquis ex certa humorum miſcella effectis, nec non & in quartanis, ex melancholia genitis, euidenriſſimè experimur; Atque res cum ita ſit, eo profectò declinantis febris momento pharmacum vacuationis ergò præbendum, quo opus intentum ſalubriter, & tuto proſequi, & aſſequi liceat; Quare in declinatione breui ſpatio terminatura, nec ſalubriter, nec tuto per eius initia, vacuatio tentanda eſt, vt in tertiana exquiſita, per quam ſincera bilis peccat, quando tunc cruditas eius adhuc manifeſta, pharmaco minimè aptè ſit obtemperatura, nec citra ægri detrimentum humor tunc aggitari pharmaco poſſit, quamobrē nec progreſſu breui eiuſdem declinationis, ſed ipſa ſolum abſoluta, pharmacum exhibere vtiliter, ſalubriterque conceſſum eſt; Verum in declinatione longo abſoluenda ſpatio, pharmacum abſque dubio aliàs adminiſtrandū, aggrediendaque alia occaſione vacuatio eſt, vt in quotidianis, tertianisque ſpurijs, ſed de quartanis adhuc aliud omnino dicemus; Namquæ in declinatione longa, & ſi per initia (vel febris continua fuerit, vel intermittens) humorem nondum perfectè ſuperatum, ob vrgentem adhuc cruditatē (niſi multitudinis impulſu cogamur,) tuto vacuare minimè liceat, progreſſu tamen declinationis ipſius, tum ſalubriter, tum neceſſariò, & tutò, opus, pro viribus, non ſemel, ſed pluries tentandum eſt; Salubriter inquam, quod ſublato onere, quo natura præmebatur, eadem valentius, & promptius valeat ſupra reſiduum; Neceſſario verò, quando niſi quod iam ſufficienter coctum, paratumque eſt, foras quanto citius educatur, maximum ſemper recrudeſcentiæ periculum immineat; Atqui id tuto ipſi proſequimur, quoniam iā quod illius coctum eſt, reliquū quod crudum eſt, longè valdè ſuperat; Sed declinatione iam abſoluta, deſinenteque febri, tutiſſimum, commodiſſimum, optimūque eſt; humorē omnem funditus extirpare; Quod ſanè non tutum, nec cōmodum, eodem ordine, in quartanis eſſe conſueuit, poſteaquam melancholicus humor, qui febrim actu faciebat, valdè multū diſtet à natura aliorum; etenim hic penè ſemper ex aduſtione tum bilis, tum aliorum ſuccorum ducens originem, & inæqualis, & virulentus ita ex parte factus eſt, vt vel

Digitized by Google

leuiter agitatus peſſimè excandeſcat, magno laborantis detrimento; aliâ verò ex parte per inditam craſſitiem, cum ferè ſemper rebellis ſit, valentiusque expulſioni reſiſtens, vt difficilè euacuatur, ita perperam commotus, facilè peiores, diuturnioresque ſolet excitare labores; Vndè quartanę omnes ab humore hoc ſemper effectę, vt plurimum vacuationibus per ſeceſſum, pharmacis generoſis, humori etiam proportionatis, minimè curari ſolent; Interea licet in his non deneganda, quæ leniter primas duntaxat detergunt euacuando vias, vt pro neceſſitate corpus vniuerſum ſatis perſpirabile ſit, ideoque ſenſim, aut per ſeceſſum, aut per ſudores, aut per vrinas, aut demum inſenſibiliter per reſolutionem, vna naturæ coctione, architectatam, tutiſſimè, aptiſſimèque ab omni cachochimia expurgetur; Iam verò de hora adminiſtrandi pharmacum magis commoda dicendum reſtat; Tranquillo vtique temporis tractu ſemper, purgatio tutior eſt, quoniã tunc morbus ægrũ minus fatiget, & collectæ vires melius conſtent, vt porrò facilius medicamenti vim, ac impetũ tolerare poſſint; Et inſuper quieſcens humor, nec excandeſcẽs ſit, qui ideo commodius expellenti facultati obtemperans eſt; Contra enim qua die morbus exaſperatur, eiuſque interim materia agitata in motu eſt, ſemper contrarium euenit; Quocirca dum per vires liceat, parataque iam omnia fuerint; Si febris intermittens ſit, tempus intermiſſionis ad vacuandum deligetur, medicamento tanto, ſi liceat, ante acceſſionem oblato, quo poſſit purgatio bellè compleri; per acceſſionem namque materia non in aluum, ſed plerunque in diuerſum ruit, & vt plurimum quoque ſubſiſtit, nec facultati expellenti obtemperans eſt; Si autem febris cõtinua fuerit, quamquam in ea interpollatio nulla eſt, eſt ſaltem tempus, quo minus afficitur virtus, tempus videlicet poſt exacerbationnem, quo mitius valdè feruor ipſe febrilis vrget, quo vtique ſemper medicamento vti ad vacuandum ſalubrius, vt alio, puta exacerbatione vigente, inſalubrius eſt;

CONSEQVENTER DE EVACVATIONIBVS, earumque inſtrumentis reliquis, ad extirpandam omnem febris cauſam, accommodatis, Sermo eſt. Expenditurque debita in ſingulis quantitas, & ad tuto aſſequendum finem, opportunitas.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

ET de vacuatione per ſeceſſum, pharmaco tentanda, hucusque ſatis, iam de vacuationibus alijs, ad coniunctam cauſam in febribus funditus demoliendam, inſtitutis, ſermo habendus eſt; Sanè quidem generoſa, eaque vniuerſa cauſæ febris coniunctæ vacuatio per pharmacum præmittenda, niſi quid fuerit impedimento, vt ſi fieri poſſit, cauſa eadem penitus extirpetur, quod eiuſdem attamen cauſæ reliqua ſemper reſtent, tum humoris peccantis vitio, tum viarum ipſarum difficultate qua piam, reliqua

hæc

hæc ideo, ne quaſi noui mali ſemen in graue periculum denuo ægrum inducant, meritò per vias aliàs, appoſitis inſtrumentis, quoad poſſibilè fuerit, extirpanda, & abolenda ſunt omnia; Sed cum hoc non per ſeceſſum ſolum, ſed & tum per vniuerſæ cutis poros, tum per vreteres, ac veſſicam, aſſequi poſſibile ſit, cum itidem vijs hiſce ſæpe natura vniuerſum ſpontè ab omni ſorde munder; Inſtrumenta ideo deligere neceſſe eſt potiora, quibus tandem (ſi opus fuerit) per vias huiuſmodi, id aſſequi valeamus; Inſuper & ob id quantus illorum neceſſarius futurus ſit vſus, & qua demũ opportunitate ille procurandus, determinare eſt operæ pretium; Equidem inſtrumentum, quod ſuis viribus, per vrinam, vnà cum ſero, excrementitioſos, & inutiles ſuccos vacuat, non quoduis nos hic remedium intendimus, quo videlicet vrina per vreteres multiplicatur, quippè etiam quoduis aptum ſeri copiam adaugere, vt potulenta ferè ſunt omnia, illud ſemper vrinam multiplicet, atqui tali minimè nos tunc ægemus remedio, quando potius vniuerſum ab omni relicto ſuperfluo expurgare deſideremus; Sed remedium illud hic ad vrinam mouendam vtilè adhibendum æſtimamus, quod dum viribus proprijs, tum attenuandi, quæ præter naturam craſſa, tum detergendi, quæ perperam infarcta ſunt, potentiam habet, & fuſos, ac fluidos quoſuis reddere humores, & vias aperire omnes facilè poſſit, ita vt illos natura commodius quomodolibet diſſipet, vel expellat, & per vrinam præſertim, vnà cum ſero, cum quo perpetuò aliquid, quod potiſſimum venis inutiliter continebatur, excluditur, quod multo facilius ſucceſſurum, ſi inſuper illi facultas aliqua à toto temperamento, per vrinaria vaſa mouendi, indita ſit; Verum enim verò quamquam remedium hoc multiplex eſt, non temerè tamen qudlibet febrienti præſcribendum; Etenim eſt quod calidum, & quod frigidum tum actu, tum poteſtate; Inſuper etiam eſt quod ſiccum, & quod humidum, eſt autem quod magis tale, & quod minus tale; Quamobrem intercurandũ febrim prænoſcendum primum, an remedium huiuſmodi vtile futurum ſit, cum inquam humorum reliqua huius præſertim auxilio expurganda ſint; Dein ne hoc potius, quam illud dare ſit vtilius: Quæ vtique habentur, ex ſitu humoris, & poſt febrim, annexũque ſimptoma, ex qualitate humoris eiuſdem, ſeu peccato; Nam vel humor, qui vacuandus reſtat ſedem habet in venis, vel in primis ipſis vijs, & præſertim meſenterio, collocatur; Si primum, quod euenit febri continuæ, non dubitandum qui n remedium per per vrinam ducens vtile ſit euaſurum, quoniam quod venis continetur, id, vel vno venarum proceſſu, vaſis renum emulgentibus propinquiſſimum eſt, ideoque per ea educi aptiſſimum; Quod autem extra venas reſidet, vt in intermittenti febri obſeruatur, ſicuti lõgius à vijs vrinarijs diſtans eſt, nec illis, niſi per euidentem ſanguinis infectionem communicet, ita profectò pernitioſum potius, quam tutum eſt, medicamentis eo illud euacuationis ergo perducere; poſteaquam humore excrementitio extra venas poſito, vi medicamenti, in venas deducto, iam turpiter fœdato ſanguine, æger grauiter periclitetur; Sed profectò tunc, dum nihil impedimento ſit, & euidens adſit virium tolerantia, ſalubrius eſt medicamento attenuanti, & detergenti, ſimul attamen purgatoria facultate donato, per ſeceſſum, ſenſim vacuanti, quod humoris reliquum eſt, paulatim expurgare; Atqui poſito ſalubriter diureticum remedium adhiberi, ſanè quale eſſe debeat, an calidum, an frigidum, an humidum, an verò ſiccum, ita decernendum eſt; Cum humor qui purgandus ſit, ex prædominio bilioſus exiſtat, vtique quanto purior, tãto frigi-

to frigidius diuretium admittit, at quanto minus purus, tanto minus frigidum illud requirit; Si verò humor purgandus ex prædominio pituitoſus fuerit, certè quanto purior, tanto calidius diureticum adminiſtrandum; Sed quod ad melancholiā ſpectat, quanto illa maiorē bilis exuſtæ, vel pituitæ ſalſæ copiam habebit admixtam, tanto frigidius diureticum requiret, contra calidius, ſi melancholia naturalis ſit vel ſimplex pituita illi, copiosè iungatur; atque ita iuxta peccantis excrementitij ſucci prædominantis temperiē, ſemper medicamentum præſcribetur; Quod intelligas etiam quo ad ſiccitatē, humiditatemque, quoniā bilis, cum melancholia, humidius expetit remedium, pituita autem ſiccius; Quamquam, ſemper tamen, & febris, & annexorum ſimptomatum, & eorum præſertim, ſi adſint, quæ vrinaria vaſa infeſtant, habenda ratio eſt, ne nos vacuationi huiuſmodi intendentes, febri ipſi, aut ſimptomati, nutrimentum aliquod præbere videamur, atque ita præter tolerantiam medicamēto vtamur; Nam ſemper vbi concurrant, quæ diuretica requirunt, cum his, quæ ea non permittunt, pro eo tunc quantum in quoque ſit ponderis æſtimanda ſunt omnia; Atqui adhuc tum remediorum diureticorum, tū vacuationis huiuſmodi quantitas expendenda, nēpè ex quantitate humoris vacuandi, & ex virium totius, ac partium vacuationi inprimis ſeruiētium robore; Humoris quantitatē conijcies ex vniuerſa, eaque generoſa per pharmacum præcedenti corporis euacuatione, comparata tamen ea, ad peccantis humoris, tum copiam, tum renitentiā; veluti in morbis longis, à multis illiſque craſſis, viſcidiſque ſuccis obortis, veriſſimilè eſt, poſt vacuationem etiam generoſam, eamque ſæpius repetitam, adhuc reliqua non pauca ſucci peccantis remanſiſſe; quando præſertim æger in omnibus nondum integræ redditus ſanitati videatur, ſed vltro potius veſtigia quæuis præternaturam aliqua in eo perſiſtere ſit conſpicuum; Virium totius robur nuſquam adeo infirmum in ægro eſt, quod vacuationē huiuſmodi (niſi ea fortaſſe, vt aliquando viſum eſt, modum excederet) ferre minimè poſſit; Sed quidem partium ſingularum medicamēto quomodolibet operanti ſeruientium virtus ſæpe in longa febri infirmatur, vt perindè medicamentum difficilè ſuſtineat, & præcæteris ventriculus, qui in diuturnis febribus, ex nimio medicamentorum, paſtusque medicamētoſi, ingrato vſu, ſæpiſſimè ita afficitur, ac penè languet, vt vix deſideratum ad nutriendum pabulum conficere aptus ſit, quarè vt plurimum fit, vt quamquam valdè ſedata febri, ille tamen adhuc nuſquā potiones diureticas abſque noxa ſuſtineat. Succedunt huic partes naturales aliæ conficiendo itidem pabulo conſecratæ, puta meſenterium, & hepar, cum annexis alijs, quæ proculdubio ex febrili inflammatione præuia, penè ſemper tunc adeo difficilè etiam ſufficienter adminiſtratū pabulum ſufferant; Immo ſæpe adeo ex remedio quamquam attenuanti, detergentique, grauantur, & opprimuntur, quod ibidē eo congeſto, nec indè ob imbecillitatem diſtributo, facilè vel nouo dent cauſam malo, vel præteritum rurſum admittant; propterea que per id temporis, imbecillis ſcilicet febrientis viribus, ægrè diureticum hoc medicamentum ferentibus, inedia, victuque opportuno blandiri ſaluberrimum conſilium eſt, quoniā ſic maiori deficiente pabuli copia, quod humoris pridem fuerat congeſtum, vno caloris beneficio, paulatim, at inſenſibiliter abſumitur; Sed dato hoc ipſo diuretico appoſitè vti licere, profectò vel potentius, vel imbecillius illud deligendum, pro humoris vacuandi craſſitie, & infarctu; Illudque toties repetendum, quoties intentū opus finē habeat, & porrò à leuiori

ſumpto

ſumpto principio, vt ſenſim, & placidè ſuccedat, quod cupimus; Cæte-
rum vt opportunè remedium adminiſtretur, præcauendum ſemper eſt,
vt non ſolum vniuerſi generoſa iam præceſſerit per pharmacum, & aliàs,
peccantis materiæ euacuatio, vt inquam reliquię eius duntaxat relictæ vi-
deantur, quas per vrinam educere commodiſſimum ſit; At inſuper tēpus
adeſſe manifeſtæ declinationis, euaneſcentiſque ſebris neceſſe eſt, atque
horam demum inſtare, qua nec primæ viæ infarctæ, nec oppletæ, ſed ab
omni impuritate expeditæ ſint, quod longè ante cibum euenit, tũc enim,
dum tolerantia adſit, tuto remedium diureticũ imperare, & vti, laudabi-
le, ac proficuũ eſt; Et euidēter, & generosè corpus exhaurit ſudatio, quæ
ipſis præſertim febribus, tam continuis, quam intermittentibus, ita ſa-
miliaris eſt, vt quibuſque earundem temporibus, principio nempè, aug-
mento, ſtatu, & decremento, magna vt plurimũ laborantis vtilitate, fo-
ras erumpat, adeo quod non dubitandum quin ea non euacuationi reli-
quarum cauſæ coniunctæ febrium duntaxat ſatisfaciat, ſed & euacuatio-
ni totius coniunctæ, & antecedentis; Namque ſæpe per febrim euenit,
vt caloris efferueſcentis vi, humores alioqui præternaturam in corpore
congeſti, iamque pridē ex parte extenuati, ſeroque ideo exactè permix-
ti, quadantenus ſibi, quaſi è ſuo vasè, exitum procurantes, ad vaporum
inſtar exturgeſcant, atque dum eo impetu patentē non repererint viam,
per quam affatim extra erumpant, fit quodāmodo neceſſariò vt ſuorum
vaſorum poros illi peruadentes, tandē vſque ad ſummā cutim ſufficienter
laxam, atque patentē perducti, vnà cum ſero, quaſi ros, foras erumpant,
& quidem è partibus illis commodius, quæ calidiores, & humidiores,
perindèque laxiores extiterint, vt manifeſtũ eſt; Id autem & primo quo-
que febris inſultu, & toto progreſſu, per omne tempus eiuſdē, vt præmi-
tur, magna ægri vtilitate, obſeruare contingit; Euacuari autem per
ſudorem tunc ſuccos peccantes, ex eo potiſſimum indicatur, quod & ſor-
didus, ac fætidus ſudor exeat, & inſuper ab eo profectus ægro præſto ſit;
Veluti certè frequenter occurrit in intermittentibus, in quibus per acceſ-
ſiones humor vaſe ſuo extra venas conditus, ibidemque ſaltem ſecundum
partes extenuatus exturgeſcens, & inde ad venas impetu ductus, ſucceſſi-
uè vniuerſi poris apertis exiſtentibus, per ſudationem, extra funditur;
Quod & in continuis, per quas humor venis ipſis reſidet, (licet ob vnam
fortaſſe facultatis naturalis, ex inproportione caloris, imbecillitatem, hu-
morisque ineptiem, & ductuum impedimentum, rarius) obſeruatur;
Quamquam etiam interdum, magno febrientis damno, per eadē tempo-
ra, ſudatio noxia obſeruetur, ob eximiam ſanè naturę neceſſitatem, quæ
in malignis febribus ſæpiſſime reperitur, per quam inquam vires ſummo-
perè labefactantur, vt & ob ſimptomatis cuiuſpiam laborioſam afflictio-
nem, tunc, vel aliàs, contingentem, qua præſertim cor, vel os ventricu-
li, vel pars alia cordi maximè conſentiens, ab acri putrido ſucco peſſimè
afficitur, ſpiritus, quaſi in opem abeuntium virium, per quandam veluti
totius compræſſionem, ſe ſe contrahunt, vt meritò indè ſequatur quędā
ſeroſarum partium euidens per cutim expræſſio, eaque penè frigida, vt
puta è partibus extimis corporis calore ferè iam deſtitutis (ea & ſi quoque
calida ob partes tunc minimè adhuc prorſus tales) emananti, quæ virium
in anguſto exiſtentium maximum argumentum eſt; præſertim quod leua-
men nullum, at labor euidens inde ſuccedat; Itaque vt hæc nuſquam
permittenda, ſed ſi fieri poſſibilè eſt, omniquaque reprimenda, interci-
piendaque; ita alia, quæ peccantes humores euacuat, meritò deſideran-

da, procurandaque eſt; Ea verò quamquam in omni febre ex humorum putredine facta, ſemper vtilis ſit, ſi modum non exceſſerit; vtrum nihilominus illa vbique, artis ingenijs, ſalubriter ſolicitanda ſit, habet difficultatem; Etenim licet opus optimum, inſtrumentū tamen, quo illud fiat, quoniam & febri, ac ſimptomati, vt plurimum, non conueniat, iure non niſi præuia diſtinctione, præcautioneque, de proſequendo eo deliberandū; Inſtrumentum quo ſudorē excitamus, & internum, & externū dicitur, illudque multiplex, & porrò non attenuans, detergens vè, & ſubinde aperiens tantum, ſed cum vltrò tum actu, tum virtute neceſſariò calefaciat, & materias penè in vapores conuertat, ſanè conſequenter tum feruorē, ac putredinem augere, tū humorē, euidenti laborantis detrimento, exagitare facillimè poteſt; Atque id quia verum, certumque, ideo vt in febrienti tuto ſudor prouocetur, recognoſcenda inprimis febris eſt, an puta vehemens fuerit, & magna, an contra lenis, & mitis, ſeu placida, an demum inter vtramque media adſit; Quandoquidē prioris ordinis febris ſemper alterantia calorifica renuat, ſolaque propriè frigida expoſcat, qualia minimè ſunt ſudorifica; Sed quæ inferioris ordinis fuerit, vtique ſaltē propter cauſam, ſudorifica indicata nō reſpuit; At quę ſecundi ordis ſunt febres, ob maiorē, minorē vè ſolū cauſæ vrgentiā, iilæ remedium huiuſmodi aptè admittunt; Præterea verò non negligenda annexa febri ſimptomata ſunt, quia puta ea ex eorum genere ſint, quæ cum ex defluxu humorum euenerint, ab humoribus etiam exagitatis deinceps foueri apta ſunt; ſudorifica autem ſemper humores concitant, & fluorem excitare conſueuere; Vltimo recognoſcenda eſt febris cauſa, cuius occaſione potiſſimum ſudorifica adminiſtrantur; Namque vel illa ex prædominio humor eſt ſua natura calidus, & ſiccus, ſubindeque bilioſus, ac exuſtus, & maiori ſaltem ex parte ad motum promptus; vel contrà humor eſt ex prædominio pituitoſus, frigidus ſua natura, & humidus, vtque maiori ex parte craſſus, ita ad motum ineptus; Dum cauſa febris prioris fuerit conditionis, ſine dubio ſudorifica non admittit, quando hæc, & præternaturalem calorem, atque putredinem in ea augere apta ſint; & eandem concitare adeo poſſint, quod ideo febris maior, vehementiorque fiat, & ſimptomata ſæuiora febrim ſubſequantur neceſſario; Dum autem febris cauſa ſecundi ordinis exter, certum eſt, illam appoſita, & accommodata ſudorifica vtiliter admittere; Siquidem nec tunc ex his calor febrilis augeatur, nec minus vltro, quam par ſit, humorum concitatio fiat; Vndè pituitoſis febribus magis, quam bilioſis medicamenta huiuſmodi tuto præſcribuntur; Neque autem quod vniuerſim in febribus putridis vndecunque productis, ſudor apprimè vtilis obſeruetur, ideo in eiſdem omnibus æquè vtilia ſudorem excitantia æſtimanda ſunt, quoniam minimè ſemper imitandum quod per ſe ſpontè natura operatur, ſed quod duntaxat ita à natura fit, vt & artis etiam ingenio, appoſitisque inſtrumentis, aſſequi tuto cōceſſum videatur; multa enim aggreditur per ſe natura, proſequiturque opera, per quæ ægris curandis vtile maximum eſt futurum, quæ nihilominus ne vel minimū ſolerti quamuis adhibita artis prudentia, eatenus aſſequi poſſibile eſt, quatenus ægro ſint profutura; interquæ opera, vna ſudatio eſt, quæ vtique non niſi præcautionibus dictis, & quando ad huc etiam illā ſpontè naturam tentare quadantenus velle, & poſſe conſtet medico, arte procuranda eſt. Cæterum ſic ſe habentibus hiſce, eo ſanè febris tempore indicata ſudatio ex arte ſalubriter excitatur, quo inprimis generoſa, eaque vniuerſim, præceſſerit multitudinis euacuatio,

quare

quare non per febris initia, neque per augmentum illa conueniens eſt, quoniam tuncadhuc vigente copia, atque illa ſudorificis, longè, latèque per vniuerſum corpus diſtributa, infarctis ex cruditatibus vijs, perſpirationeque indè magis impedita, & calor febrilis, cum putredine creſceret, & noua inſimul ſimptomata, magno febrientis damno, aduentarent; Præterea eo itidem tempore excitatur, quo nulla humorum agitatio, vel excandeſcentia ad ſit, vndè minime per ſtatum febris, vbi præternaturalia omnia iam in ſummo conſiſtunt, vtiliter tentatur, quippè aliàs maximè aucto calore, effuſiſque humoribus, ac concitatis, quod non damni expectari poteſt in ægro? Ergo tum omni humorum ſublata copia, tum febrili ſedaro calore, demumque prauis qualitatibus alijs, ſi quæ præſentes aliquando fuerint, omnino repræſſis, quod declinationis manifeſtæ tempore potiſſimũ obſeruatur, tuto, & ſalubriter, ſudores, appoſitis inſtrumentis, excitabuntur; Et inſuper magis, adhibitis illis, die, & hora maioris quietis in ægro, & item tẽpore matutino, quo vaſa omnia exinanita, ieiunaque, & coctio cum digeſtione vbique eſt celebrata, refectæque adeo vires ſunt, quod laborem ferre optimè valeant; Dum adhuc tamen, remoto omni extimæ cutis impedimento, naturam ad moliendos ſudores facilẽ iam, vt dictum eſt, nos eſſe cognouerimus, poſteaquam illa non cooperante, difficilè ſemper opus ſit futurũ; Sed eo quoque ordine à Medico id procurandũ eſt, vt videlicet primũ per vices extenuatio, & deterſio manifeſta præcedat; Dein ſudoris excitatio ſubſequatur; Fit autem hoc, vno eodemque inſtrumento, placidè principio, deinceps valenter adminiſtrato, vt artis eſt. Reſtat ſudationis menſura, quæ proculdubio vna nunquam in febrientibus ſingulis eſt ſalutaris, per ſudationem quoniam euacuatio generoſa adeo ſæpe fiat, quod per eam non parum vires, magno ægri malo, diſſipentur, & cadant; Quare quamquã in ea procuranda, vna relicti humoris copia neceſſario ſit aduertenda, vt porrò illi ſufficienter ſatisfiat, adhuc tamen virium ratio, ſeu tolerantia eſt attendenda, vt ſcilicet illæ ex patrando opere laborẽ appoſitè ferant, & quidem vires dico vitales, & naturales, quoniam animales intercurandum minus æſtimandæ videantur; Itaque dum reliquiarum ſucci peccantis copia multa fuerit, & ſi illi ſudatio ex æquo magna conueniat, viribus attamen imbecillis, & ex longitudine, aut ſæuitie febris infractis exiſtentibus, tanta ea nuſquam tolerabilis eſt; Vnde vel nulla, niſi refectis illis, tentanda tunc ſudatio eſt, vel partitè ſaltem, & per vices procuranda; Atque hic certè modus vt naturæ maximè familiaris eſt, ita eum prudens medicus ſemper obſeruabit, inſtrumentumque adhibèbit idoneũ, quod non violenter agat, ſed pro tolerantia ipſa ſufficienter ſudationi indicatæ ſatisfaciat; Hoc illud autem rarò adamuſſim tantum decerni ex arte poteſt, quamobrem ſatius ſemper erit mitiori, leniori, & placidiori vti, quam potentiori; Vnde ſi etiam nullum tuto præſcribendum videatur, vno tunc victus regimine ſecundum artem inſtituto, reliquum omne quod ſupereſt abſumetur; Et de febrium putridarum curatione hactenus.

Digitized by Google

DE FEBRIS CONSISTENTIS habitualis curatione agitur; quibuſque operibus, & inſtrumentis, illi fiat ſatis, demonſtratur; cæterum in omnibus, qualitas, quantitas, & opportunitas indicatur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

IAM febris, quam habitualem, ac fixam appellabamus, curatio inſtituenda eſt, vt omnium denique generum, ac ſpecierum febris methodica ſanatio habeatur; Porrò vbi febris huiuſmodi iam ſatis ſuperque in ægro præcognita, eiuſdemque origo conſpicua fuerit, ſemper remedijs ex arte præſcriptis quanto citius illa profliganda, quod nunquam ſoli naturæ ea comittenda, ſit, quando præſertim vel ob vnam ipſius rebellem conſiſtentiam vitæ maximum periculum immineat, ex ea quoniam ſenſim quidē, ac penè latenter, atqui perenni, & continuato opere pabulum nutritioni conſecratum abſumatur, vt indè partibus corporis ſimilaribus, ac diſſimilaribus deprauatis, neceſſario vires omnes, vitales, naturales, & animales euidentiſſimè diſſoluantur, ad interitum; Atque id cum ita ſit, iure nos febris huiuſce artificioſam curationē, vel ad ſanitatem adipiſcendam, vel vitam ſaltem longius protrahendam, aggreſſuri, ab eo ſanè exordiemur, quod & benè cepti operis initium eſt, & à quo peragenda reliqua ordine recto pendere certum fuerit; Ergo communiſſimo illo artis axiomate iam conſtituto contraria videlicet contrariorum eſſe remedia, mox febris ipſa recognoſcenda veniet, vt quod illius demolitioni accommodatum, quia nempe, contrarium, ex arte parabile eſt, illud inprimis deligatur; Verum febris hæc quamquam iam facta, habituataque adeo, quod ſe ſe, per ſe, ſuiſque viribus, optimè conſeruet, & foueatur, nec aliundè expetat auxilium; Sæpiſſimè attamen quia cauſam aliquam adhuc habet annexam, putridam puta febrim, per quam vt fortaſſe facta, ita quoque habet fomitem, ac augmentum; Ideo vnà cum febri, recognoſcendum etiam tale eius principium eſt, vt ipſi inſimul proprium remedium præſcribatur; Etenim ex his ſic obſeruatis, quid nam per curationem à Medico faciendum, quibuſque inſtrumentis illud aggrediendū ſit, indicatur; Deinceps verò ex expenſis viribus, & tolerantia ægti, eorundem omnium tum operum, tum inſtrumentorum quantitas, & opportunitas patet; Quod itaque ſpectat ad febrim, ea ſine dubio, vt de cæteris febribus diximus ſemper, calida quædam, & ſicca, tum cordis, tum item totius intemperies eſt, hæc quamquam ex vehementi, aut longo calefacientis, exſiccantiſque opere, ita partibus noſtri corporis ſolidis impræſſa, vt ideo ab illis ipſa difficilè amoueri poſſit; vnde & ſenſim calefaciendo, & exſiccando, vniuerſi adeo ſubſtantiam abſumere apta, quod ad interitum vſque ægrum facilè perducat; Contrarium illi eſt refrigeratio, & humectatio, ea præſertim ratione effecta, qua tum amiſſa temperies indita reſtituatur, tum quoque ſolidarum partium moles iam demolita reficiatur; Id optimè ars præſtat, duplici inſtrumento, nempe recta

victus regiminis inſtitutione, & medicamentorum vſu proportianato, qui in certa qualitate, quantitate, & opportunitate conſiſtit; Ita vt in ſingulis his, & qualitas, & quantitas, & opportunitas deſiderata neceſſariò præueſtiganda; Sed de victus regimine priori loco dicendum, cum hoc ipſo inprimis, cooperante natura, habeamus quod cupimus; Triplici autem rerum ordine illud totum comprehenſum alibi nos latius demonſtrauimus, tum videlicet ijs, quæ aſſumuntur, tum ijs quæ ambiunt nos, tū demum ijs, quæ ab interno motu fiunt; Aſſumuntur cibus, atque potus, quibus pabulum nutritioni miniſtratur, & corpus vniuerſum validè immutatur; Ambit præcęteris aer, qui circompoſitus, inſpiratusque, per impræſſas illi qualitates totum multifariam alterat; Ab internis præterea multimodis mouetur homo, mente ſcilicet, & corpore, atque ex impetu motus non leuiter æger afficitur; Hæc itaque omnia talia eſſe debere, qualia & refrigerare quidē, & humectare, vt in curādis febribus reliquis, eſt operæ pretium; attamen in febri huiuſgeneris humectare magis illa oportet, cum ſiccitas præcipuè ſit, quæ vrget, non vt ſimplex ſolum qualitas, ſed vt ſubſtantiæ molem diſſipatam habet annexam, quapropter interrefrigerandum, & humectare, & inſimul deperditam ſolidarum partium ſubſtantiam reparare maximè neceſſarium eſt; Quis verò inprimis paſtus ex cibo, atque potu ſit, qui his præditus viribus operi indicato fuerit appoſitè ſatisfacturus, vtique notū ſatis apertumque eſt, quippè nuſquam ægrotanti alius ab eo conueniat, quem eidē aliàs ſano exiſtenti ex vſu conuenire obſeruatum eſt; Et quamquam multiplex ille, ac varius ſanum benè ſemper nutriens eſſe poteſt, quod tamen febrienti refrigerātia, & humectantia debeantur, æquidem febri huiuſmodi laboranti magis, ex quo ille non calefactum ſolum, ſed & exſiccatum, diſſolutumque valdè habet corpus, vtique tum refrigerans paſtus, tum maximè humectans illi conueniens eſt; Sed qui boni ſucci ſit, puriorisque ſubſtantiæ, vt tamen facilè, ita vbique à natura concoquatur, & immutetur, vt breui ſpatio temporis in nutriti ſubſtamtiam conuertatur; Quamobrem etiā parandus ille per artem eſt, quo facilitatem hanc meliorem adipiſcatur, perindèque ab ægro apetatur auidius, retineaturque, vt ex eo demū generosè deperditum reſtituatur; Sed & ſi actu, & poteſtate humidum eſſe neceſsè eſt, poteſtate tamen duntaxat eſſe frigidum ſufficit, actualis ſiquidē humiditas, non coctioni ſolum, ſed & digeſtioni, ſeu diſtributioni apprimè conueniat, cum per hanc paſtus aſſumptus promptius conficiatur, dein ad partes ſinglas facilius perueniat, haſceque non madefaciat tantum, ſed & aſſimilatione reſtauret, prohibeatque ne vltro nimium abſumantur; frigiditas autem contrà, & huic, & coctioni plurimum aduerſa ſit; Atqui id de cibo dictum ſit, quoniam potus, ad apetitum excitandum, moderatè frigidus actu, iuxta ventriculi robur, deſideratur; & porrò talis eſt qualitas paſtus, quæ intercurandam habitualem febrem ex arte indicatur. Sequitur quantitas, quæ medico ſemper, & in hac præſertim febri negotium faceſſit; etenim illa cum nutritionis ſufficientis cauſa vbique decernenda ſit, vt nec interea cruditatibus ſuggerat pabulum, vtique ea pro virium tolerantia æſtimanda eſt; Virium dico, & totius, & partim, præſertimque ventriculi, hepatis, reliquarunque partium naturalium nutritioni inſeruientium, in quibus ſi facultatis nutritiuæ opus deficiens fuerit, nulli dubium quod paſtus requiſiti menſura minor exhibenda eſt, contra vbi conſiſtens, & valens videatur; Sed de hoc quoniam alibi ſatis dictum, nunc illud ſolum vniuerſim annotabimus;

Tantum

Digitized by Google

Tantum videlicet paſtum huic febrienti parandum, quantus partibus ipſis ſaltem naturalibus conueniat; quonam non ex quo multum ſubſtantiæ vniuerſim abſumptum fuerit, propterea que multa paſtus quantitas, ad ad illius reparationem, requiratur, ideo tota ea iure adminiſtranda eſt, eo quia corpora multum extenuata, non niſi lentè reficiantur, neque autem reficit, quod ſumitur, ſed quod concoquitur, & aſſimilatur, concoqui autem primum debet à partibus naturarili facultati inſeruientibus extenuatis, quæ ob imbecillitatem operi valido minimè ſufficiunt; Ergo tunc vt nullus ex paſtu labor, vel detrimentum ægro contingat, (contingit enim interdum multiplex, illudque ſæuum, à quo vno etiam mors præſto eſſe poteſt) paulatim ille, ſeu per vices, neque totus ſimul, ſed quotidie iterum, & tertio, exhibendus eſt, vt inquam ille iam coctus, diſtributuſque ſit, cum alter ſumendus erit. Vltimo attendenda eſt etiam cibandi opportunitas, vt inquam natura per eam commodius nutritioni incumbat; Eſt autem hæc (niſi quid forſam impedimento ſit) eadem prorſus cum illa, quæ per ſanitatem eſſe conſueuit, & ſi non raro, ob partitam indicatam cibationem, & aliam, atque aliam eam deligere neceſsè ſit, quæ nempè egrotanti propitia videatur, & ſit. Poſt aſſumpta veniunt ambientia, inter quæ primas tenet aer, cui præceteris in hac febri attendendũ eſt; Etenim ille tẽperatus quidẽ quaſi propitius ſemper expetitur, attamen qui ad frigidum magis, quã ad calidũ, ad humidum item magis, quam ad ſiccum vergat; Vnde benè ſemper agitur cum ægro, dum ille ſpontè talis ſit, quoniam ſi ſecus, tum ſcilicet calidior, tum ſiccior fuerit, ex arte ille, vt alibi, cum febrium putridarum curatio tractabatur, dictum eſt, emendandus eſt, tum alterantium frigidorum, humidorumque vſu recto, tum loci mutatione, ſi ea per virium tolerantiam ſit conceſſa; quando certè aer. & extrinſecus contactu ſuo, & intrinſecus inſpiratu, ſibi inditis qualitatibus, euidenter, & valdè, corpus immutet, exſiccat enim, calefacitque, ſi calidus, ſiccuſque ſit, contra refrigerat, humectatque ſi frigidus, humiduſque extet. Nec vtimo negligenda ſunt ea, quæ ab intrinſeco in nobis met fiunt, vt tum corporeus motus, aut quies eſt, tum mentis, per affectus illius varios, agitatio, tum denique ſomnus, aut vigilia, vnde modo quouis nos exercemur, aut quieſcimus: Etenim vel ſolis rectè moderatis, plerumque ſaneſcit æger, propterea que modus illis, intercurandam febrim huiuſmodi, ſi vel vnquam, imponeudus eſt; Itaque primum omnis nlmius animi affectus euitandus eſt, cum eo ſolo facilimè ſpiritus diſſipentur, ſubſtantia totius exſiccetur, & omnibus malis ſemper fomes exiſtat; Dein corporis exercitatio calorem auget, & exſiccat, vnde reſoluit, ac diſſipat etiam partes ſolidas, ſi modum exceſſerit; Quies contrà, eaque longior, ſi tamen tranquilla, humectationi & refrigerio fauet. In huiuſcemodi ergo febre, hæc non ille laudabilior eſt, quamquam vel motus ſpontaneus (ſi permittatur) lenis, vel ſaltem frictio blanda digeſtioni paſtus citra laborem fauens laudabilis eſt; Adhibenda quoque moderatio eſt in ſomno, atque viglia, vnde quoniam vigilia, ſi vltro quam par fuerit, longior, vim exſiccandi, calefaciendique habet, merito præſtat diuturniori ſomno vti, vt æger commodius ſic humectetur, & conſequenter etiam refrigeretur, vt vel vberius reficiatur, vel minus ſaltem reſoluatur. Expoſita victus ratione, deueniendum ad medicamenta, quæ quamuis ad abolendam febrim eo ſpectent omnia, vt corpus vniuerſum refrigerent, & humectent, illud nihilominus ad huc in ipſis deſiderandũ ſemper, vt inquam nutritioni quomodolibet faueant,

vel

Digitized by Google

vel puta deperditi, & diſſipati reſtitutione, vel partium ſolidarum vniuerſi habitus iam inchoatæ, & vltro nimis progredientis reſolutionis, interceptione, ac retardatione; Quapropter cum medicamenta hæc, alia ſint externa, & interna alia, vt quæ ſaltem interna ſunt, id ipſum omniquaque præſtent diligenter procurandum, externa quippe, ſat videatur, ſi id ex parte duntaxat perſoluant, veluti ſi humectando refrigerent, atque ita febrilis caloris, & ſiccitatis augmentum quadantenus intercipiant; Interna ergo talia, vt dictum, cum fuerint, parum ſanè ab alimentis ea diſtare oportere certum eſt, vndè alimentoſa erunt medicamenta, quæ puta liquida, fluidaque forma donata, & ideo facilè vias corporis vniuerſi permeantia, ſubindeque partibus ſolidis quibusque aptè hærentia, præſtantioris ſucci cum ſint, nutrientis facultatis vi, in ipſarum ſubſtantiam breui permutabuntur; Inſuper & tum refrigeranti, tum humectāti qualitate, qua pollent ſufficienter alterabunt, & porrò humoris ſuggeſtione magis, quam refrigerio; Vnde quod & actu & virtute id (quod nempè humectent) hæc ipſa medicamenta, alimentorum more inprimis præſtent, procurandum diligenter, quod per ea valentius, ac promptius finis intentus aſſequatur; ad hoc autem quod deinceps quoque aptè refrigerent, vna virtualis refrigerandi poteſtas ſufficiens eſt, poſteaquā actualis altera valdè ſuſpecta videatur, & ſit; Vrget autem maximè, poſt qualitatem, ipſa horum medicamentorum quantitas, quia ſanè vltro quam per eſt ea exundans, ægro noxam peſſimam euidentiſſimè infert; Etenim primum verum eſt, quod in magna eaque conſpicua ſubſtantiæ totius ſiccitate, magna etiā remediorum quomodolibet humectantium copia deſideretur, & indicetur, verum tamen dum ea non toleretur à viribus, vtique non adhibenda; Namque etiam ſi talia id præſtatura proponantur medicamenta, quæ vaſis recepta, vt inde ad partes quaſcunque permeent facillimè, nec niſi parum loca, quæ attingunt, afficiant, nihilominus ſæpe in extenuato, languentique corpore, quale febri hac laborantis, vt plurimum, eſt, ventriculus præcæteris naturalibus partibus, imbecillus valdè nimia remediorum humiditate, ita laxatur, eneruaturque, vt nec bene retineat, nec ſufficienter concoquat, ſed crudorū fluoris peſſimè labefactantis anſam præbeat non leuem, per quem inquā longè minus nutritum corpus neceſſariò exſiccatur, & contabeſcit. Ad hæc itidem ſecundo veriſſimum eſt, quod ad caliditatem iampridem partibus ſolidis nimis impræſſam abolendam, potenter refrigerantia, & extenſiuè, & intenſiuè, deſiderantur; attamen cum hæc tanta minimè tolerentur, iure etiam minimè adminiſtranda ſunt, porrò cum per febrim hanc corpus exangue ſit, & extenuatum, immineatque ideo illi periculum extinctionis caloris innati, vel in eo inquam toto, vel in parte totius, vt notum eſt, quamobrem à vehementer refrigerantibus, aut illis item diutius nimis adminiſtratis, abſtinendū, poſteaquam non niſi prudenter illis vti conceſſum videatur; videaturque potius laude dignum intra mediocritatem conſiſtere, quam limites mediocritatis aliquando exceſſiſſe, pro ventriculi præſertim viribus, quarum in febri huiuſmodi magna ſemper habenda cuſtodia eſt. De opportunitate vſus horum internorum refrigerantium, humectantiumque remediorum, dicendum ſolum reſtat, ea ſemper ieiuno ſtomaco, longè à paſtu, quam ſecus, fore vtiliora; Siquidem quamuis illa maximè cum paſtu conueniant, quoniam tamen forma ad penetrandum paratiori, & ad potus inſtar, liquida nempè, fluida vè, donantur, iurè ne maſſam paſtus in ventriculo fluctantem, perindèque

coctioni

coctioni minus aptam reddant, longè ideo à paſtu, & ieiuno ventriculo adminiſtrabuntur, cũ adhuc ea per ſe ſola citiſſimè permeantia ſint; ſalubrioraque, & promptius finem aſſequutura videantur, poterunt eadem etiam die repeti, ſi forſam neceſſitas vrgeat, ſed quando, prudentiæ hoc medici eſt relinquendum. Remedia mox ſequuntur, quæ extrinſecus in febri hac, ad refrigerandũ, humectãdũque, ex arte cõueniunt, horũque etiã qualitas, quantitas, & opportunitas expendenda eſt; Siquidẽ vt inſtituto operi appoſitè ſeruiant, & actu, & virtute humida eſſe neceſſe eſt, frigida verò ſat ſi virtute, quando ea potius actu tepida eſſe operæpretiũ videatur, etenim illa ad inſtar balnei adminiſtranda ſunt, vt tamen non inflãment, nec ſiccent, vel qualitate aliqua ſibi impræſſa ſubaſtringant, ſed vt poros omnes ſuo tempore relaxando, aperiendoque potius, eoſdẽ actuali fluida humiditate permeent, & repleant, atque ita infarctu ſuo primum humectent, ſucceſſiuè dein virtuali, (actuale enim contrarium præſtat) ſibi indito refrigerio, calorem præternaturam ſolidis partibus impræſſam contemperent, neque enim via, modo vè alio, extrinſecus medicamentis adhibitis, habitus corporis humectatur, refrigeratur vè, veluti & generatim corpori eidẽ toto, & ſpeciatim ſingulis partibus, pro vrgenti neceſſitate, prudenter procurandum; Quamquam præterea ſemper oleaginco, attamen frigido humore aliquo, inungendum, & vniuerſim quadantenus, ſeu leuiter extrinſecus obſtruendum, quod balneo, iam madefactum eſt, nè ſanè qui humor poris illius eſt imbibitus, ille iterum refluat, foraſque ad vaporum inſtar totus de nouo erumpat, nec pro voto intro perſiſtens refrigeret. Cæterum modus certus, determinataque menſura, hiſce medicamentis imponenda, ne ſcilicet lædant, ſed iuuent; Quoniam balneum, quod vel duratione, vel repetitione, nimiũ ſit, nimis etiam laxat, ſoluit, ac diſſipat vires, vt ſubindè æger iam præter modum afflictus, vltro deterius affligatur; Quamobrem quod laudabile remedium externum præſcriptum fuerit, puta balnem, vtique repetẽdum quidem, attamen non diutius eo vtendum, niſi per euidentem viriũ tolerantiam; Præterea verò idem ea prudentia adminiſtrandum, q[illegible] æger ipſe ita leniter tractetur, vt nullus illi labor adueniat, præſertim dũ è lecto ſurgit, & ipſum ingreditur, aut ab eo exiens lecto ſe ſe accommodat, quo ſanè tempore à multis quidem, ſed à ſudore præcæteris cauendũ eſt, ne videlicet ille quomodolibet excitetur, vnde inunctionibus, & frigidiori ambienti potius arcendus ille, vt imbibitæ humiditatis effluuium omne è poris euitetur, vt dictum eſt; Fotus autem partibus ſpeciatim nimis fortè inflammatis, adhibitus, dum mediocris etiam ſit, nullatenus lædere aptus eſt, proptereaque tutior vſus illius æſtimatur, & ſanè magis cum ille ad roborandum inſimul partes adminiſtretur; Sequitur opportunitas, quæ etiam in recto horum remediorum vſu ſummè deſideratur, quæ equidem quamquam perpetuò indicatur, appoſitior nihilominus ea, poſt paſtum in ventriculo coctum, etiam diſtributum, cenſenda eſt, hora nempe ante cenam conuenienti; Eo quandoquidem tempore adhibitum balneũ, præterquam quod à viribus valentius toleretur, nutritioni etiam generoſius adiumento eſt, laxatis quippe tunc vijs, commodius ad partes ſingulas paſtus ipſe perueniat, & illius aſſimilatio valentius, aucto innato calore, per ſequentem noctis quietem, perficiatur; Et ſi ſemper vbi pars aliqua, & præſertim ventriculus, roboranti egeat medicamento (hoc enim ſæpiſſimè contingit) eo tunc primum, ante balneũ vti neceſſarum videatur; Atque ita febris habitualis, ſeu fixa, rationabili

bili hac arte ſemper curabitur, dum illa tamen iam licet facta, & impreſſa, ſola nihilominus ægrum afflixerit; quandoquidem ſępiſſimè ea morbum alium habeat annexum, à quo nempe orta, vlterius quoque fouetur, & viget; habet autem potiſſimum febrim, quæ putrida eſt cuius inquam vel vehementia, partibus ſolidis febrilis feruor imprimitur, vel irẽ malitia, partium earundem ſubſtantia nimium exſiccatur, vel demum duratione, per quam & caliditas, & ſiccitas altè figitur; Quarè ſpeciatim febris huiuſce putridæ cum fixa, ſeu habituali annexæ diligens habenda ratio eſt; Eaque perindæ arte inſtituenda curatio tunc, vt dum vni medicamentis occurrimus, alteri minimè faueamus, & ſimul, atque ſemel vtrique medicinam appoſitam, ad meliorẽ ægrotantis ſalutem aſſequendam, citra noxam præbeamus. Itaque quamquam verum, quod frigida, & humida, in febribus omnibus ritè ſemper adhibeantur, vt puta illis è directò contraria, præſertimque febri huic fixæ ſeu habituali; Intrinſecus tamen multa ex his illi tunc minimè conueniunt, eidem licet valdè propitia viderentur, quia in putrida febri quauis curanda ea ipſa euitare neceſſe eſt & porrò ex eo quod facilè corrumpantur, afficianturque putredine peſſima, per quam febris eadem, malo ægrotantis maximo, foueretur, & creſceret; hec illa igitur, vbi connexio febrium huiuſmodi ad ſit, iure ex arte euitabuntur, vel inquam medicamenta, vel alimenta fuerint; Extrinſecus itidem huic eidem fixæ febri aliqua appoſitè adminiſtrantur, vt balneum, quod præſente febri, quæ putrida eſt, valdè nimis ſuſpectum; vt puta quod vel congeſtos tunc alicubi vaſorum peccantes ſuccos facilè diſſoluens, & fluidos, reddens, ex indè bono ſagüini illos omniquaque permiſceat, euidenti deterioris putredinis, ac febris pernitioſioris euentu; vel quod fortaſſe etiam, cum tunc pars aliqua præceteris langueat, eliquatos, & fluidos ſuccos in eam impetuferat, ibique malum aliquod graue, in certam ægrotantis pernitiem pariat, vel quod demum obſtructiones augere, facto quodam veluti humorum infarctu, ſubindeque febrim validiorem efficere aptum natum eſt, quamobrem illud tunc de neceſſitate abhorrendum; quamquam interdum illud etiam permittitur, cum videlicet nec febris putrida ingens ſit, nec prauorũ humorum copia multa ad ſit, quia in leni putrida, & peccantium humorum paucitate, balneum omni ſuſpitione careat, profuturumque potius videatur, tum primum ipſi feruori fixo reprimendo, & ſiccitati ſupramodum vrgenti abolendæ; tum ſecundo obſtructionibus aperiendis, & humoribus demum infarctis demoliendis, depopulandiſque; & ſi prudenter opus aggrediendum ſemper ſit, tandiuque proſequendum, quandiu indicatio ipſa præſtantior queſierit, & virium tolerantia præſens, atque futura permittet. Verum hiſce quamquam ſic ſe habentibus, intrinſecus nihilominus in febri fixa, quæ putridæ adhuc permiſceatur, frigida, & humida, tum alimenta, tum medicamenta preſcribi optimè poſſunt plurima, quibus illa ſimul cum putrida ad votum propulſetur. Præterea verò licet putrida febris ſemper, & vbique, præparantia, & euacuantia multis generis expetat; quibus nempe humor à quo fit, commodius euincatur, & expellatur, attamen ob fixam annexam, à qua poſt calorem, & ſiccitatem excellentem nimis, vna itidem virium imbecillitas prouenit, certè tunc nec validis præparantibus, nec minus etiam vacuantibus potentibus vti eſt conceſſum; Sed vbi copia ſuccorum peccantium vrgeat, per quam febris perſeueret, à qua dein fixa ipſa augeri valeat, vtique per id temporis aliqua tum præparantia, tum vacuantia leuia, citraque la-

 borem,

borem, & validam calefactionem, & exſiccationem, prudenti conſilio, adminiſtrabuntur, raro tamen, & per interualla, quibus vires bellè refectæ opus patrandum benè ſuſtineant. Et de febrium primogeniarum curatione hactenus.

DE FEBRIVM EARVM curatione eſt ſermo quæ alios conſequuntur præternaturales affectus, & accidentales nuncupantur, atque quæ arte illis ſpeciatim ſit occurrendum, declaratur.

CAPVT DECIMVM. QVINTVM.

FEBRIVM quidem primogeniarum, earum nempè, quæ ex propria cauſa fiunt, curatio hucuſque, & ſi generatim, adeo tamen ſufficienter tradita eſt, quod aptè inde, & rectè, febris cuiuſque ſua ſpeciatim inſtitui, & proſequi ad ſanitatem valeat; Quod verò inſuper febres ſæpiſſimè præſto ſint aliæ, tū præterfluentium, tum conſiſtentium putridarum, ac fixarum imaginem, ſiue naturam præſeferentes, quæ ad inſtar ſimptomatum morbos non paucos conſequuntur, quarum perindè curatio, vnà cum morbi curatione conceſſa eſt; Sanè de his etiam, ſaltem compendioſè, & vniuerſim tractandum eſt, vt porrò item pateat, qua methodo in his curatio ſit præſcribenda; Ita enim febrium omnium curandarum tractatio abſoluta cenſebitur. Principio autem cognito iam morbo ægrum labefactanti, à quo febris ſuſpicatur, vel ſenſu quidem ipſo, vel ex effectis ſaltem, ſi ex cauſis non pateat, an ne poſtmodum ille febris vera cauſa ſit, præueſtigandum; & inſuper quatenus ipſius ſit cauſa expendendum. Eſſe morbum febris cauſam, ex morbi tum ſpecie, tum ex afficiendi modo ſibi proprio, conijci rectè poteſt, quando morbus ille duntaxat febrim inferre aptus ſit, qui & calorem in nobis præter naturam, per ſe, vel per accidens, auget, & inflammationem, demum cordi aliquando communicat, non omnis autē morbus, humano corpori, partibus vè eius aduenïens, flammam quomodolibet habet annexam, neque eam ſimiliter ſemper cordi impertit. Diximus verò aliàs calorem febrilem, ſeu febrim, in nobis multifariam excitari, potiſſimum verò, vel ex calidorum directo, aut indirecto contactu, vel ex prohibito tranſpiratu, vel denique ex accenſa putredine; Quilibet ergo morbus, qui aut ex ſe calidus, aut per obſtructionem talis factus videatur, aut putredinem tandem habet annexam, per ſe, ſuaque conditione, febrim in nbis excitare facilè poterit, dum attamen ille tantus fuerit, quantus ſuis viribus, vijs promptis, cordi calorem præternaturalem impertiat, poſteaquam nullibi febris adſit, niſi corde iam inflammato; Sed profectò longum eſſet nimis, hic ſpeciatim docere morbos, aut internos, aut externos, qui altero trium modorum febrim ægro inferre conſueuere; Sat erit ſi horum notitia cupidus omnia quamprimum repertat, & expendat, quæ in methodo, tum de ſpeciei morbi, tum cauſæ

illius,

illius, tum partis affectæ externæ, vel internæ, cognitione, latius explicata fuere, quod ex his euidenter colligatur, an morbus de eorum genere fuerit, qui ſuo afficiendi modo, febrim inferre aptus ſit; An autem febris re vera ex huiuſmodi morbo fiat, vel primogenia potius cenſeri debeat, ſemper experto ſuis notis elucet, nam vt effectus cauſam ſuam præſentem ſequutus, eius impetum plenè ſecundat, ita febris conſequens morbum, & morbi, & cauſæ eius, motum, ſeu mores neceſſariò imitabitur; morbus autem cordi inflãmationẽ cõmunicans, ideoque auctor febris, pro ipſius met ſæuitie, pro humoris motu, pro partis affectæ conſenſu, & denique pro modo, quo conſenſus ipſe fit, cor inflãmat, & febrim excitat. Quare ſi iam morbus præſens obſeruetur, qui febrim producere aptus videatur; Si dein febris ipſa varia, & inconſtans, quoniam & modus ſuæ productionis ab origine varius obſeruetur, vndè nempè illa, & per quem, licet ab vno, eodemque morbo producta, modo tamen præterfluenti ſimilis, modo conſiſtenti, & modo demum habituali febri ſimilis ſit, proculdubio ea non primigenia, ſed morbum conſequens, & quaſi ſimptoma æſtimanda erit; quod ſanè difficile euenit primigeniæ, à propria ſcilicet cauſa oriundæ, quæ proprio ſe habendi modo conſtans perpetuò, & vniformis eſt, nec vllo pacto, quo ad ſui formam, vaga apparet; Atque ipſa re tota ſic plenè iam cognita, ex arte curatio aggredietur, præuiſis inquam ſemper indicationibus illis, quibus & regiminis victus, & remediorum, tum qualitas, tum quantitas, tum demum opportunitas habeatur; Hæ verò primum ex morbo, & his quæ ad morbum pertinent, vndè febris oritur, deſumendæ ſunt; Cæterum quæ febris præſens fuerit minimè negliegenda, cum eius ſaltem quomodolibet tentata repræſſio, ad curationem morbi, tandemque ſui, conferre plurimũ videatur; Igitur morbus febris origo, quoniam penè ſemper ab humorũ vitio factus cenſeatur, & quidem vel congeſtione, vel affluxu eorum, (neque enim modo alio hi partem corporis determinatã occupant, vt affitiant, & febrim procreent) ideo vtrouis horum modorum morbus ab humoribus fiat, iuxta præcepta in methodo tradita, principio exquiretur; Dein quippè qua arte illi ad perfectam ſanitatem vſque, remedijs, per virium tolerantiam, occurrere operæpretium fuerit, planum erit; Sed quod tam hoc, quam illo vigente modo, habenda primum ſit ratio humorum cauſæ antecedentis habentium vim, ne coniuncta ex his vltrò augeatur, & conſequenter morbus, propterea ex quo antecedens cauſa, vel vrget in toto, vnde ad partẽ affectam illa perducitur, vel in parte ſaltem aliqua reſidet, ex qua decumbit in aliam, meritò præ cæteris procurandum, vt debitus ipſe, ſiue perductio, quomodolibet intercipiatur, vt ſanè poſtmodũ demolientibus, ac omniquaque diſſipantibus remedijs, coniunctam cauſam parti hærentem, morbumque proximè facientẽ aggredi, & funditus tollere, ad ſanitatẽ vſque poſſimus; Interceptio autem hæc multis modis celebratur; Tum ſcilicet occaſione ſublata, per quam coniuncta cauſa ex antecedenti, in certa corporis parte creſcere apta eſt; Tum reuulſione non ſemel facta, per quam antecedens cauſa decumbens in coniunctam, ab ea retrahitur; Tum demũ ſedatione impetus cuiuſuis, per quem actu decubitus celebratur; Quandoquidẽ certum ſit humores in corpore nuſquam huc, illuc vè perduci, niſi alicundè habeant impetũ; Vndè cum vel à toto ad partẽ, vel à parte ad partem, aliquando, vt dicitur, perperã traducantur, ibique morbũ, & congeſtione, & fluxione efficiant, vt dictum fuit; vtique id non niſi vitio, aut recipientis, aut mandantis,

Digitized by Google

dantis, aut vna tandem humoris malitia factum veriſſimilè eſt, quod latius in methodo expræſſum; Propterea ergo à quouis traductio, ſeu manuductio hæc humorum ducat originē, illud quanto citius per initia prudenter abolendum eſt, ne dum fortaſsè eo longius perſiſtente, cauſa coniuncta, & itē morbus, vnde febris, maior, & deterior fiat. Itaque ſtatim ac præuius morbus, affectaque pars agnita fuerit, huic pridem vrgenti ſcopo, appoſitis ingenijs, delectuque remediorum, obuiam eundum, obſeruata nempè in his tum qualitate, tum quantitate, tum denique opportunitate ad aſſequendum intentum deſiderata; Quoniam verò hic ille & varius, & multifariam conſequatur, ob quem idcirco multiplex remediorum congeries ex arte adhibenda; Idcirco dum generatim hic ſcribere propoſuerimus, non eſt quod plura nunc de his recenſeamus, cum ſat in methodo præcepta huic negotio commoda explicauerimus; Solum cōmemorandum quod in præſentia præcæteris obſeruare maximoperè decet, videlicet poſt regimen victus appoſitè inſtitutum, quo omnis exceſſus humorum maior intercipiatur; Totum præterea corpus quam citiſſimè per initia pro virium robore euacuandum, deonerandumque eſſe, vt conſequenter reuulſio neceſſaria fiat, ſedeturque impetus, ſi quis fuerit, per quem manuductio humorum ſtat; Etenim toto prudenter euacuato, difficilè humorum tranſmigratio ab auara natura permittitur, quia ſuis quibuſque ſedibus potius ab ea hi, nutritionis deſideratæ occaſione, detineantur, ac coaceruentur; quamquam vt habenda eſt ſemper ratio totius, & partium, ita interuacuandum attendenda ſemper reuulſio, eſt, quæ fit tantūmodo per partem morbo oppoſitam; quarè rectitudo hæc ex aduerſo parti affectę prudenter deligenda, vt indè commodè in contrariū trahatur, quod tunc temporis aliò perperā tendere euidens eſt: Quatenus autē delectus habeatur, in methodo ſatis indicatum eſt. Verum tamen hic animaduertendum, quod aliàs forſam difficultatē huic proſequēdo operi facturum videretur, an porrò pharmacia, an phlebotomia magis, alijs vè ingenijs ad vniuerſum tunc generosè vacuandum, expediat vti; Etenim ex eo quod pharmacum agitat, & phlebotomia, vt plurimū, omnem impetum ſedat, iure ſtatuendum eſt hic, in morbo ex fluxione producto, phlebotomiam vtiliorē, tutiorēque futuram; at in morbo ex congeſtione effecto, tum phlebotomia, tum pharmacia, pro viribus tamen, vti licere; quamquam non propterea in fluxionibus pharmacum omne ſemper abhortendum, quando id quod leue eſt, benignèque purgat, in fluxionibus etiam aliquando, minimè noxium cenſeatur; dum illud tamen omni ſtudio, ac ope nitamur in aduerſum affectæ parti gerere ſe ſe; alia autē euacuantia totius corporis ingenia, tunc, ob ea quæ in methodo diximus, prætermittenda; Et hac etenim totius euacuatione iam facta, ita ſanè traductio antecedentis cauſæ in coniunctam intercipitur, vt difficilè aliud reſtet, à quo illa perſeueret; Quod ſi nihilominus decubitus ipſe vrgeat, non defutura remedia ſunt, iterūm atque iterum reuelentia, & in contrarium generosè trahentia, non euacuatione ſolum, ſed ob virium imbecillitatē, citra hanc; Et deinceps quoque non defutura alia, quæ occaſionē quamuis (ſiue ea ex parte mandanti, ſiue recipienti, ſiue ex humorum vitio ſit) omninò tollere, intercipereque optimè poterunt, de his autē latius in methodo dictum. Cæterum his omnibus, per morbi initia, dum iam fluor, vel congeſtio lædit, ex arte præſcriptis, adminiſtratisque, vt inquam ſubſequenter indicationibus; occaſione antecedentis cauſæ, vrgentibus omnibus ritè ſatisfactum videatur, reliquum

eſt,

eſt, vt cauſæ morbi coniunctæ abolendæ totis viribus incumbamus; Et quamquã interdum ſolis conſtantibus viribus, id ſpontè celebratum liceat obſeruare, quia putà vel ſenſibiliter, per expulſionẽ, vel inſenſibiliter per reſolutionem, aut demum per ſuppurationẽ, ex degeneratione videlicet facta in abſceſſum, vt in methodo dictum eſt, quod humoris cumulatum eſt, ac morbũ facit, id citra artem, ſolis ſeruatis, per regimen victus, viribus, ſpontè depopulatur; vt plurimum nihilominus quod idẽ humoris non niſi beneficio artis euaneſcat, operæ pretium ideo eſt, vt artis eiuſdem præceptis, innixi depopulationis illius operam demus; Vnde quod ars naturam quam maximè immitetur; idcirco dato humorem proximè efficientem morbũ, corporis parte ita detentum, vt ab ea, per euidentẽ, & conſpicuam vacuationem, vijs nempe patentibus, ritè depelli ſoleat; ob ſopitã attamen quaſi naturæ vim, ſuo loco ſtare, nec inde moueri, intereaque morbum fouere, & febrim, proculdubio detergentibus, attenuantibus, aut aliàs apparantibus præmiſſis ingenijs, ſucceſſiuè vim expellentem irritantibus alijs, deturbare, indeque foras ducere cum neceſsè eſt; ſic etenim morbus ipſe deſinet, nec febris vltro moleſta fiet. Qualia verò ſint ea, ſatis in methodo demonſtratum. Sed hæc omnia qualiacunque ſint, quantitate ſemper certa præſcribenda ex arte ſunt, quæ vtique quantitas tum ex neceſſitate operis, tum ex tolerantia partis elicitur, verum quæ nam particulatim neceſſitati reſpondeat, ſeruatis præceptis vniuerſalibus ſolus expertus intelliget, & ijs finem intentum attinget. Si præſertim adhuc opportunè omnia miniſtrauerit, ordine porrò debito ſemper diſpoſita. Et quamuis omni morbi tempore parata ita adeſſe poſſint omnia, vt euacuationi cuipiam rectè ſufficiant, præparatio nihilominus melior, & euidentior, per declinationem, ſemper eſt, atque tunc potiſſimum temporis euacuatio huiuſmodi irritantibus medicamentis celebrata tutior cenſetur; Quod autem modus hic cauſæ coniunctę abolendę rarò pemittitur, quia frequentius illa habitu partis contineatur, raroque ideo ſedem occupet vijs patentibus præditam, quibus generosè ipſa, nempè humor, expurgetur, extirpeturque, ſed ſubſtantiæ poris potius incluſa anguſtiſſimis, non niſi ſenſim diſſipanda ſit, ideoque tunc inſenſibilem ſolam eius extirpatiõnẽ, nec aliam tentare oporteat, adhibitis inquam humorẽ extenuantibus, & vel in halitum reſoluẽtibus, vel alias per vicinia digerentibus, diſtribuentibuſque, quia ſcilicet nunquam modo alio tunc humor morbum efficiens deſtrui valeat; Niſi ille quoniam fortaſſe multus, craſſuſque, & ideo virtuti rebellis exiſtens, per ſuppurationẽ abſceſſus, terminum habeat, quod vtique quamquam minimè diſiderabile, ne tamen vel ſuppuratio praua putredine afficiatur, ſummèque lędat, vel ex ea ſaltem vlcus peſſimum fiat, meritò ſuppuratio ipſa, quam dolor, tenſio, pulſatioque futuram arguunt, remedijs eam adiuuantibus, per rectam naturę regulam, ſolicitanda eſt, & inſuper quanto citius ex arte, aperto, ex purgatoque abſceſſu, vlcus accuratè ſanandũ; Verũ quod omnia hæc parti cuique corporis, vel ob ſitum, vel ob vnã præſtante cõditionẽ eius, ac tolerantiã debilẽ, minimè ſunt cõmoda, ſiue putà ea reſoluentia inſenſibiliter, ſiue digerentia, alterius vè generis ſint medicamenta, ſanè propterea prudenter, poſt conſpectã operis neceſſitatẽ, ipſe remediorũ delectus, iuſta partis conſtitutionẽ, habendus eſt; Veluti dum pars ipſa afflicta lateat, ea enim tunc, qualiſcunque fuerit, vt illuc videlicet ars, ſuis ingenijs, minimè petueniat, vno duntaxat victus regimine extenuanti, at viribus congruo, ſolicitandam humoris in

ipſa

ipſa infarcti deſtructionē oſtendit ; Dum autem in conſpicuo pars collòcetur, ea verò ob præſtantiā delicata, ac debilis cenſeatur, vtique non niſi digerentibus exercenda eſt ; At cum ea validior, & ex ignobilioribus, atque à nobilibus ſaris longinqua, vel illis parum, aut nihil conſentiens ſit, cum ipſi reſoluentia, digerentia vè non ſatisfecerint, ſed humoris vitio potius, aut induratio, quam oſtendit ſenſus, aut item ſuppuratio, quam, vt dictum eſt, arguit dolor, tenſio, pulſatioque, tunc in ea iam futura conijciatur, profectò vt emollientia, quæ humida valdè, & moderatè calida ſunt, duritiei rectè conueniunt, ita ſuppurationi, quam factam ſenſus inundationis oſtendit, anodinis humidis ſufficienter adhibitis, ſolutio continui, iuxta præcepta alibi tradita, ritè adminiſtranda eſt, quam quoque interdum, totius ſalutis ergò, aliàs coacti procuramus; cum nempè non ſuppuratio, ſed corruptio, & partis mortificatio (hanc cenſus tactus, ac viſus indicat) inchoata videatur ; Talibus equidē operibus, & inſtrumentis, infarctus parti humor ex arte depopulandus eſt, quamquā adhuc in eis quantitas proportionata deſideratur ; Nam ſi digerentia, & inſenſibiliter diſſipantia ſint, quoniā hæc poſt partium tenuitatem, qua ad penetrandum neceſſariò donantur, caliditate inſuper ad reſoluendū prædita eſſe oportet, ſicca deinde etiam eſſe conueniens eſt, vbi humor fluidus, at humida vbi humor denſus, adhoc vt diſcuſſioni illius commodius vacent ; ideo ſi nimia fortaſſe fuerint, aut ſua ſiccitate humorem infarctū denſiorem effectum rebellem reddent, aut ſua humiditate ad ſuppurationem non deſideratam, aliud vè deterius, aliquando perducent ; Quod ſi tandem continui ſolutio facienda fuerit, vtique eo illam modo adminiſtranda, quo minus parti noceat, ipſi attamen euacuationi, pro viribus, ſufficienter ſatisfaciat ; Neque autem poſt hæc negligendus eſt opportunus horum quorumuis medicus vſus, quoniā ſi intempeſtiuè illa adminiſtrentur, quando regulariter non niſi poſt omne morbi augmētum indicationi ſint ſatisfactura, vtique aliàs adhibita, humorē vltrò in parte accumulent potius, quam indè, vel digeſtione, vel diſſolutione, alio vè laudabili modo, ammoueant ; Et ſanè hac arte, vel methodo, morbus quilibet febrim efficiens, ſublata eius cauſa, ceſſat, ceſſatque inde febris ; Dum attamen cum huic diſſipando morbo vacamus, ſemper itidem, & vbique, vt diximus, ratio febris habeatur, ne dum morbum remedijs, etiam appoſitis, pellere ſummum conſilium fuerit, vel eorum qualitate, vel quantitate, vel denique opportunitate vni febri improportionata, certo ægri detrimento, velimus, nolimus, febri eidem fomitem præbeamus, perindeque etiam tunc eam præterfluentē forſam exiſtentē, mox remediorum vſu malo, aut in conſiſtentē, aut in habitualem quoque, ſeu fixam conuertamus, tandemque ex accidentaria, primigeniam faciamus ; Quod vtique facilè venturum eſt, cum vel directè, vel indirectè, modo quouis, perperam, ita calor febrilis augeatur, vt poſt vnam iam præſentem caloris intemperantiam, humores inſuper afficiantur, atque fortaſſe tandem etiam habitus ipſe partium ſolidarum labefactetur ; Sed vt periculū hoc euitetur, quæ adamuſſim agenda ſint, prudēs ſemper medicus intercurandum animaduertet ; Dum interea tamen ille victus quoque regimen, cum medicamentis, inſtituat ; quod tum humorum, tum corpori inſitum temperamentum omniquaque tueatur, atque defendat, de his autem in ſuperioribus dictum abundè.

Digitized by Google

DE MORBIS ET SIMPTOMATIBVS *febres quaſuis vt plurimum coniectantibus agitur, eorumque tum origo, tum repraſſio, ab his ſumpto principio, quæ actionibus vitalibus, contingunt, explicatur.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

IAM vltimo loco ſupereſt, vt quod etiam per initia docere polliciti ſumus, illud nunc, Deo fautore, aggrediamur, nempè cum non rarò febrim plures conſequantur morbi, immò, vt plurimum, multa comitentur ſimptomata, quibus ſæpe ſolis ſæuientibus, æger labefactatur, & in apertum incidit vitæ periculum propter eaque poſt vnam febrim, tum quoque morborum, tum ſimptomatũ, atque ſanè plerunque horum inprimis habenda ratio videatur; Meritò poſteaquã febris iam ægrũ afficientis curatio hactenus demonſtrata, & iuxta artis præcepta explicata eſt, de morbis itidẽ hiſce, ac ſimptomatibus febrim comitantibus reſtat pertractemus, & quid ex arte agendum, dum hæc ægrum oppreſſerint, afflixerint vè, aperiamus. Quod porrò hoc vltimo laboris noſtri loco peragendũ propoſuimus, vt nihil reliquum foret, quod ad exactã febrientis curationẽ inſtituendam deſiderari poſſet; Itaque febris quæ feruor eſt præternaturam accenſus in corde, totoque inde corpori communicatus, quamuis per ſe, & generatim totum perperã afficiat, & conſtitutionẽ illius ſimilarem inprimis, per febrilẽ ſimplicẽ intemperiem, lædat; Quod nihilominus, vt plurimum, intemperiei ipſi, humorũ etiam peccatum accedat, vt notum eſt, & ex humoribus his penè ſemper diſſimilaris conſtitutio deprauetur, inde meritò tum morbi, tum ſimptomata fiunt quamplurima, coaceruatis nempè eiſdẽ humoribus, certis partibus, quarũ ideo etiam compoſitio labefactatur, & ſubinde actio; Fiunt autem hæc more morborũ quorumuis particulatium, congeſtione videlicet, & fluxione, ſed profectò fluxione frequentius; Non enim in omne corpus humor qui peccat æquabiliter per febrim eſt diſtributus, ſed aliqua parte maior, quam alia continetur, cæterũ frequentius in aliquam partẽ potius, quã aliam, ex toto, aut eius parte altera, confluit, atque ita per ſe ibi, aut alibi per conſenſũ, quo pars vna alteri compatitur, & morbos, & demum ſimptomata, pro partis, & humoris conditione, producit; Morbis his ergo, ſimptomatibusque, intercurandas febres, neceſſariò artis ingenijs occurrendum eſt, poſteaquam ſæpe ſæuiter, crudeliterque adeo vigeant, quod non minus ac febris laborantẽ exerceant, viresque nimiopere frangant; Sed vt à morbis febrim ſequentibus ordiamur, cum hi vel ita febrim, vel eius cauſam inſequantur, vt non niſi ſublata febri, eiuſque cauſa, deſinant, vel ex febri, & cauſa eius originem quidẽ duxerint, attamen ſublata febri, illi adhuc reſtent, perſeuerante nempe cauſa, ex qua principium habuere, quæ vltrò nihil cum febre commune habet; Vtique id cum verũ ſit veriſſimũ etiam morbos febrim ſequentes, vel propriam habere curationem, vel illam febris duntaxat ſequi; Si primum, illi ſanè morbi tra-

ctandi, vt primigenij, & à febri minimè pendentes; quamquam interea etiam præſentis febris non parua habenda ratio eſt; Si ſecundũ, equidẽ eorum curatio non niſi ex febris curatione expectanda eſt, eorumque interea moleſtia, veluti ſimptomatũ à morbo pendentium, blandè ſolum lenienda: Quamobrem vbi contingat morbũ primi generis eſſe, eũque febri ita coniungi, vt eius nihilominus curatio ſeorſim facienda videatur, non dubitandum quin eadẽ prorſus via, & methodo, illa proſequenda ſit, qua in ſuperioribus illam morborũ, vndè ſæpe febris oritur, & conſeruatur, faciendam ex arte indicauimus; nempè habita inprimis ratione morbi, eiuſque cauſæ, attamen non neglecta interim febri, quæ ipſi cõplicatur; Atqui vbi contingat morbũ ſecundi generis eſſe, eũque febrim neceſſario conſequi, ſanè tunc primum de eo quædam medicus præmeditabitur, antequam ad agenda ille ſe transferat; pręmeditabitur inquã rum modum, quo morbus ipſe febrim conſequatur, tum ne modus ille futurus ſit ęgro ſalubris, & curationi proficuus; an contra, noxius, & curationi aduerſus; Etenim cum ipſo febris vrgentis progreſſu, per translationem humoris, vel ſua praua qualitate, vel ſua nimia quantitate, turgeſcentis, & naturę moleſti, fiat in parte collectio, quaſi abſceſſus, & ibidem conſequenter morbus, vt pręmiſſum eſt, ſanè vel collectio hęc inutilis, & noxia ęgro futura eſt, quoniam pars recipiẽs princeps eſt, vel principi conſentiens valdè, quę ideo non niſi certo ęgri periculo collectionem ferat, aut quia ſaltem ſenſibilis nimis exiſtens, principique ideo quadantenus ſecundum afflictionem æquiparetur, aut quia etiam collectio ipſa nimia ſit, quæ longè vires ſuperet, & ægrum ſummoperè fatiget, vndè quamquam magna ex parte humor febris auctor, vel fomes, per translationem illuc reportatus, quaſi leuare febrim videri debeat, nihilominus & febris inde palam, & æger in deterius abeat, vtique tunc collectio illa, ſiue abſceſſus, & morbus ex eo, noxius, & inutilis, ac curationi contrarius æſtimandus erit; Contra verò, ſi pars ipſa ignobilis ſit, & quæ à nobili ſi longinqua, nec illi conſentiat, inſuper & minus ſenſilis ſit, ferreque magnitudinẽ collectionis, vel abſceſſus ſufficienter valeat. Siquidem vel ideo tunc ſatis leuari ægrũ euidens ſit, proptereaque collectio, & ex ipſa morbus, vtilis, ac curationi febris certò propitia iudicabitur. Atque inquam re ſic plenè iam cognità, quid ſibi ex arte agendũ, vt curatio rectè inſtituatur, facilè medicus intelliget; Nam ſi vtilis, & innoxia fuerit collectio, non permittenda illa ſolum, ſed & ſolicitanda erit; Atqui ſi inutilis, & noxia, illa tunc prudenter auertenda ſemper, & intercipienda; Sed qua ratione, & arte, id à medico præſtandũ, qualiaque ad hoc inſtrumenta deligẽda ſint, quãdo de collectionis, ſeu abſceſſus curatione, in febribus ſermo fuit, ſatis ſcriptum eſt; Vnum duntaxat hic rememorandũ, quod ſcilicet pernitioſo vigente abſceſſu, à quo morbus quoque oboriatur, ſi labor ita ex eo ægrotanti futurus ſuſpicetur, vt indè illi maximũ vitæ periculum impendat; Interea autẽ ipſa humoris translatio, vel abſceſſus manifeſtũ ægro leuamen, reſpectu febris, afferre valeat, non ita intercipiendam translationẽ, reprimendum vè abſceſſum eſſe, vt hac via tantũmodo, & melioris euentus, & tutioris ſalutis ſpes vnica ſit, quoniam fortaſſe contra humoris impetus alio vergens, quid in ægro deterius producere aliquando poſſet, ſed vt repentinus ſaltem nimius tollatur impetus, prudenter quidem repræſſio translationis, & abſceſſus, procuranda, mox tamen deinceps deriuationi, quatenus liceat, incumbendum eſt; vt porrò humor

iam

Digitized by Google

iam defluxus, ſenſimque defluens, adhuc in parte fluidus exiſtens, per partem leſæ parti proximiorē euidenter foras erumpat, nec in parte vberius congeratur; verum id qua ratione faciendū, in methodo accuratè demonſtratū. Poſt hæc verò quod ad factum abſceſſum, & ex ipſo morbum, pertinet, duo vtique peragenda reſtant; vnū quorum eſt, afflictionē ex eo illatā ægro, blandientibus ingenijs, quatenus permiſſum ſit, prudenti vſu lenire; alterum eſt humorē cum intemperie parti iam tandem ingeſtum, quo ſaltē modo per febris curationē conceſſum fuerit, funditus extirpare. Afflictio equidē ex eo multiplex eſſe poteſt, verum tamen ea, exempli cauſa, ſi ex dolore ſit, tunc anodinis, per febrim, illi proportionatis, dolor coercendus erit, & itidem afflictio alia, ſuo ſibi congruo; Sed humor aptè extirpatur, euacuantibus; At intemperies rectè corrigitur; alterantibus in oppoſitū; vtrumque autem ſimul, quibus operibus, & inſtrumentis, quantiſque, & qua opportunitate exhibitis, aſſequi ſit conceſſum, iam ſupra oſtenſum fuit. Et de morbis, qui febrim præſertim putridam conſequuntur, hæc indicaſſe ſat ſit; Iam de ſimptomatibus, quæ vt plurimum febres eaſdem, ſicut vmbra corpus comitantia ſunt, ſermo erit; Eſt porrò ſimptoma, vt in methodo apertè dictum, quod actionibus noſtris vitalibus, naturalibus, & animalibus, præternaturam contingit, per quod inquam illæ, vel diminutæ, vel ablatæ, vel auctæ nimis, vel demū corruptæ cenſentur; Vndè quoniā febris, quæ, caloris exceſſu, deprauata totius, & partiū noſtri corporis temperies eſt, ita generarim actionibus omnibus eſt infenſa, vt ipſa præſente, vel vna temperiei deprauatione, has vniuerſim, penè ſemper lædi neceſſe ſit, & profectò magis, dum humorū quoque prauitas ipſi intemperiei alicubi annectatur, quod in putridis potiſſimum febribus obſeruamus; Hinc etenim ſimilarium, diſſimilariumque partiū omnium ſymmetria facilè perturbata, neceſſariò vel diminutæ, vel ablatæ, vel perperam auctæ, vel demum corruptæ actiones magno febrientis detrimento, euadunt; atque hæc actionum quarūuis euidens in febrienti afflictio, ſimptoma eſt, de cuius repræſſione deinceps tractandum; Et quamuis hoc ſimptoma, quoties leue, ac mite eſt, non niſi cum ſignis reliquis, hoc eſt præternaturalibus notis alijs febrim indicantibus connumeretur, tamen quando ſæuum illud, ac laborantē non minus, ac febris, exercet, animaduerſione adhuc, & repræſſione, quatenus per febrim liceat, dignū eſt, (dato præſertim, ex febri, eiuſuè cauſa, primū, non ex morbo alio, qui febri ſit implicitus, & cuius propria ſir ſeorſum cauſa, idem ortum habere) etenim tunc habita ſemper ratione febris, ita illius aggredienda repræſſio eſt, vt quidem leuius fiat, febri attamen, aut cauſa nequaquam exagitata; Cæterum ſimptoma hoc, vel actio vitalis læſa eſt, vel naturalis, vel demum animalis, vt dictum eſt, & quamquam læſio multiplex, eaque ex multiplici principio facta reperitur, hic nihilominus non niſi eam, quæ febrim, eiuſque cauſam ſæpe ſæpius comitatur, tractare conſilium eſt; Atque ita à ſimptomatibus actionis vitalis ſumpto exordio, duo, ex ea diminuta, per febres, vrgere inprimis animaduertendū horumque primū eſſe, difficultatē reſpirandi; alterum verò animi deliquiū, cum præcipiti virium lapſu, quæ ſanè duo ideo magnificienda ſunt, propterea quod vitæ plurimum inſidientur. Febricitans porrò aliquando intrinſecus anguſtiam, tantā circa præcordia ſentit, vt difficilè reſpiret, penèque præfocari ſuſpicetur, & ideo tunc ſtare loco nequit, ſed modo huc, illuc vè, ad alterutrum latus modo, vel ad pedes aggitatus, vt in ma-

R r   ximis

ximis afflictionibus cæteris, impellitur; Magnum vtique ſimptoma, & actionis vitalis præcipua labefactatio, quæ proculdubio in febribus, vel ex æſtu febrili contingens eſt, non in continuis ſolum, ſed & in intermitrẽtibus, per acceſſionem præſertim earum validã, qua vltro quam par ſit, generoſa reſpiratio, ac inſpiratio expetita non conceditur; vel ex cauſa æſtus eiuſdem, humore nẽpe putrido, prauoque congeſto, æſtum fouente, eadem præfocatio obſeruatur, quando per ſuam præſentiam ille, & cor, & præcordia feriat, præſertimque diaphragma, quod & diſtendat, præmat, affligatque, & in eo liberam dilatationem, & conſtrictionẽ ad inſpirandum, reſpirandumque requiſitã, impediat, quod per intermittentium acceſſiones frequentius adeſt, cũ tunc potiſſimũ in meſenterio humor excandeſcens, & ebuliens, è ſuo foco in præcordia motus, id cõmodè præſter.; Sed vndecunque contingat, quoniã febrim, aut cauſam ſequitur, vt dictum eſt, nec niſi ſublatis his, illud verè tolli poſſit, vtique ſaltem idẽ leniendum; Leniendum autẽ adhibitis, quatenus liceat, contrarijs, quibus quodammodo occaſio, qua illud fit, in meliorẽ redigatur; Vt ſi ex æſtu præfocatio ſit, quoniam ille non ſolum inſpirationẽ, & reſpirationẽ ad cordis, & arteriarum ventilationem, ſed & ad recreationẽ etiam ex refrigerio expetat; Ideo ſi ſaltẽ aer refrigeratus ex amplo conclaui præſto fuerit, non dubitandũ quin ille præfocationi ex æſtu affligenti generoſè ſubueniat; Si verò vlterius ex humore opprimente ſuffocatio facta cenſeatur, vtique tunc, vbi fieri rectè poſſit, vel retrahendus ille reuellentibus, à centro ſcilicet, ad circonferentiam, citra vacuationem, ingenijs, vel inſuper vacuantibus, ſi vires tamen ferant, & tempus fuerit opportunũ, ille minuendus eſt; dum attamen diminutio, ſeu diminuens euacuatio ſpontè inchoata videatur, quia ad libitum aggreſſa, pernicioſa tunc ſemper ſit; Etenim cum per acceſſiones tale preſertim ſimptoma obſeruetur, quo inquam humor excandeſcens in motu eſt, ſanè tunc ſi vacuatio, & quidẽ per pharmacum tentaretur, humoris ſine dubio aggitatio. ſeu motus creſceret, ſubindeque labor febrienti contingeret peior; Verum enim verò ſi vacuatio tunc ſpontè fiat, ea ſanè vt non ſolum permittenda, ſi talis appareat, qualis eſſe debet, ſed ſi opus fuerit, etiam per id temporis, & detergentibus, & leuiter irritantibus, ſolicitanda, perficiendaque, tum per ſeceſſum, tum per vomitum eſt; Tametſi inſuper, in febri potiſſimum intermittenti, dum humoris copia vrgeat, ſedato tandem acceſſionis feruore, viribusque tantundem recreatis, leuandæ ſaltem afflictioni futuræ, per venas in ſede poſitas, humoris peccãtis multitudinem, ex meſenterio, foco nempè febris, & ſemel, & ſæpius exhaurire, valdè proficuum æſtimetur. Ad hæc per febrim, & quidem putridam, animi etiam deliquium ſæpiſſime aduenit, ſimptoma ſanè actionis vitalis peſſimum, ipſique vitæ maximè inimicum, quod equidem vires ſummopere deſtruat, & vitam in apertum diſcrimen adducat; Aduenit autem quando ſpiritus, (vitalis facultatis præcipuum inſtrumentũ) ob præternaturalis cuiuſpiam (ſiue ad corpus, ſiue ad animum ſpectet) ſummè affligentis, repentinum, & violentum occurſum, quodãmodo per vim contracti, ad facultatis vitalis munia omnia vbique corporis exercenda, minimè ſatis ſe ſe diffundunt; quamobrem & animus delinquit, & corpus concidit, viribus quaſi omnibus penè ſublatis; Contrahuntur autem, ſi iam vel pabuli deffectu, vel alterius diſſoluentis occaſione depauperati ſint, vt ſi per tempus liceat, ſic aggregati, valentius conſeruentur, & etiam aliàs, vt tunc pridem in ſubſidium partis cuiuſquam offenſæ

præſto

præſto ſint, ex quo ſanè facto ſemper aut vita periclitatur, aut ſaltem non leue detrimentum patitur; Id in putridis febribus ſæpius videre eſt, vt vel cum pernitioſus putreſcens humor, qui prauam febrim inflixit, è ſede ſua, in cordis arcem, repente, & affatim ſubit, aut impellitur, aut ſaltem eo de ſe tetrum vaporē effundit; vel cum etiam ventriculi os, præcordiorumque membranas acriter ferit, ac vellicat; Etenim tunc (cum maximè iam ex morbi ſaltem longitudine, diſſolutio ſpirituum euidens prægreſſa ſit) vel vna partium harum offenſa, ſpiritibusque repentim in ſubſidium aduocatis, & ab extra ad intra retractis, animi deliquium fit; Itaque cum per febrim, vel ob cauſam febris, modis hiſce deliquium hoc ortum habuerit, proculdubio quanto citius, ægro in magna quiete poſito, ambiens primum refrigeratus, odoratusque procurandus eſt; ad cor enim ille talis affluenter permeans, ipſum cum ſpiritibus ſummopere recreat; Licet adhuc tum internis, tum externis alijs, & cor, & ſpiritus ipſi, per id temporis, pro poſſe ſemper etiam recreandi ſint; Internis inquam ſapidis, ac odoratis, & ori ventriculi aprimè gratis, illis attamen, quam maximè poſſit, ad frigidum potius, propter febrim, quam ad calidum inclinantibus; calidiuſcula & ſi tunc ob id neque abhorrenda videātur, ſi præſertim gratiora; Externis verò, tum quæ odorem ſuauiter naribus, tum quibus cardiaca virtus inſit, regioni pectoris, cui ſubeſt cor, tum teſtibus cordi plurimum conſentientibus, tum demum etiam parentibus arterijs adminiſtratis, dum illis tamen inſimul, quæ tam intro perducant, admiſceantur; Cæterum dum hæc per quietem ægro imperantur, diligenter quoque humorum peccantium impetus, & incurſio, ex qua deliquium obortum eſſe cenſetur, vt dictum eſt, auertenda, reuulſione inquam, qua humores ipſi, ab intro ad extra longius euocentur, & citra vacuationem quidem, quod hanc deliquij tempore vires non ferant; Sedato autem deliquio, per ſpirituum ad ſua reſtitutionem, ſi nec humorum iam ſufficiens celebrata diminutio æſtimetur, atqui item tunc illi tempus idoneum adſit, nec virium imbecillitas nimia impedimento ſit, rationabile eſt blando euacuari, præſertim pharmaco, aut partita vacuatione alia, pro humoris vitio, & ſede, vti; Demum ſiquidem in corroborantibus cardiacis, tum alimentis, tum medicamentis, ad partes, & ſpiritus refocillandos, perſeuerandum; non neglectis inſimul humores alterantibus, & quo ad qualitates manifeſtas exuberantes, & quo ad alias à toto temperamento prauas illis impræſſas; Ita namque ſatis huic ſimptomati, per febrim, prouiſum erit. Si adhuc tamen qui prudens doctusque fuerit medicus, in ſimptomatis eiuſdem recurſu, præſeruationi incumbat, quod fit, oris ventriculi confirmatione, per ſtomachicum, & ſubaſtringens præuium remedium aliquod adminiſtratum, de quo pluries dictum, quod ſi neque illud ſat fuerit, non abre cenſetur, ad ſtomachicum quidem, ſed quadantenus narcoticum, à quo nēpe oris ſtomachi ſenſus obtundatur, per idem tēporis preuij, prudenter cōfugere, quoniā ex cōſenſu oris eiuſdē cū corde, fit, vt ſēſu repreſſo, minus afficiatur cor, atque ita minus ſemper euadat ſimptoma, vt docet experimentum.

DE SIMPTOMATIBVS,

quæ actionibus naturalibus eueniunt, ſequitur ſermo.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

SEQVVNTVR actionum naturalium ſimptomata, quæ per febrim, eamque inprimis putridam, varia, diuerſaque contingunt, quod actiones hæ tunc valenter ſæpe ita labefactentur, vt non minus ac febris ipſa ruinam vitæ moliri etiam videantur, præſertim quæ ipſo ventriculo celebrantur, in eoque primam pabuli nutritionis ergo adminiſtrati diſpoſitionem deſideratam architectantur; Siquidem cum ab his ibi commiſſus error, multis, magniſque erroribus alijs futuris, nec vſquam ſatis emendandis, euidens occaſio ſit, quod inde tum palam morbi augmento fauor adueniat, ſuppeditatis nempè indè ſuccis ad putredinē promptis, ex quibus fomes febris maior euadit tum virium inſtaurationi, defectu pabuli, intercipiatur via, & earundem diſſolutioni faueatur; Iure ideo, & merito ritè conſultum, ſi labefactationis harū, quatenus per febrim permiſſum fuerit, lenitionē, ex arte, etiam docuerimus; Et quamquam præterea labefactatio in actionibus naturalibus alijs, quæ in ægro alibi ſucceſſiuè, nutritionis cauſa, exercentur, non obſcura obſeruetur, vt perindè actionibus eiſdem omnibus perperam ſe habentibus, tum ob vitæ tutelam, tum ob ſanitatis inſtaurationem, ferre itidem opem neceſsè videatur; attamen quod dum vni febri, cauſæque eius abolendæ operam damus, hiſce ſimililiter moderandis, perficiendis vè, ex profeſſo incumbimus; hinc ſit, vt earum duntaxat ſeorſim habeatur ratio, quæ in ventriculo primum exercentur, cum præſertim hæ, dum integrè celebrentur, facilem, & commodam, reliquis afflictis medicinam reddant, non autē ſi aliàs illæ extiterint, quippè quod tunc nec ſolum ipſæ ægrum valenter afficiant, affligantque, vt dictum eſt, ſed prætetea impedimento ſint euidenti, ne ars atque natura, alijs pro neceſſitate ſubueniat; Vna autem ſitis ad ventriculi auctam attractionē pertinens, febricitantem grauiſſimè torquet, moleſtaque illi adeo eſt, quod plerunque difficilè toleretur, & cibationi quoque magno impedimento ſit; eos autem maximè diuexat, quibus circa ventriculum æſtus eſt maximus, ideoque præ nimio ardore, qui per acceſſionem, vel exacerbationem vrget magis, ille ex ſuccus humectari, refrigerarique deſiderat, ſititque ideo quod eſt frigidum humidumque ſimul appetere; Quod itidē euenit illi, dum per febrim putridam, nitroſo, acri, ſalſo, amaroque humore quopiam imbuatur; Quamquam ſitis etiam vrgeat, ex magno pulmonum incendio, quale, vt plurimum, ventriculi ore licet madido, illis attamen ad fauces flammam quodammodo euomentibus, febrientibus aduenit, vt perinde quoque fuliginoſis inſimul vaporibus illuc tunc ex pulmonibus eiſdem ſublatis, (vt interdum etiam ex ventriculo communicatur humor) linguæ ſubſtantia, quæ per ſe mollis, & laxa eſt, imbibita, eorumque qualitatibus affecta, arida valdè ſpectetur, vt in ſuper pertinacius, adhæreſcentibus, nigricare, nec raro, aſpertima, & quando feruor ſiccans vehementior, non leuiter cum faucibus, palato,

atque

atque itidem ore ipſo, inciſa, diſcepta, excoriataque, magno febrientis tormento, videatur. Tantopere autem laborioſum hoc per febris curationem ſimptoma, quoniam ex caliditate, ſiccitateque nimia inprimis habet originem, ſi iam non ſufficienter partem eã, qua viget, humectemus, refrigeremusque, commodè vtique ipſum mitius fiet; Ex dictis verò conſpicuum eſt, ore, faucibus, & palato, per febrim, calefacto, exſiccatoque, ægrum ſiti torqueri, & ſi non vno ſemper modo, id factum obſeruetur, cum interdum ſuper calefacto, exſiccatoque nimis ore vẽtriculi, & interdum pulmonibus flammã ad fauces euomentibus, eueniat; Quamobrem ore, palato, ac faucibus humectatis, refrigeratisque, omnẽ neceſſariò leniri poſſe ſitim, in modum immo redigi etiam principium vnde ſitis, certum eſt, vel illud pulmo, vel ventriculus cenſeatur; quippè vt ventriculo, aut pulmone æſtuantibus, os, per communitatẽ, ſiue conſenſum, ſimilem patitur affectionẽ, ſic ore humectato, refrigeratoque, ſubiectæ conſentientes partes vtcunque recreantur. Maximè ergo vtilè ſemper æſtimandum eſt, quæ humectant, quequæ inſimul actu refrigerant, ore perpetuò continere, & illis iam ſuis viribus deſtitutis, iterum, atque iterum innouatis, perenni viciſſitudine, quantum fieri poſſit, intentioni propoſitæ ſatisfacere; Quamquã adhuc ad nimium pulmonũ æſtum reprimendũ, aerem bene frigidum inſpirare præſtantiſſimum remedium æſtimatur; Veluti ſi ex nimis exſiccato ventriculi ore, calefactoque, idem euenerit, largiorem potum, illumque ſatis refrigeratum dare, vt quo nihil præſtantius, ociuſuè ſitim reſtinguat, appoſitum remedium eſt; Immo, & febri etiam ſæpe maximè congruum; Ille & ſi non niſi prudenter adminiſtrandus, præſertim quod ad quantitatem, & opportunitatem ſpectat; Etenim non niſi præmiſſo tum virium vniuerſi, tum potiſſimum caloris inſiti robore, veluti ſanè ex naturalibus operibus vbique partium corporis, per conſuetum, & tunc inprimis celebratis, ac inſuper magis ex habitu ipſo totius ſolido, atque carnoſo, non autem tenui, ac raro, per ætatem robuſtam, conijcitur; Dum adhuc tamen circa viſcera, tam naturalibus, quam vitalibus operibus inſeruientia, tunc nec inflãmatio, nec obſtructio, nec demũ afflictio magna aliqua adſit, (hanc enim, vt plurimum, in intermittentibus, vel continuis, ab his ortum habentibus, ipſe teperies) ad ſatietatẽ potio refrigerans, & humectans vtiliter exhibetur; Quando non permittendum tunc calorẽ febrilem, cum putredine ipſa, vlterius a cui, euidenti febrientis detrimento; Confertim tamen, & copioſè, pro ægri tolerantia, non autem paulatim, aſſumendus eſt potus, quoniam modica quantitas eius ab inſigni calore ſuperata quodammodo bileſcens, vel ignita, & calorem, & ſitim adaugere videatur; Sed præterea opportunè potus hic conceditur, non per exacerbationes febrium, quibus ab omni generoſo opere abſtinendum eſt, ſed maiori ſedato feruore duntaxat, quo natura præternaturali modo generatim minus affecta, afflictaque, commodius alterationẽ ſibi proficuam vehementiorẽ ſuſtinet; quare per exacerbationem ipſam, ſitis quamquã maxima, lenienda ſolũ, retentis ſcilicet ore abulentibus humidis, & frigidis, vt dictum eſt; Verum tamen eſt, quod in præterfluentibus febribus, à ſimplici inflãmatione ſpirituũ, & ſanguinis factis, in quibus nulla putredo, nec putredinis fomes vllus adeſt, vigente feruoris æſtu nimio, perindeque ſiti, valde affligente, opportunè potio refrigerans aquæ, quanto citius propinanda eſt, nec cunctandum in opere, ne inde putredo ſumat originem, & ex præterfluenti febre, fiat conſiſtens, & putrida,

ad

ad ægrotantis interitum. Accedit febrienti, & quidem frequenter, ſimptoma aliud, quod ad attractionẽ etiam ventriculi ſpectar, nempè vt non modo ille cibum non appetat, veluti cuiuis euenit, ſecundum naturam ſaturo, & benè paſto, ſed præterea cibos auerſetur, ac ab ijs ſaltem viſis, vel olfactis, & vel etiam audita tantummodo eorum mentione, ita horreat, vt illi ſæpe ventriculus ſubuertatur, haud aliter quam multis, ex corrupto, & fætido, fieri ſolitum eſt; Simptoma ſanè peſſimum, vt cuius vnius occaſione, vel cauſa, ægrotantes per inediam neceſſariò abſumuntur, delinquuntque. Facilè autem illud frebricitanti præſto eſt, tum ob calorem ipſum exuberantem, laxantemque os ventrituli, tum potius, & frequentius, quoniam per febrim, coctio in ventriculo, & alibi diminuta, excrementitijs ſuccis procreandis certa via eſt, illorumque idcirco perfuſione, & bilioſi, ac pituitoſi imprimis, os eiuſdem infarctus, & imbibitus, quaſi ſatur, conſopitam, obrutamque vim appetendi habet, at inſuper cibos vtiles maximè auerſatur, quod prauis qualitatibus humores huiuſmodi infarcientes affecti, ſeque indè faucibus, palato, & linguæ communicantes, guſtum, ad animalẽ facultatem pertinentem, ita corrumpunt, vt non niſi contra, quam ſecundum naturam ſoleat, cibum accipiat, vel iudicet; Itaque tanto ſimptomati, tamque vitæ febrientis aduerſo, vt ex arte, quantum febris ipſa permiſſerit, obuiam eamus, non dubitandum quod ſi ex ſolo, eoque ſimplici præternaturali calore, ventriculum, oſque eius potiſſimum relaxanti, eneruanti vè, contingat, (ſanè autem ex hoc primum contingit) non dubitandum inquam, quin illi, ſolis alterantibus contrarijs, ſufficienter opem ferre, conceſſum ſit, frigidis nempè virtualiter, ac actualiter, & potiſſimum acidis, tũ medicamentis, tum alimentis; à quibus ſuperius ventriculi orificium, & immutetur, & corrugetur, ſic enim apetentia excitari facilè cõſueſcat; Verum enim verò ſi præterea cruditatibus bilioſis, vel pituitoſis redundantibus, ventriculoque infarctis, vt dictum eſt, faſtidium huiuſmodi oboriatur; Equidem tunc alijs vti remedijs operæ pretiũ eſt; hæc autem indicantur ab humoribus infarctis primũ, dein ab eodem calore febrili tunc maxime vrgenti, oſque ventriculi labefactanti; Etenim humores hi priori loco detergendi, reijciendique ſunt vomitu, aut alui deiectione, quatenus tamen per febris rationabilem curationẽ permiſſum fuerit; Dein quoque refrigerans, & ſubaſtringens aliquid adminiſtrandum, quod poſt temperiem, ventriculo robũr, per commemoratã corrugationem, reſtituat; Ita namque inapetentiæ ſufficienter prouiſum videatur, niſi mox nouus humor acceſſerit, qui ſucceſſiuè ventriculi os ſurſum afficiens, integræ conſtitutionis adeptionem illi impediat. Sed emendata vtcunque ventriculi debilitate, laxitateque, deinceps incumbendũ vt ea remediorum aſſumendorum vſurpatio euitetur, per quam faſtidium aliquod ventriculo indici valeat; Vt ij inſuper cibi offerantur, quales non prorſus ægrotanti diſplicent, immo inter eos ſemper nonnulli etiam paulo deteriores permittantur, quos ille maximè appetit, quod tunc ſanè vtiliter paulo deterior, ſed ſuauior paſtus, meliori, ſed minus ſuaui præferendus videatur; Immo adhuc vbi quis faſtidio vrgeatur ſimili, & nutritionis neceſſitas adſit, tunc & odorati, & ſapidi, illique varij, & multifariam conditi, per ſummã exquiſitamque munditiẽ, apponendi cibi ſunt, vt parum ex ſingulis, adhortantibus etiam amicis, æger, deguſtando, pernitioſam vitet inediam; Sit autem ex his paſtus parcior, & per rariora interualla exhibitus, quando frequentior, & copioſior, faſtidium etiam

ſanis

ſanis inducat. Cæterum dato, ob ſummam inapetentiam, nulla artè cibos adminiſtrari poſſe gratos, nec item illos aliquo ingenio, etiam violento, prænimia faucium ſiccitate, aſperitateque, deglutiri, viribus interea palam cadentibus ad interitum, vtique tunc per ſeceſſum, deterſis attamen iam inteſtinis, inijcienda ſunt ea, quæ aliàs, opportunis temporibus, ore aſſumi debuiſſent, dūmodo ea fluida, & ad inijciēdum, ac permeandum, apta, parata iam ſint; Quorum demum quantitas parcior fuerit, ne copioſior inteſtina laceſſens, mox tota ſimul nulla vtilitate foras reijciatur; Nam & hæc per ſeceſſum iniecta etiam nutriunt, cum inteſtina eandem cum ventriculo ſubſtantiam, & coquendi vim (ſed imbeciliorem multò) ſortita, cibos etiam vtcunque alterent, qui deinde per meſeraicas ad hepar trahantur, & in ſanguinem (licet minus perfectum) permutentur. Ventriculi iam ſequitur cruditas, cui comes ſæpe leuitas eſt, cum alui fluore; ſiquidem progreſſu febris vario, quod vel copia, vel prauitate humorum, vaporumque, vnus præcęteris partibus corporis ventriculus, tum per ſe, tum per conſenſum, nimium laceſſitus, & medicamentis præſertim ingratis, ac alimentis etiam eo vſque iam multis, frigidis, humidiſque expoſitus, ideoque afflictus, nec parum laxatus, eneruatuſque, paſtum receptum difficilè amplectatur, & perperam conficiat, ideoque facilè quodcunque receptum foras ſinat effluere; neceſſè vtique eſt, vt tunc cruditas adſit; quam demum aliquando ſequatur leuitas, tādemque alui fluor immodicus, febrienti adeo inimicus, ac noxius, quod ſubſequenter ille, aut nihil, aut parum magno virium detrimento, nutriatur; Adeſſe hæc autem ex eiſdem ſanè præuijs cauſis euidentibus, puta alimentis relaxantibus, & medicamentis labefactantibus nimium, vnà cum ipſo humorum vitio, tum maiori, tum minori, ſuſpicari poteſt; atqui ex effectis integris ſenſibus conſpicuis, certius multo conijci datum eſt; Dum potiſſimum, vel ex modico etiam paſtu, ventriculus quaſi pōdere preſſus malè habet ſe ſe; nec deeſt illi inapetentia, de qua dictum ſatis, nec deeſt item ſæpe nauſea, de qua dicemus poſtea; Iam autem eiuſdem tunicæ ad retinendum ineptæ prorſus euaſerint, ideoque tandem poſt tempus breue, vel ſolo ventris rugitu, aut murmure, nullo manifeſto torminum, doloris vè ſenſu, (niſi acrimoniam caloris feruor impræſſerit) aquoſa multa, coloreque ſubalbida, cinerea vè, & inæqualia, per ſeceſſum erumpunt, quibus dein ſi humor, qui peccat, permiſceatur, ipſius eruptionis potior cauſa credi facilè poterit, non item ſi ſecus eueniat; Verum id quoniam ventriculo, & per ſanitatem debili, & per febrim vltro languenti, frequentius, quam cæteris commune eſt, tunc accuratius incumbendum; ne in deterius ſaltem illud, maiori ſebrientis damno, proficiſcatur; Cum autem ex duplici occaſione id per febrim, vt dictum eſt, eueniat, vel nempè externa, qualis eſt alimentorum, & medicamentorum vſus; vel interna, qualis eſt prauorum humorum vis, vtique primum, ſi alimenta, aut medicamenta id aliquando præſtitiſſe conſtiterit, vel horum vſus talis qualis ventriculo noxius eſſe potuit, intercipiendus eſt, vel ſaltem pro neceſſitate corrigendus, & emendādus, vt quidem ille intento ſat ſit, nec tamen noceat, quin puta alimenta nutritioni ſeruiant, & medicamēta ſuis indicationibus ſatisfaciant, atqui minimè interim, nimia humiditate, frigiditateque lædant, hoc eſt ventriculo, ac inteſtinis minimè ſua vi noxia ſint; Hanc licet mediocritatem hic & nunc ritè præſcribere difficillimum ſit medico, cui tamen ex omnibus hinc, indeque perſpectis, veriſſimili ſaltem coniectura ſufficienter innoteſcit; Verùm

enim

enim verò poſt hæc, ad ea, quæ particulatim, tum extrinſecus, tum intrinſecus adhibita, ventriculi, inteſtinorumque virium emendare, & proptium robur confirmare apra ſunt, ſucceſſiuè deueniendum, vt porrò interea vaſa hæc roborata, & confirmata, recipiendis ſufficienter, ferendiſque idoneis quibuſque, rum ſcilicet medicamentis, tum alimentis, ad ſanitatem recuperandam requiſitis oprimè valeant; Sunt autem roborātia hæc calidiuſcula, & ſubaſtringentia quædam ægrotanti non incommoda, tum interna, tum externa, quæ aduentitiam humiditatem, & innnatum calorem repræſſum, propriæ reducunt integritati; Præterea autem quod ventriculi, & inteſtinorum ſimptoma hoc, ab interna etiam febris cauſa, humorum ſcilicet peccato, ortum aliquando habeat, aut per conſenſum, aut per eſſentiam id factum cenſeatur, tunc idcirco niſi ea ipſa cauſa ab inſultu deſinat, ſimptoma vrgebit perpetuo; Deſinet autem euacuatione, alterationeque celebrata; Vndè vt per febris curationem, via hac, peccato humorum ſublato, ſimptoma ceſſat, ita iam diminuto, mitius ſaltem fit illud, & reprimitur; Hoc ſanè ex ſpontaneis, ac paulatim factis euacuationibus, vtiliter obſeruamus, dum ſcilicet aliquid humoris peccantis foras vel cum excretionibus conſuetis expurgatur. Quare dum velicantibus humoribus hiſce talia ſimptomata præſto eſſe conijciamus, maiori ſemper vti prudentia neceſsè eſt, etenim aut per tempus ſpontè facta expurgatio, ſi mediocris, permittenda eſt, aut ſi mancha ea cenſeatur, quamprimum (niſi quid impediat) perficienda, parato medicamento, quod ſubaſtringenti vi polleat, quo inquam iam commotus humor, & ſenſim deffluens expellatur, relicta quadam poſt ſe aſtrictione; Deinceps etenim, poſt abſtergentia, roborantibus internis, & externis diutius vti conceſſum erit, neque prius hiſce validioribus vti licet, ne praui humores viſceribus magis impacti, eam nimio ægri labore irritent; Immo quo magis id euiterur incommodum humores ijdem, alterantibus medicamentis, & alimentis, perpetuò contemperandi ſunt. Omnium verò maximè indulgendum quieti, & ſomno opportuno, vndè vires commodius reparantur, fiuntque ferendis laboribus, etiam vtilibus fortiores. Sed aduenit etiam per febrim, & non rarò, vt ab vno calore immodico, excrementorum per ſeceſſum excernendorum humiditas plurimum abſumatur, adeo quod ea ſicciora iam facta, & accedenre decubitu, ad ſeceſſum ineptiora reddita, propriæ expulſioni maximè reſiſtant, ſubindeque vniuerſum corpus non modo grauent, ſed penè etiam opprimant, viaſque deſideratæ cuique euacuationi celebrandæ perperam obſtruant, hæcque ea ſit obſtructio, quā frequentius febres perſeuerant, & vigent, vt putà quod liber peccantium humorum per ſolitas vias tranſitus tunc verè intercipiatur, calorque inde magis accendatur, & neceſſario diuturnior, deteriorque febris euadat; Quamobrem velimus, nolimus, tunc, poſt refrigerantia, humectantiaque, ob vnam febrim reprimendam aſſumpta, laxanda quoque inteſtina ſunt, intrinſecus potiſſimum iniectis, quæ ea non modo reſrigerent, & humectent, ſed etiam lubrica, ac quodammodo fluida reddere apta ſint, vel inquam quotidie, vel alternis ſaltem diebus, per quietem magis accommodatis, ita namque abſque noxa huic aſtrictioni ſatisfiet; Tandem verò vna ventriculi ſubuerſio per febrim ſæpiſſimè aduenit, per quam æger, quoduis, at maximè paſtum, non modo deſpicit, ſed adhuc foras quanto citius per vomitum pellere cogitur; peſſimum ſanè, & valdè noxium ſimptoma, quo ſaltem nutritio, poſt reliqua multa, deffectu pabuli, intercipitur, & prohibetur;

Digitized by Google

hibetur; Febrienti autem illud valdè familiare eſt, quod ventriculus ipſi facilè labefactetur, perindeque & recipiendo cuique ſit auerſus, & receptum longius retinere nequeat, & irritatus, idem cogatur expellere; Expellit verò frequenter per seceſſum, at valdè frequentius ille reſupinatus, atque ſubuerſus, quodcunque aſſumptum, per vomitum, ſi quidem promptum, vnico impetu reijcit, at ſi difficilè, quoniam fortaſsè impactum, idem, multiplicato motu, pellere cogitur, ideoque nauſeabundus æger factus maximè afficitur, & languet; Ergo cum per omne tempus febris, tam continuæ, quam intermittentis, & per illud acceſſionis, exacerbationis vè magis, id obſeruemus, quod inquam ventriculus, tunc debilis, & afflictus, modis dictis lancinatus magis, ſubuerſionem ita patiatur euidentem, vt primū quidem nauſeabundus, & ad vomitionem procliuis ſit, dein verò etiam, quoties permiſſum fuerit, ad abſolutum vomitum veniat; Profectò dum ſubuerſio, quæ nauſea ſolum eſt, vigeat, ea vt potè ſemper mala, remedium quo mox tollatur expoſtulat, quia nimium perſeuerans, nullum retinendis alimentis, vel medicamentis locum derelinquat, ideoque ægrotanti valdè moleſta cenſeatur, & ſit; Vt autem, quando opus ſit, nos ritè aſſequamur intentum, originem primum, ſeu principium ipſius præcognoſcere, & emendare, eſt operæpretium; Quippè quod ſi ex externorum vſu fortaſſe nimio, vt dictum eſt, ea contingat, nempè quod ex parte eorum, quæ aſſumuntur, nauſea facta ſit, neceſſario ſi ab his æger abſtineat, aut ea ſaltem emendet, ſimptoma huiuſmodi penitus deſinet, ceſſante enim cauſa, ceſſabit effectus; Verum ſi ab interno principio nauſea orta, ab eodem longius illa foueatur, nempe ſi ab humorum vitio fiat, vtique vel humor tunicis vētriculi impactus, infarctusq; adhereſcit, vt per ſe ideo ex eo vētriculus labefactetur, vel mauis alicubi corporis ille met poſitus, ſe ſe ventriculo communicat, illumque ideo afficit, ſeu ſubuertit; Si quidem modo priori nauſea adſit, tunc omni ſtudio, ac diligentia incumbendum, vt ventriculus ab humorum infarctu liberetur, quod certè fit, euacuatione, & per vomitum præſertim (niſi quid per febris tempus obſtiterit) excitata, quæ vbi non ſufficiat, ad attenuantia, & detergentia tranſeundum, demumque ad euacuantia alia, etiam per ſeceſſum, deueniendum eſt, quæ tamen febris curationem, (ſi fieri poſſit) non peruertant, atque cum hoc pacto ventriculus iam purgatus extiterit, tunc odorata corroborantia, modicè adſtringentia, vel calidiuſcula, vel frigidiuſcula, pro febrientis, & febris conditione, audacter, & tutò, ad omnem arcendam nauſeam adhibere licebit; Sed vbi modo ſecundo eadem nauſea facta credatur, vtique ſi humoris (vbicunque ille corporis ſtet) ipſam fouentis & excitantis euacuatio tunc vtiliter, & tutò haberi non valeat, ſaltem, ſi fieri poſſit, reuellentibus ingenijs, impetus illius in aduerſum perducendus eſt; Intereaque aſſiduus vſus eorū attendendus, quæ ventriculum roborent, & ab huiuſmodi humorum peccantium impetu aptè deffendunt; Sint autem illa alimentoſa potius, quam ſecus, vt tutius, & appoſitius indicationi ſatisfaciant; Quod ſi præterea nauſeæ ita accedat vomitus, (hæc enim ſemper vomitum antecedit, & ſi nonnunquam ſpatio adeo breui, quod non depræhendatur) vt nihil penitus retineatur, quamquam nauſea, quia ſemper mala, ideo ſemper abolenda eſt, vomitus nihilominus illi annexus non ſiſtendus ſemper eſt, quod putà per eum, quæ & febricitanti, & ventriculo ſunt infenſa, obſeruato ſalubri naturæ exemplo, foras frequenter excludantur; Vnde ille tunc detergentibus,

vt quanto citius inchoatum opus perficiatur, ſolicitandus eſt; Verum tamen quod vt nauſea, ita vomitus interdum modum exceſſerit, vt ſubindè, veluti diximus, alimentis, ac medicamentis locum non permittat; propterea tunc ventriculo, & ſi ſufficienter exinanito, quod adhuc tamen grauior remaneat affectio, meritò remedia efficatiora requiruntur, potiſſimum autem poſt reptimentia frigida (ſi permittantur) ore retenta, vel item deglutita, reuellentia etiam ad inferna per ſeceſſum iniecta, & inſuper ad partes externas alias, quatenus tamen febris curatio permiſſerit, tum actu, tum virtute attrahentia, adminiſtranda ſunt; Demum verò ſubaſtringentium vſus, tum internus, tum externus, frequentandus; Atque ſi dum hæc fiunt, nihilominus ſimptoma perſeueret, aliquod tunc meritò parandum remedium eſt, quod citra offenſam ventriculo ſtuporem aliquem inducat, moxque ad roborantia ipſa, ac aſtringentia ſinè cunctatione iterum redeūdum; Interea verò præſcribendus paſtus odoratus, ac ſapidus, eiſdemque demum qualitatibus alijs præditus, quibus interim medicamenta ipſa donari neceſſe eſt; Veluti inſuper febrienti tunc horrida euitanda ſunt omnia, quibus ſaltem nauſea rememoretur, quod ſiquidem via alia non deceat febrientem à ſimptomate huiuſmodi ſubleuare.

DE SIMPTOMATIBVS, quibus actiones animales afficiuntur, vltimo loco agitur.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

NEc poſt hæc febricitanti deeſt actionum etiam animalium multiplex labefactatio, quando inſtrumenta illis inſeruientia facilè itidem per febrim affici præter naturam poſſint; plures & ſi actiones ex his, maiori ægri terrore, quam periculo, labefactentur, quia ſæpe nullo vitæ diſcrimine, tum ſenſus, tum motus, tum denique ratiocinatio detrimentum patiatur; Tactus attamen ipſe præ reliquis ſenſibus eſt vnus, qui dum præter naturam habeat ſe, non parum tunc vitæ officiat; Ita autem ſe habet ille, dum ex obiecto improportionato triſtem facit, vel patitur ſenſationem, dum inquam ideo æger dolet; Porrò vel hoc ſolo dolore, detrimenti tantum febriens patiatur, vt ſæpe non aliunde magis; Siquidem dolor omnium fortaſſe primum illud ſit, à quo vires maximè diſſipantur; Atqui hi qui febri laborant, non ſemel, nec ſola corporis parte aliqua, ſed penè perpetuò, & multis partibus, vna licet magis, quam alia, dolent; Namque totius laſſitudo quædam illis ferè communis eſt, cui ſemper (niſi ex ſolo æſtu fiat) vel grauitas, vel contuſio, ob humorem peccantem, annectitur, cum certè multitudo illius grauet, præmatque, at praua acriſque qualitas per putredinem indita, laceſſat ita, mordicetque, vt ægrè feratur; hac itaque vtraque cauſa, ſed modo hac, modo illa, membra fatigari omnia, & ad intima vſque oſſa affici planum eſt; At frequenter lumborum dolor, ac grauitas inprimis vrget, quando præſertim prauus ſuccus meſenterio, totisque hipocondrijs congeſtus, ventriculum dorſo ex poſitu conſentien-

Digitized by Google

ſentientem velicat; afficitque, quod in intermittentibus paſſim obſeruatur; Aut quando etiam (vt in continuis) peccantis materiæ pondus in venam cauam lumbis proximam illabitur plurimum; Veluti cum eius portio in tenuiores venas, quæ per ſumma, extima vè corporis, ad partes vſque ſenſibiles valdè, excurrunt, effunditur, laſſitudines vlceroſæ, mēbrorum grauitates, artuumque dolores excrutiant; Vnus & ſi capitis dolor febrientibus valdè moleſtus, ac laborioſus, ferè ſemper adſit, eo quia caput, ſeu cerebrum, vniuerſo conſentiens corpori, ab eo vniuerſim afflicto, ſpeciatim labefactetur, potiſſimum verò certo partium ſubiectarum conſenſu, maximèque præcordiorum, ſi continua febris ſit, at ſi intermittens, meſenterij, partiumque annexarum communione euidenti, excitatur; Siquidem tunc ſedibus hiſce præcipuis humor exæſtuans, vel de ſe vaporem, per medias quaſque etiam occultas vias, in caput emittit, vel item ex vijs indè patentibus, ſurſum, tenuior ipſe, calidiorque transfertur, vt perindè cerebri membranæ æſtu inflammatæ, & acrimonia dilaceratæ, aut item copia diſtentæ, dolorem patiantur, illumque circa tempora, at maximè circa anteriorem capitis regionem, acutiſſimum. Quamobrem ne tantis, tanque moleſtis doloribus æger lancinatus, febrim ipſam, alioquin per ſe morbum peſſimum, vitæ ruinam molientem, difficilius ſuſtineat, & medicinam ad curationem neceſſariam, tunc pridem aggreſſam, grauius ferat, vtique lenitionem ſaltem aliquam præſcribere, atque tentare operæ pretium eſt, poſtquam curatio quæ propria, nulla permittitur; Itaque quod ad totius laſſitudinem, tum grauedini, tum contuſioni annexam, ſpectat, palam conſtat illi nullam eſſe poſſe remiſſionem, niſi pridem deonerentur vaſa, vt ideo humorum tum quantitas minuatur, tum ſubſequenter qualitas reprimatur; quod ſanè, febris ipſius ratione, ſtatim per initia faciendum ars ipſa ſuadet; ita etenim aliqua ex parte leuatum corpus, quod reliquum eſt facilius fert, ſuſtinet vè, atque ab eo minus laceſſitur; Quod ſi præterea, hoc licet præmiſſo, vigeat nihilominus laſſitudo, eaque perpetua ſit (namque dum ſolis exacerbationibus, vel acceſſionibus vrgeat, patienter ferenda eſt) tunc vtique, poſt refrigerationem iam inſtitutam, qua ſola ſæpe laſſitudo defficit, reſeratio pororum cutis vniuerſæ, viarumque communium omnium, quatenus frictionibus leuibus, alijſque appoſitis ingenijs, liceat, remoto itidem omni impedimento, ſolicitanda eſt; Siquidem vel hac via duntaxat ſperanda lenitas quędam eſt, cum forſam lancinantes multæ acriores humoris partes inſenſibiliter effluant, indeque vniuerſum à moleſtijs quadantenus ſubleuetur. Sed lumborum dolor, quo vt plurimum febriens præmitur, tum refrigerantibus intrinſecus adhibitis, tum item venarum hemoroidalium reſeratione admiſſa, inſuperque non neglecto apto corporis poſitu, quo lumbi minus caleſiant, leniri commodè ſolet; ſi tamen adhuc extrinſecus, lumbis eiſdem, refrigerantia, quibus penetrandi facultas inſit, adhibeantur; Atqui de capitis dolore, quo acriter febriens afficitur, illud præcipuè dicendum eſt, nempe cum primum, ex efferueſcenti humore ad caput delato, ille tunc ducat originem, dum per celebratas iam pridem, febris curandæ gratia, vacuationes, & refrigerantia itidem multa, eaque ſatis valida, imperata, non ceſſerit, cum his tum feruor ipſe, tum feruidi humoris impetus abrogari conſueſcat, adhuc vltro reuulſio à capite ipſo, ad partes infernas, procuranda eſt, tum vacuatione, (ſi virium robur, & curationis febris opportunitas eam permiſſerit) tum citra hanc, & porrò non ſemel, ſed ſæpius, repeti-

tiſque vicibus, quaſi morbum ex inutili abſceſſu capiti aduentũ curare intentio ſit; Et poſtmodum quoque deriuatio, ſi opus fuerit, per phlebotomiam venarum capitis ſecundum artem adminiſtranda; Ita namque non dubitandũ quin magna ex parte, dolor impetu feruentis humoris effectus, leniatur, ac mitior fiat; Si inſuper tamen, reuulſione ipſa præmiſſa, poſt ſummam, in obſcuro loco, eoque ab omni ſtrepitu ſemoto, imperatam laborantis quietem, capitis commiſſuris refrigerantia, & feruoris magnitudinem compeſcentia, extrinſecus, adhibeantur, intrinſecus autem per odoratum, naribus inijciantur, quandoquidem tunc certum ſit, quod longè facilius aſſequuturi ſimus intentum; Quamquam in his refrigerantibus adminiſtrandis prudenter incedere opus eſt; quoniam vt dum nullis his, ac minus reliquis, inflammationem cerebri, membranarum vè eius, reprimentibus adminiſtratis, ſæpiſſimè maximum ſequitur malum, à quo delirium fit, ita ſi vltrò quam par fuerit, illa præſcribantur affluxum iampridem humorem, illumque fortaſſe nimium, condenſare, perindeque ſpiritibus interceptis, ſoporem inferre, magno febrientis damno, poſſunt; Itaque vt medium quoddam ſolummodo ſortiantur, à quo abſque noxa teruor compeſcatur, nec humor ipſe, cuius iam ſatis præcognita natura ſit, condenſetur, procurandum eſt. Cœterum quando per conſenſum duntaxat hic ipſe capitis dolor vrgeat, quod in acceſſionibus, & exacerbationibus febrium, penè ſemper euenit, vel tunc patienter ille, donec ceſſet conſentientis partis labor, tolerandus eſt; vel ſaltem ſi nimius ſit dolor, reuellentibus quadantenus deturbandus, ſi poſſit, conſenſus. Et de ſimptomatibus ſenſationis tactus, quæ fæbrienti, vt plurimum, contingunt, hæc ſint; De guſtu deprauato in de inapetentia ſatis loquuti ſumus. Sunt poſt hæc ſimptomata actionum animalium alia ex quibus per febrim ægrotanti periculum ſæpe aliquod impendet; Et ſi hæc ad vigiliam, & ſoporem ſolum ideo reducantur, quod multa licet ex his ſint, quibus febriens obnoxius eſt, vigilia tamen, ſoporeque exceptis, nullum ex illis per ſe vitæ ruinam moliri poſſe videatur; Incommodant quidem, & actiones omnes ad vitam conſeruandam quodammodo perturbant, attamen proprijs, directisque viribus, illas nequaquam à fine ſuo auertunt, quamquam nihilominus febrim grauiorem ſemper oſtendunt, vt potè quod, ob prauorum humorum agitationem, & demum in partem organicam impetum, morbum fortaſſe nouum febri tunc ſuperuentum monſtrent, à quo etiam valdè æger, ſed aliàs quam à ſimptomatè, affici poteſt; Quod in vigilijs ergo agendum ſit, priori loco indicandum; Porrò vigilia dum præternaturam exuberet, ac ſomno difficilè locum concedat, quoniam ex ſe longius perſeuerans, ſpiritus ipſos, demumque vires omnes neceſſariò abſumit; Inſuperque dum quieti, ac ſomno aduerſatur, reſtaurationi ſpirituum eorundem, ac dein viribus impedimento eſt, idcircò illi ex arte quanto citius occurrendum, vt ſaltem ex parte corrigatur, & breuior ſit; Sed quod multiplici ex cauſa vigilia præſto ſit, atque in febrienti, ab æſtu primum immodico oriatur, à quo quidem corpus totum inflammatur, exſiccaturque, & inſimul ſanguis, ac ſpiritus vbique excandeſcentes, & exagitati, quieti locum non permittunt; Dein quoque ex quouis eidem ægrotanti infeſto, tum externo, tum interno, à quo inquam ipſe doleat, vel lancinetur, vt quaſi iactatus minimè quieſcere valeat; Hinc ſi nos vigiliam tollere, vel emendare velimus, neceſſe eſt vt occaſionem, ſeu cauſam illius tollamus omnino, vel ſaltem corrigamus; Tollere autem penitus, niſi febris curatione

ne peracta, impoſſibilè eſt, atqui corrigere, non ſemper facilè; Equidem ſi ab externo quouis vigilia vrgeat, non dubitandum, quin illo euitato, ſublato vè, ipſa omnino deſideratæ quieti per ſomnum locum concedat. At ſi ab interno fiat, ex quo pura æger doleat, & lancinetur, tunc dolori, aut afflictioni alteri, modus imponendus eſt, remedijs ex arte paratis, vt dictum eſt aliàs; Verum ſi ab æſtu, ſanguinem, & ſpiritus agitanti, vigilia fiat, proculdubio vt illa mitior ſit, æſtus ipſe primum, tum in vniuerſo, frigidis, & humidis, vt per febris curationem fit, tum præſertim in cerebro, compeſcendus eſt, medicamentis ſimiliter refrigerantibus, humectantibusque, commiſſuris, ac temporibus capitis adminiſtraris; Nec non & odoratis, iiſdem præditis qualitatibus, vt moris eſt; Inſimul autem reuulſio à capite, ad partes inſernas, citra laborem procuranda; Atramen niſi hæc ſufficiant, ad obſtupefacientia confugiendum; In his & ſi, vt in refrigerantibus ipſis capiti adhibendis, prudenter medicum ſe habere decear, vt potè quod ex illis interdum ſimptoma peſſimum, vigiliæ contrariū ſuboriatur, nempe ſopor immodicus, ſeu profundus ſomnus; Nam his præter modum vſurpatis, & cerebrum veluti ſtupefactum, ac ſpiritus penè congelari, ſuo muneri non ſatisfaciunt; Sed neque hinc rantummodo ſopor immodicus ægro contingit, verum quoque interdum aliàs ſponrè euenit eidem, & in febribus illis præſertim, in quibus humor qui peccat, craſſior, & viſcidior eſt, vel enim per harum acceſſiones, vel præter has quoque, dum feruet quod peccat ſurſum attollitur, repletque cerebrum, cuius ſubſtantia, à qua ſunt nerui, inſtrumenta operum omnium, nimium imbibita (hoc vtique indicar neruorum ſubſultus, quo illi, vbi euidentiores ſunt, palam ſaltu quodam, ſiue tremore, aut item contractione, inuiti iactantur) conſueto ſuo muneri fit inepta; ſed quod magis eſt, ſpiritus ipſi in cerebro incraſſantur, obtenebranturque adeo, quod minimè operibus ſint ſufficientes; Conſopiti ergo tunc, quietem ſomno ſimilem, at præternaturalem inducunt, per quam, veluti per conſenſum, immo fortaſſe primum, vitales, & naturales actiones omnes in corpore toto, communi quaſi ſtupore affecto, marceſſentes, defficiunt, vr perindè febris creſcat, cauſa ſcilicet eius in deterius proficiſcente; Quod quando contingat, contingit enim ſæpiſſimè, non retandanda ſunt artis auxilia, quibus non ſolum æger excitetur ad vigiliam, ſed quibus etiam origo ſoporis, ſi liceat, deſtruatur, vel ſaltem minuatur; Excitatur autem æger, per corporis tractationem moleſtam, doloroſam, ac violentam, per ſtrepitum item, & clangorem, aliaque corpus velicantia; Cauſa verò ſeu origo ſoporis, & ſi duntaxat, per integram febris curationem, ceſſet, adhuc tamen curatione progredienre, eadem ab huiuſmodi ſimptomatis productione auerti ex arte poteſt; Omiſſis namque externis erroribus, ex quibus ſopor hic præternaturalis etiam aliquando fit, qui inquam (niſi iam certum terminum pertranſierint) contrarijs alterantibus, per febrim admiſſis, ſufficienter intercipitur. Sanè quando ex humore febrim faciente ſopor ipſe fiat, vt iam explicauimus, dum ille præſertim ex eo ſit in fieri, nec factus iam, & confirmatus cenſeatur; per reuellentia inprimis à capite, ad inferas partes corporis, etiam cum euacuatione, quam tamen curatio febris vniuerſa permiſſerit, omnis impetus, & confluxus in cerebrum, non ſemel, ſed ſæpius, & vicibus pluribus, iteratis, auertendus eſt; Prætereà verò ad derriuationem vtilem, ac commodam, ad eamque præſertim, quæ per na-

res,

Digitized by Google

res, atque palatum celebratur, tranſeundum eſt, nec alterantia neceſſaria omnis generis prætermittenda, quorum vtique, vſus rectus, vt & reliquorum, tum qualitas, tum quantitas, tum opportunitas, ex curatione morbi particularis capitis, febrim aliquando conſequentis, commodè indicabitur, de qua porrò curatione, vt de aliorum morborum ſimilium, qui febrientem, tum ob febrim, tum ob cauſam febris, adoriuntur, in ſuperioribus, ſuo loco, tractatum eſt; Atque de febribus, & ſimptomatibus earum frequentioribus, hęc ad noſtram commoditatem, breui commentario, annotaſſe ſat ſit.

F I N I S.

A 01 1460987

Digitized by Google

GENVAE,

APVD IOSEPHVM PAVONEM,

MDCXXVII.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

Digitized by Google

401 1460387

Digitized by Google

Digitized by Google

F.43.

Digitized by Google